
CANONICUS SECULARIS ET REGULARIS;

CUJUS INVESTIGANTUR NOMEN, Institutum, Origo, Antiquitas, Gradus, Genus vitæ, Relatio cum Episcopo, Secularitas, Regularitas, Vota, Officium divinum, Habitus, Discrimen cum Monachis, Finis, nempe Cura animarum & Parochiarum regimen, ac pleraque alia à nemine hucusque pertractata, scitu perquam necessaria examinantur.

Auctore NICOLAO DESNOS, *Priore Conventuali, Magistro, & Administratore generali majoris Domûs Dei Pruvinensis, Ordinis Canonicorum Regularium Divi Augustini.*

PARISIIS,
Apud JOANNEM COUTEROT, viâ Jacobæâ, sub signo Divi Petri.

M. DC. LXXIV.
Cum Approbatione & Privilegio Regis.



ILLUSTRISSIMO

ET

REVERENDISSIMO DOMINO D.

LUDOVICO HENRICO
DE GONDRIN

ARCHIEPISCOPO SENONENSI,

Galliarum & Germaniæ Primati.

NON *mihi diù multúmque ambigendum fuit* (Illustrissime et Reverendissime Præsul) *cui hanc* de Canonicis tàm ſecularibus quàm

Regularibus *tractationem devoverem; cum statim occurreris animo, cujus præclarissimo nomini hanc dicari nuncuparique potiori jure oporteat; haudque cordatè me acturum existimavi, si alium à te Patronum hujus advocassem. Agitur* de Canonicis; *quid Antistiti magis affine?* De Canonicis, *inquam,* instaurandis; *cui Præsulum id magis insedit animo, quid in votis ardentius fuit quàm Archiepiscopo Senonensi?*

Postquam enim de profanis novitatibus nostrâ tempestate exortis triumphum reportasti, postquam Doctrinæ Moralis impuritates nuper exerentes caput, velut tot renascentes hydras resecasti, postquam tandem te præcipuum mirati sunt omnes traditionis Patrum Vindicem, ac severioris disciplinæ, quæ apud veteres Ecclesiæ Præsu-

les vigebat, acerrimum propugnatorem; statim è theoriâ & stabilitâ doctrinâ sanâ ad praxim te te generosus accinxisti, rem nulli ætatis nostræ Antistitum tentatam aggressus es, Canonicorum *nempe* Cathedralium *&* Collegiatorum, *(quæ plures eæque admodum insignes in tua ditione sunt) instaurationem. Ratus universum sequiorem clerum meliori frugi redditum iri, si* Clericos *illos* primi gradus,[a] Cardinalesque Presbyteros [b] *supra Cathedralis Ecclesiæ candelabrum positos in meliorem ordinem reduceres. Quo negotio felicissimè consummato ita cæteris Ecclesiæ Gallicanæ Principibus præluxisti, ut non pauci simile negotium trito per te, ac temerato calle aggredi cœperint, parique exitu consummarint. Hinc pristinum decus tanto Ordini postliminiò restitutum est; ma-*

[a] Innocēt. cap. sedes Apostol. de resc. & cap. Fraternitatem, de sepulturis.

[b] Zacharias 1. Joan. 8. Paschalis 2. Eugen. 3.

ximè verò in celeberrima tua Metropoli Senonensi. Tuo enim muneri minimè satisfactum putaveras nisi illustriorem illam tui gregis portionem, indisciplinatioris vitæ rubigine tantisper aspersam & deformatam, quasi ad novam incudem instaurasses; vigiliis, curis ac sollicitudinibus nusquam pepercisti, usque dum Regale *illud Canonicorum* Sacerdotium [c] *innocentiæ candore ac charitatis novâ purpurâ decorares. Fecisti quod à se suis Canonicis præstitutum scribit celeberrimus Ivo Carnotensis Episcopus, nempe* de negligentibus diligentes, de sommolentis vigiles, de tardis ad divina officia assiduos. [d] *Sic verus* Pastor [e] *quod* infirmum erat consolidasti, quod ægrotum sanasti, quod perierat quæsisti. Servus fidelis *super familiam Canonicam constitutus*, doctrinæ oppor-

c 1. Petri. 2. c.

d Ivo Ep. 219.

e Ezech. 34.

tunitate & veritate infirma confirmasti, disrupta consolidasti, depravata convertisti. *f*

Hinc quotquot habes subditos modo Canonicos, tot nactus es ferventissimos [g] Hierarchas *tuâ virtute* purgatos, *doctrinâ* illuminatos, *charitate* perfectos. *Tot* Operarios [h] *amplissimæ messis, qui flaventes & maturas Christo animarum segetes tecum demetunt. Tot in arduis & maximi ponderis negotiis* Consiliarios. [i]

His nimirum erga tuos Canonicos exhibitis officiis, Illustrissimos Decessores tuos mirum in modum exprimis, ac inter alios complures celeberrimum Aldricum *Alcuini quondam discipulum, qui (ut referunt Fasti Senonenses)* Canonicorum mores in melius reformare, nunquam destitit. k *Habes præterea nomine reque* Magnum *quem ipse*

f Hilarius in Matth. cap. 20.
g Dionys. de Cælesti Hierar. c. 7.
h Luc. 10. 2. Concil. Aquis. 2. c. 5. Zonaras in Can. Ap 58.
i Ignat. Ep. 5. Concil. Tolet. 2. & 4. Aquis. 135.
k Gall. Christian. in Arch. Senon. p. 620. Iacob. Tavellus in Aldrico

xime verò in celeberrima tua Metropoli Senonensi. Tuo enim muneri minimè satisfactum putaveras nisi illustriorem illam tui gregis portionem, indisciplinatioris vitæ rubigine tantisper aspersam & deformatam, quasi ad novam incudem instaurasses; vigiliis, curis ac sollicitudinibus nusquam pepercisti, usque dum Regale *illud Canonicorum* Sacerdotium [c] *innocentiæ candore ac charitatis novâ purpurâ decorares. Fecisti quod à se suis Canonicis præstitutum scribit celeberrimus Ivo Carnotensis Episcopus, nempe* de negligentibus diligentes, de sommolentis vigiles, de tardis ad divina officia assiduos. [d]

[c] 1. Petri. 2. 5.

[d] Ivo Ep. 219.

Sic verus Pastor [e] *quod* infirmum erat consolidasti, quod ægrotum sanasti, quod perierat quæsisti. Servus fidelis *super familiam Canonicam constitutus*, doctrinæ oppor-

[e] Ezech. 34.

tunitate & veritate infirma confirmasti, disrupta consolidasti, depravata convertisti. f

Hinc quotquot habes subditos modo Canonicos, tot nactus es ferventissimos g Hierarchas *tuâ virtute* purgatos, *doctrinâ* illuminatos, *charitate* perfectos. *Tot* Operarios h *amplissimæ messis, qui flaventes & maturas Christo animarum segetes tecum demetunt. Tot in arduis & maximi ponderis negotiis* Consiliarios. i

His nimirum erga tuos Canonicos exhibitis officiis, Illustrissimos Decessores tuos mirum in modum exprimis, ac inter alios complures celeberrimum Aldricum *Alcuini quondam discipulum, qui (ut referunt Fasti Senonenses)* Canonicorum mores in melius reformare, nunquam destitit. k *Habes præterea nomine requè* Magnum *quem ipse*

f Hilarius in Matth. cap. 20.

g Dionys. de Cælesti Hierarch. c. 7.

h Luc. 10. 2. Concil. Aquisg. 1. c. 5. Zonaras in Can. Ap 58.

i Ignat. Ep. 5. Concil. Tolet. 2. & 4. Aquisg. 135.

k Gall. Christian. in Arch. Senon. p. 620. Iacob. Tavellus in Aldrico

major apprimè refers, si non superas; qui demandatam sibi à Ludovico Pio Imperatore pro Canonicorum reformatione provinciam strenuè implesse laudatur. [l] *Vestigia etiam premis Eminentissimi S.R.E. Cardinalis Antonii Pratensis, qui cum Provincialem Synodum congregasset, extirpandis primò hæreticorum erroribus repullulantibus; tam sedulam deinde emendandis* Canonicorum *moribus navavit operam, ut Canonicum Ordinem per totam Provinciam Senonensem pristino splendori restituerit.* [m] Regulares *etiam* Canonicos *per suffraganeas Diœceses ubique resperſos, Augustini (cui nomen dederant) militiæ desertores, & ab ejus castris summâ ignaviâ deficientes, in ordinem ita reduxit, ut postea* Religio munda & immaculata hæc *diceretur; cultumque Religionis suæ abdicatum,*

[l] Gall. Christ. in Archiep. Senon. p. 619.

[m] Concil. Provinc. Senon. an. 1528. cap. 18. 19. 20. 21.

togam *scilicet* lineam (*quæ insigne illorum est*) tam intra quam extra Monasterium supra vestem exteriorem ferre *compulerit*.[n] [n] idem Concil. cap. 22.

Horum decessorum vestigia sequutus (Illustrissime Præsul) utriusque tùm Secularium , *cùm* Regularium *Ordinis mores , arguendo , obsecrando , quin & increpando in omni patientia & doctrina ita in melius provexisti , ut quantum Clerus recens ab illo priore mutatus sit , nemo non miretur ac suspiciat.*

Diceres impræsentiarum de Canonico illo cœtu Senonensi à te tantâ curâ instaurato , totque viris doctrinâ & vitæ integritate claris , promovente te , refertissimo , quod olim Cyrillus Jerosolymitanus de suo pronuntiavit [o] βλέπεις μοὶ τὸ σέμνον τοῦτο τῆς ἐκκλησίας κατάστημα, θεωρεῖς μοὶ τάξιν, καὶ ἐπιστήμην, γραφῶν [o] Præfat. suarum Catecheseon.

ἀνάγνωσιν, Κανονικῶν παρρησίαν, διδασκαλίας ἀκολουθίαν.

Iam verò si Chori disciplinam, ceremoniarum gravitatem intuearis, hanc Ecclesiam statim dixeris Dei castrorum aciem ordinatissimam; dixeris etiam quod Ambrosius olim de Vercellensi, p Si devotionem Cleri perspexeris, Angelici ordinis observatione gaudeas, si penetralia lustraveris, singularem castimoniam conservari mireris.

Castimoniam (inquam) qua nil habuisti carius, antiquius nihil, quàm ut in Canonicorum totiusque Cleri, moribus non solùm, sed etiam domibus reluceret. Et in eam rem collationes primò haberi præcepisti, decreta Synodalia condidisti, in tantum, ut subintroductis q (*quas vocant*) mulierculis *nullus modò locus apud plerosque sit relictus, qui eorum obsequia*

p Serm. de sancto Eusebio.

q De iis Concil. Nicen. cap. 3.

cane pejus & angue *averſantur.* *Nihil aliud ferè mones cum Cypriano quàm illam* ſingularitatem Clericorum, [r] *cum Auguſtino quàm fugam etiam* conſanguinearum, [s] *cum Chryſoſtomo demum arces etiam* Religioſiſſimas, *& prohibes* τὰς Κανονικὰς συνοικεῖν ἀνδράσι. [t] *Vno verbo de tuo Cathedrali Clero poſteri dicturi ſunt quod de Rhemenſi ſuâ ætate ſcripſit Stephanus Epiſcopus Tornacenſis,* [u] in his obſervantiis incedebat Senonenſis Eccleſia terribilis ut caſtrorum acies ordinata, amabilis ſuis, admirabilis alienis.

[r] Cyprianus libro peculiari quem quidam Origeni tribuūt.
[s] Poſſidius in Vitâ Auguſtini. cap. 26.
[t] Chryſoſt. tractatu peculiari.
[u] Epiſt. editâ 160.

Verum enimverò non interpolandis Canonicis Secularibus *tantùm, ſed etiam* Regularibus D. Auguſtini *ad meliora cariſmata promovendis natus videbare; primum Archiepiſcopalis zelus implevit, alterum Abbatialis ſeu paternus amor ſuaſit. Ea enim quam*

tibi Deus desponsavit Senonensis Ecclesia, cum à sancti Augustini patrimonio partem dotis acceperit, (unione scilicet Abbatiæ S. Joannis Senonensis mitræ tuæ addito, & rationali pectoris tui quasi pretioso inserto lapide) mirum tibi erga D. Augustinum indidit devotionis affectum, erga Canonicũ ab eo institutum Ordinem propensissimum animum, & tandem erga singulos Canonicos Religiosos, tùm in plerisque tuæ Diœcesis Asceteriis regulariter viventes, cùm in Parochiis insignioribus ex suo instituto ministrantes, paternam omnino ac synceram sollicitudinem conciliavit. Cujus non obscura sanè nec minus luculenta sumus experti testimonia. Enimvero statim atque Majoris Domûs Dei Pruvinensis (*quæ Canonici Ordinis est Monasterium duplex*) *regimen & administrationem Regiâ munificentiâ & annuente te suf-*

cepi; me, familiamque Canonicam universam tantis favoribus prosequutus es, ut antecessorum meorum singularibus privilegiis frui & gaudere me omninò volueris. Vtrumque verò Religiosum cœtum, saluberrimis adeo monitis, paternisque cohortationibus ad meliora provocasti, ut hinc Religiosi Clerici ad reddendum Altissimo vota sua ferventiores redditi, divinis laudibus celebrandis vigilantiores excubent, Christique pauperibus & infirmis undequaque confluentibus necessaria tùm animi cùm corporis subsidia majori quam pridem sollicitudine subministrent.

Illinc è regione virginitatis flammeo Deo sacratæ Sanctimoniales Christi pauperum humiles ancillæ, in novitate vitæ ambulantes, sponsum Christum sanctè adeò & castè depereunt; ut membris ejus, pauperibus & infirmis ardentissimâ caritate, fi-

deque ferventissimâ inserviendo, Jesum ipsum amplecti, Ejus pedibus cum Mariâ advolvi, hos ungere, osculari, Eique cum sollicitudine Marthæ, imperturbatè tamen, ministrare jurares.

Cum igitur & Regulares & Seculares Canonicos *arctissimâ tibi necessitudine devinxeris, cum utrique Te communẽ Parentẽ exosculentur,* [x] *Superiorem verò revereantur;* [y] *nulli sanè devovendum erat, hoc quidquid est Operis, quod* utriusque Ordinis Canonicorum *leges, mores & officia complectitur.*

[x] Ambrof. l. 2. offic. cap. 27. Clericos vocat filios Episcopi.
[y] Concil Nicen. c.5. Laodicen. c. 41. & 57. Chalcedon. an. 451. c.8. Vernensc an. 755. Can. 3 & 11.

Vnum erat quod illud inscribere tuo nomini remorari poterat, jejuna scilicet & frigida ac ingenio tuo prorsus indigna tractandi sublimioris argumenti methodus, quodque Te litterarum omnia decora habentem, & ipsarum decus queat offendere, styli inæqualitas & elegantioris Latinitatis neglectu

Sed animos addidit inſignis illa bonitas, quâ ſoles tuorum ſubditorum pios conatus benignè accipere; quâ unâ nixus auſus ſum tua limina accedere tuoque nomini hoc opus conſecrare, & in hunc modum, flagrantiſſimum deſiderium manifeſtare quo æternum ſim & audiam

Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ

Humillimus & addictiſſimus
NICOLAUS DESNOS,
Prior Domûs Dei
Pruvinenſis.

CANDIDO AC BENEVOLO LECTORI EPISTOLA,

In qua mens Auctoris & scopus Operis aperitur.

ANCEPS hæsi diu (candide Lector) num hoc opus nobile quidem, sed prorsus arduum de Clericis Canonicis aggrederer. Alliciebat quidem ex una parte materiæ dignitas ac majestas; sed deterrebant aliunde, cùm Operis infinitarum quæstionum obscuritate intricatissimi labor, tum tardioris ingenii tanto argumento vires prorsus impares. Altius enim animo defixum erat illud Hieronymi in Epitaphio Nepotiani, *grandes materias ingenia parva non sustinent, & in ipso conatu, ultra vires ausa succumbunt; quantoque majus fuerit quod dicendum est, tantò magis obruitur, qui magnitudinem rerum verbis explicare non potest.* Enimverò cui di-

viniori

viniori ſcopo collineare poſſunt etiam fœliciora ingenia? Quid peritiorum calamos digniùs exacuere poteſt? quàm ſi Canonicorum Ordinem, quo nil in Eccleſia ſacratius, auguſtius nihil, meritis laudibus celebrent, ſublimes titulos ſuſpiciant, ac ſupremum gradum exoſculentur? Illuſtriſſimos nimirum ac Reverendiſſimos Præſules iſte Ordo complectitur; quippe quos eoſdem ſimul & parentes ac etiam filios agnoſcit. Parentes quidem, nam Antiſtitum cum Eccleſiis ſuis Cathedralibus divino veluti hymeneo orti prognatique ſunt Canonici, dum aureis naſcentis Eccleſiæ temporibus, eos convictores, integerrimæq; vitæ teſtes in Epiſcopiis quique ſuis habere voluerunt. Quos quidem poſtea viciſſim velut filios, mũdo ac Eccleſiæ peperit iſte Ordo Canonicus, dum ex ipſius gremio quondam, unico divini Spiritûs aſpirante lumine, Cleri plebiſque votis, prodibant & inaugurabantur Epiſcopi. Si verò huic præclariſſimo Ordini cooptatos viros ſpectemus, nonne titulis illuſtrioribus à ſanctis Conciliis & Patribus certatim condecorantur? Auguſtiſſimum *Eccleſiæ Senatum* pronuntiavere Tridentini Proceres, ***Epiſcopi Convictorum, Domeſticorum, Aſſeſſorum & Conſiliariorum***
ē

nomine, facer Conventus Toletanus 2. & 4. insignivit *Fratres & Membra Capitis Episcopi* vocavit Alexander III. *Collegas Episcopi* Concilium Carthaginense IV. *Collaboratores & Coadjutores* Antistitis Tridentina Synodus Sessione 24. & ut loquitur Zonaras in Can. Apostol. 58. ὥσπερ σύμπονοι δοθέντες τῷ ἐπισκόπῳ. *Apostolicos viros* Ignatius. Præterea *Clerici primi gradus*, *Presbyteri Cardinales* passim audiunt. Hos denique clamant omnes, illustriorem gregis Dominici portionem ac Ecclesiastici nominis clarissimum decus & nobilius ornamentum. Quorum adeo Ordini adscisci etiam ambiêre Imperatores, Reges, Principes, rati plurimùm splendoris suæ additum iri purpuræ, si Imperatoriæ Regiæque Majestati Canonici nomen ac insignia accessissent. Exempla Imperatorum, Regum & Nobilium, qui gaudent adscisci Collegiis Canonicorum. Imperator, censetur Canonicus sancti Petri Romæ, & sancti Joannis in Laterano, ut testatur Marcellus Corcyr. *lib. sacrarum Ceremoniar.* Francorum Rex oblatis superpelliceo & Almutio in Canonicum variarum Ecclesiarum Regni recipitur, teste Halliero *tract. de sacris electi̇on. titul. de sacra unct.* & de eodem in

Ecclesia Pictaviensi testatur Abbas *in caput extirpandæ*, & Barbosa. Rex Hispaniarum inter Canonicos Toletanos adscribitur, ut refert Solorzano *in Politica lib.* 4. *cap.* 2. & inter Legionenses, ut notat Valdes *de Dignit. Regia cap.* 14. Mitto Principes, Comites, & Marchiones, qui Canonicatus in variis Ecclesiis ambiêre, quorum exempla refert Michaël Francez *de Cathedral. Eccles. cap.* 5. *num.* 80.

Nunc verò si eximiorum ejusmodi virorum intueamur officia, si sacra eorum adyta penetremus, nonne terrestre empyreum ingredi videbimur; nonne ibi Angelica omnia, purgationes, illuminationes, perfectiones? juge divinæ laudis ac tremendæ oblationis sacrificium? nonne licebit intueri tot ejusmodi Mystas, velut tot sponsæ Christi per divinam psalmodiam solantis in hoc exilio absentiam à sponso cœlesti, Paranymphos? dum laudibus Dei præcinendis perdii pernoctesque sacris altaribus & templis incubant, ac veluti excubias agunt. Nonne tot divinos Hierarchas qui humana ad superos & divina ad homines cælesti prorsus commercio velut veri mediatores transmeant?

Diu igitur mihi licet illius Ordinis infimo & viribus ingenii ac doctrinæ longè postremo parturiebat animus decora rudiori licet calamo describere; sed ab hoc proposito statim animum avocabat Operis difficultas. Quo sanè pertractando quasi per avia & salebras mihi incedendum esse conspiciebam, & nullius ferè vestigio tritum ac temeratum callem animadvertebam.

Multi quidem huic argumento versando insudarunt; sed nemo rem plenè dilucidéque pro rei dignitate tractaverit hactenus. E secularibus Canonicis quidam libros vernaculos edidêre, indignos sanè qui eruditorum manibus terantur, ut quos legere, sit operam & oleum perdere. Quidam ex his tanta destomachati sunt in eos *Canonicos* qui *Regulares* dicuntur, ut quasi bilis quædam atra mentem susque deque evertisset, insulsa prorsus ac omnino frigida deblaterarint. Et Deus bone! quantum unus gestit Suessionensis, dum sibi blanditur *Canonicos Regulares*, in Monachorum greges amandasse? Augustinus Barbosa de nomine, gradu, & officiis Canonicorum doctissimè quidem disseruit, sed tantâ brevitate, ut uberem adhuc nobis materiam reliquerit, ac cam-

pum in quo de Canonicis differendo liberè poſſimus exſpatiari. Joannem Molanum pleraque piè Hiſtoricéque de Canonicis ſcripſiſſe audio; ſed Canonicam criticem minimè ſuſcepiſſe tractandam. Joannes Langherrutius Præpoſitus Caſletenſis librum edidit intitulatum *ſpeculum Canonicorum*, ſed mores eorum tantùm attigit. Michaël Francez Archidiaconus Cæſarauguſtanus *lib. de Cathedralibus Eccleſiis, maximè in cap.* 14. plurima tractat de Canonicis, ſed confusè & compendiosè nimis. His tandem ſecularitatis propugnatoribus velut triarius miles acceſſit Laudunenſis Decanus, novas machinas depromens ex *veteri Rituali*, quod ex ſitu & pædore redivivum fecit, quibus ſecularitati & ſingularitati Concanonicorum ſuorum trophæum erigat.

E Regularibus Canonicis, pleriquc vetuſti ac recentiores ſcriptitandis de hoc argumento libris ſedulam navarunt operam. Joannes Trullus, virtutes quæ Canonicos Religioſos decent, integro volumine proſequutus eſt, ſed de ſtatu Canonicali omnino tacuit. Joanni de Nigra-Valle longam ſeriem ſanctorum illius Ordinis Canonici recenſere ſatis fuit, ſicut & Auguſtino Ticinenſi privilegia evul-

gare. Abbas Mauburnus librum ſcripſit & intitulavit, *Venatorium Ordinis Canonici*, quod Manuſcriptum ſervatur apud ſanctũ Victorem Pariſienſem, in quo multigenam viri lectionem agnoſcas, & in ſuum Ordinem flagrantiſſimum zelum; ſed nil inde venari licuit; eò quòd pié tantùm & anagogicè tractet omnia. Domnus Petrus *à ſancto Trudone* Præpoſitus celeberrimæ Congregationis *Vindeſimenſis* in Belgio, mole parvum ſed doctrinæ ac rationum pondere gravem libellum edidit ſub titulo *examinis teſtamenti ſancti Auguſtini*; ſed tantùm Auguſtini Clericatum adſtruere illi viſum eſt, ac oſtendere Canonicos Regulares proprios imo unigenitos illius ſancti Patris eſſe filios; uberem adhuc de Canonicali argumento materiam aliis relinquens. *Cornelius Bartholomæi* Canonicus Eechoutanus ad Brugas, in libro quem *pondus ſanctuarii* inſcripſit, ſolam antiquitatem Canonicorum Regularium rimatur, ac prærogativam eorum ſuper Monachos attigit. Quem ſequitur Joannes Baptiſta Melegarus, *Hiſtoriâ ſummorum Pontificum Canonici Ordinis*, & *Apologiâ pro eodem Canonico Ordine contra P. Cellotium* exaratâ, de ſuis Concanonicis Lateranenſibus op-

timè meritus. Daniel de Nobilibus Jure-consultus Hispanus librum inscripsit de *Origine, progressu, mutatione, ac privilegiis Canonicorum Regularium*, laudaturque à Michaële Francez; sed doleo hunc librum ad manus meas quacumque adhibitâ diligentiâ pervenire non potuisse. Aubertus Miræus scripsit *origines & progressus Ordinum ac Congregationum sub Augustino Militantium per Italiam & Hispaniam*, sed nil ad nostrum institutum. Celeberrimus omnium superest Gabriel Pennotus Abbas Congregationis Lateranensis, qui *Tripartitam Historiam* eamque amplissimam *de Ordine Canonicorum Regularium* concinnavit, ubi de instituto Divi Augustini, habitu Canonico, Congregationibus variis, viris pluribus tum sanctitate tum doctrinâ illustribus disseruit, syllabum etiam majorum Ecclesiarum Ordinis Canonici contexuit, ac plura alia eumdem Ordinem spectantia pertractavit; sed quamquam in pluribus circa historiam Canonicam operosè ab eo congestis maximam laudem apud Canonici Ordinis alumnos assecutus est; attamen mihi visus est in plerisque maximi momenti scituque necessariis siluisse; & in difficilioribus, nimis probando, ali-

quando parum, vel nil probasse. Ascanius Tamburinus lib. *de Iure Abbatum*, multa de Canonicis Regularibus exaravit, sed nihil quod non Gabriel Pennotus attigisset.

Porrò monitum velim Lectorem, me quidem hos Auctores legisse, collegisse autem parum vel nihil; laudare in his plurima, omnia non probare, ac etiam ne mazam (ut aiunt) ab aliis pistam iterum repinsitare, & alienis lucubrationibus librum nostrum infercire viderer, consilii mei fuit, nil ferè in hoc Opere pertractare, quod jam illi tractaverint, aut si in eodem argumento versandum fuit singulari methodo, selectis argumentis & lucubrationum ab ipsis editarum maximè amplissimi scriptoris Gabrielis Pennoti quasi prorsus nescium rem totam agitare.

Nec mirum; cum hîc statuerimus non solùm de *Regularibus*, sed etiam de *secularibus Canonicis* differere, complura quæ universum Clerum spectant investigare, & præcipua quæ ad Canonicos & Clericos pertinent, veluti nomen, originem, antiquitatem, statuta, gradum, genus vitæ, cultum exteriorem, temporalium administrationem, curam animarum attingere; innumera etiam, à nemine, quod sciam, de Canonicali argumento huc us-

que agitata, notatu tamen dignissima, in quæstionem adducere. Ita tamen, ut licet Canonicum Regularem professus sim, nusquam vesano Ordinis mei amore raptus me meosque contra fas efferre videar; sic Regularibus favens, ut nil venerabilium secularium honori, gradui, ac dignitati decidat. Parallilon utrorumque libro secundo instituimus; non ut amplissimis viris ac mihi multis nominibus suspiciendis in aliquo vel minimo detraham; sed ut pateat inter utrosque affinitatem quandam intercedere quam inducta apud illos secularitas labefactare, aut solvere non potuit, imo quam inter rudera desertæ ac pessumdatæ Regularitatis adhuc superesse gestimus. Si qui verò sunt qui nobis hanc secum conjunctionem invideant, contendantque Canonicos Regulares Monachorum gregibus accensendos, discussis eorum rationibus palam fiet universa Canonici nominis ac gradus decora in Regularium ordine fulgere, esseque ferendum judicium de Canonico statu, non ad libellam Neotericorum, sed priscorum veteris Ecclesiæ Clericorum; queis propiùs accedere nostræ ætatis *Regulares Canonicos*, quàm *seculares*, non erit probatu difficile,

Et quandoquidem iidem *Canonici Regulares*, in meditullio *Canonicorum ſecularium* & *Monachorum* poſiti, utriſque participant; non tantùm cum prioribus, ſed & cum poſterioribus, Auguſtinianis Eremitis nimirum, & Aſcetis Benedictinis, in aliquam diſceptationem veniunt; de illis quidem aſſerimus novis ac invincibilibus argumentis Divum Auguſtinum ne per ſomnium quidem cogitaſſe; hos verò ſelectis ſanctorum ac doctorum virorum rationibus, ſummorumque Pontificum decretis, Canonicis Regularibus inferiores eſſe demonſtraturi ſumus.

Sed ſi, ut veteri fertur adagio, μηδ' Ηρακλῆς πρὸς δύο, ſimul pugnare, multo minus vincere poterat, ut quid ego puſio non verear manum & calamum conſerere cum tot doctrinæ ac pietatis heroïbus Ordinis Monaſtici, & gradûs Canonici? nil tamen non audebo veritatis armis inſtructus; ita tamen ut certamini præſideat charitas, abſit livor & contemptus; verumque ſit pugnare me pro Canonicorum Religioſorum aris & focis, quemadmodum manſuetiſsima avium pro nido decertat roſtro nimirum & pennis, ſed ſine felle vel amaritudine; nilque

aliud regeram contumeliosis quorundam sive Canonicorum secularium, sive Monachorum in nostrum Ordinem criminationibus, (exemplo Divi Augustini, cujus ac genuinorum filiorum causam tueor) quàm *ut frænatis atque coërcitis indignationis aculeis Lectori consulens efficiar non homini convitiando superior, sed errores convincendo salubrior.* Opus igitur æqui bonique consule, Lector, & vale.

SYLLABVS LIBRORVM ET CAPITUM

In hoc opere contentorum.

LIBER PRIMUS DE CANONICIS IN GENERE.

In quo eorum Nomen, Definitio, Antiquitas, Origo, Causæ Institutionis ac Officia investigantur.

LIBER SECUNDUS

DE CANONICIS SECULARIBUS.

Ubi eorum Nomen, Origo, discrimen ab antiquis discutiuntur; notantur etiam Epochæ ac causæ fecularitatis, & tandem comparatio seu parallilon instituitur eorum cum Regularibus.

LIBER TERTIUS

DE CANONICIS REGULARIBUS,

UBI

Eorum Nomen idque reduplicatum, explicatur, Origo ac Institutio investigantur. Divi Augustini Clericatus adstruitur, ac de ejus Clericis Canonicis multa eaque difficiliora examinantur, & cum nostræ ætatis Canonicis Regularibus conferuntur. Demum, de fine eorumdem Canonicorum Regularium seu curâ animarum differitur, & de Parochiis ac Beneficiariis ejusdem Canonici Ordinis, singulisque eò spectantibus exactissimè pertractatur. Indeque eorum à Monachis discrimen ostenditur.

tum

LIBER QUARTUS

DE HABITU CANONICORUM & aliorum Clericorum.

LIBER QUINTUS

DE CANONISSIS

REGULA S. AUGUSTINI EPISCOPI, & Ecclesiæ Doctoris,

Pro Canonicis Regularibus edita.

TABLE
DES CHAPITRES
DE LA REGLE DE S. AUGUSTIN.

CHAPITRE UNIQUE.

SECONDE PARTIE.

De l'Epistre 109. de saint Augustin, contenant sa Regle pour les Religieuses.

Fin de la Table.

APPROBATIO DOCTORUM.

NOs infraſcripti in Facultate Pariſienſi ſacræ Theologiæ Doctores, perlecto & quidem attentè Libro cui præfixus eſt titulus *Canonicus Secularis & Regularis &c.* teſtamur in eo nihil contineri, quod repugnet Doctrinæ Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ, aut probis moribus ſit contrarium; imo profundam agnovimus Auctoris eruditionem, & ſingularem in difficultatibus extricandis diligentiam, in cujus rei fidem ſubſcripſimus hac die vigeſimâ nonâ menſis Aprilis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

F. VINOT. E. TROUFFEVILLE.

Lectum in Sorbonâ die 30. *Auguſti anno* 1673.
PIROT.

Extrait du Privilege du Roy.

PAr Lettres Patentes données à Paris le septiéme jour de Septembre 1673. signées par le Roy en son Conseil, SOUFFLOT, & scellées du grand sceau de cire jaune, Sa Majesté a permis à NICOLAS DESNOS Chanoine Regulier de l'Ordre de saint Augustin, Prieur, Maistre, & Administrateur de l'Hostel Dieu de Provins du mesme Ordre, de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur que bon luy semblera, un Livre par luy composé, intitulé *Canonicus Secularis & Regularis &c.* en telle marge, forme, grandeur, caractere, & autant de fois que bon luy semblera, pendant le temps de dix années entieres & consecutives, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer pour la premiere fois; défenses à tous Libraires & Imprimeurs & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, de l'imprimer, vendre ny debiter durant ledit temps, en aucun lieu de l'obeïssance de sa Majesté, sans le consentement de l'Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, sous quelque pretexte que ce soit, à peine de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, de confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests, comme il est plus au long porté par lesdites Lettres.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 30. Juillet

1674. *suivant l'Arrest du Parlement du* 8. *Avril* 1653. *& celuy du Conseil Privé du Roy du* 17. *Fevrier* 1665. *Signé*, THIERRY, *Syndic.*

Ledit sieur DESNOS a cedé son droit de Privilege à JEAN COUTEROT Marchand Libraire à Paris, aux conditions portées par l'accord fait entre eux.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 1. *Septembre* 1674.

LIBER

Menda ſic emenda.

Pagina 24. l. 3. l. *Antiquata* .l. ult. l. *praeter.* p. 27. l. penult. adde virgulam, poſt, *Conſtantienſis.* p. 40. l. 3. l. *exercitis.* p. 75. l. 23. l. *ubique.* p. 81. l. 12. l. *debere*, p. 114. l. 20. l. *ad Radulphum Rhemenſem Decanum Stephanus*, *ex inſtrumento, illius Eccleſia alias dando.* p. 122. l. 28. l. *Auctores.* p. 125. l. 5. l. *Dominum.* p. 135. l. 14. l. *Eccleſias.* p. 136. l. 10 l. *Langlecrutius.* p. 137. l. 21. l. *praetermiſſe.* p. 140. l. 6. l. *aſſequenda perfectioni.* p. 146. l. pen. l. *dependentiis.* p. 199. l. 29. l. *deſtructum*, p. 206. l. 18. l. *Religioſiores.* p. 238. l. 12. l. *Regula*. p. 240. l. 19. l. *perſeveraverit.* p. 246. l. 11. *quem* p. 276. l. 8. l. *D. Thomas Cantuarienſis martyr.* p. 278. l. 3. l. *perlatum*. p. 298. l. 16. pone intra parentheſim & alio caractere hæc verba. (*ſequuntur multi priores*) p. 303. l. 23. l. *Domine.* non veró *Romane* p. 307. l. 30. *ſique.* ib. l. ult. adde. *exeuntes.* p. 309. 310. 331. 338 l. *cauſâ.* & non *capite.* cespitavit enim librarius qui ubi in *MS.* erat. *ca.* poſuit. cap. p. 331. l. 10. l. *Deum.* p. 351. l. 14. l. *officium paſtorale.* p. 361. l. 19. l. *Gavini.* p. 372. l. 25. l. *correctionem im. edit.* p. 380. hæc verba, *quæ primitivæ religionis tempore in uſu erant* debent poni romanó caractere. p. 395. l. 16. l. *inco.* p. 402. l. 13. l. *Koth, vel Kuch.* p. 426. l. 29. dele *ſacerdotum* p. 427. l. 31. l. *andromidem.* p. 432. l. 30. l. *muribus.* p. 438 l. 8. *perpetrasti.* p. 439. l 8. l. *phelonem.* p. 456. l. 14. l. *phiala.* l. 15. dele *perfidis.* l. 16. poſt *Aurelianenſe.* adde *ſecundum Can.* 17. p. 459. l. 8. dele *&* *quaſi* & l. 13. dele *quaſi* p. 460. 21. l. ἀνδράσι.

LIBER PRIMUS

DE CANONICIS IN GENERE.

IN QUO EORUM NOMEN, Definitio, Antiquitas, Origo, Causæ Institutionis ac Officia investigantur.

CAPUT PRIMUM.

A quâ radice Græci vocabulum Canonis hauserint, ut inde vocem Canonici conflarent.

SANCTA Canonicorum adyta ingressuris nobis ac etiam penetraturis, ut eorum ibi decora, Officia, dignitatem, antiquitatem, vitæ genus, Originem ac Institutionem intueri ac suspicere possimus; primùm omnium tanquam in Propylæo, Epigraphe seu nomen Canonici, oculis sese offert inspiciendum. Cui

quidem indagando sistere gradum ac paulisper immorari operæ pretium est; ut Aristotelicam methodum sequuti (postquam investigaverimus quid sit istius nominis) clarius inde ac perspicatius intueamur, quid rei in ista voce contineatur. Vel potius Hieronymum imitemur qui de Clericorum vitâ scripturus in tractatu ad Nepotianum; jubet Clericum, (quem hîc à Canonico non sejungimus) primò vocabulum suum interpretari, ut nominis definitione cognitâ, nitatur subinde esse quod dicitur.

Imprimis igitur examinandum hîc est, à qua radice Græci vocem *Canonis* deduxerint, ut ab ea Canonici appellationem eruerent? Cujus Etymologia omnium sanè magis legitima videtur desumenda secundum mentem Doctissimorum Gassendi ac Vossij ab hebræa *Canech*, quæ canam, cannamve seu calamum sonat, & sumitur in sacris litteris, tam pro mensuræ calamo, quàm pro aromatico illo quod vulgò dicitur *Canella*; transferturque etiam ad cubiti os, à Calami formâ rectâ & cavâ, *Canach* hebraïcè appellatum. Ad quam similitudinem Canon videtur vocari etiam Gallicè res satis recens, *Tormentum* nempe *bellicum* rectum & cavum, tùm res valde antiqua, *Calamus* nimirum ille *Textorius* cui circumvolvuntur licia seu fila ut notat Auctor Scholiorum in Homerum Iliade ψ. Columna lecti Holofernis dicitur etiam *Canon*; nam ubi nostra versio habet, *accessit Judith ad columnam*, Græca habent τῷ κανόνι cap. 13. v. 8. Libri Judith.

In qua quidem voce hebræa *Canech*, quæ calamum significat, nil Græci spectasse videntur, ut ex eâ vocabulum Κανὼν deducerent, quàm

rectitudinem, ut præclarè notat Vossius. Quæ *Rectitudo*, cùm rebus variis, modò propriè, impropriè modo, sive metaphoricè conveniat, etiam compluribus & maximè diversis rebus Canonis appellationem adaptarunt.

Primò quidem & principaliter ad designandam *Regulam* seu *Instrumentum*, quo Longitudo tum dirigitur, tum probatur recta. Et quia nulla longitudo esse potest rectior eâ, quæ tum perpendiculo tum libellâ declaratur; hinc factum est ut ea vox secundum Gassendi & Vossii sensum utrique attributa sit.

Deinde quadam compositione, *Canon* appellatur ea Tabula cui fila superinducuntur pro designandis paginæ conscribendæ versibus ut rectâ procedant. Ex quo effectum est ut tàm continens quàm contentum, id est tam *Tabula* aut Liber ex multis ejusmodi versibus constans, iisque rectâ descriptis, generaliter dictus fuerit *Canon*, Antiquariorum nempe seu Librariorum; quàm specialiter ipsum *Opus* seu *Scripta* ejusmodi filis aut rectis lineis inserta. Id Gassendi censuit post Suidam sic scribentem Κανόνιον οὕτω καλεῖται ἡ διαδήπτετε πραγματεῖα καθ' ἂν πλαδόνων τυγχάνῃ πτυχίων ἢ στίχοις ἢ παγινῶν. In hunc modum *series* illæ, sive Columellæ quibus chronologia distinguitur, *chronologici canones* dicuntur apud Hieronymum *de Scriptor. Eccles. in Euseb. Pamph.* Et cum in hunc modum quilibet catalogus seriebus illis ac columellis constans, olim appellaretur *Canon*; ea ratione solent eo nomine nuncupare tùm Catalogum librorum sacrorum, Innocentius I. *ep. 3. ad Exuperium Tolos. cap. 7.* Et multo antea Auguinus *lib. 18. de Civit. Dei, & lib. de Doctri-*

na Chrift. c. 8. Cùm illum cui infcribitur quifquis hominum Divis accenfetur ; cùm denique magis arcana Liturgiæ pars ubi recenfetur quivis Chriftianam Apotheofim confequutus. Sic ex parte majore Gaffendi laudatus.

Præterea metaphoricè feu tranflatione quadam ufurpatur *Canon* pro Lege feu *Normâ ad quam five Oratio five Opus dirigitur*, ut cenfuere Gaffendi & Voffius laudati. Inde primò *Canones* appellantur ipfa artium tam liberalium quam mechanicarum Præcepta. 2°. morum feu honefti præceptiones ; unde Euripides in Hecubâ κανόνι τοῦ καλοῦ meminit. Et quantum ad mores christianos, invenitur apud Clementem Alexandrinum *ftromatum lib.* 3. *pag.* 331. κανὼν εὐαγγελικός. Apud Bafilium κανὼν παρθενίας. Apud eumdem Clementem Alex. *ftrom. l.* 3. *p.* 335. κανὼν ἐυνουχίας. Et tandem apud Chryfoftomum ab eo *Canone* dicuntur *Canonica*, mulieres illæ quas viris cohabitare prohibet ; *toto Tractatu tom.* 5. 3°. Humana item placita ; cujufmodi funt Principum Conftitutiones. 4°. Sacra Decreta quæ fancti proceres ac patres Ecclefiæ in Concilium adunati de rebus credendis faciendifve ftabiliunt.

Denique tranflatione adhuc remotiore accipitur *Canon* pro eo quod rectè & ex præfcripto fit. Sic fuit vocata, una ex penfitationibus Principi olim exolvi folita. Ac reciprocè etiam portio frumentaria ab Imperatore confueta populo diftribui. Pro quo videre potes Notitiam Imperii Orientalis *capp.* 76. 88. Et Caffiodorum *de variis lib* 5. *cap.* 39. *lib.* 12. *cap.* 13. *lib.* 11. *cap.* 23. In quem fanè modum penfitatio five Præbenda (quam vocant) ex penu five ærario Ecclefiaftico Clericis

ſolita diſtribui, *Canon* appellata fuit. Quod generatim definit Voſſius his verbis. *Lex de Tributo quod ſtatâ Lege penditur quibus decreto publico cedit.* Et quantum ad *Clericos* id Tributi, *Canonicum* vocat Balſamon *in cap.* 34. *Nomocan. Photii tit.* 1. *pag.* 34. & 35. quod Epiſcopo, pro Ordinatione, ab Ordinandis, vel pro ſuſtentatione à Laïcis perſolvebatur, ex Decreto Imperiali Iſaaci Comneni, & D. Nicolai Patriarchæ ſynodali conſtitutione de quo infra amplius.

Miſsâ autem primariâ & radicali uſurpatione vocabuli *Canon*, quę ab inſtituto noſtro diſcrepat, de cæteris quæ metaphoricæ ſunt ac tranſlatæ propoſitoque noſtro apprimè conveniunt, operæ pretium eſt ſigillatim diſſerere, ut tandem pateat à quâ veriùs & germaniùs *Canonicorum* noſtrorum denominatio deſumi debeat; maximè cum diverſi iique docti & graves viri diverſa de eorum appellatione ſenſerint.

CAPUT II.

De acceptione vocabuli Canon, *ut ſeriem Syllabum, Catalogum ſive Matriculam ſignificare ſupra dictum eſt. Innuiturque ab eâ,* Canonicos *potuiſſe denominari.*

IMprimis occurrit inveſtiganda acceptio vocis *Canon*, ut *Catalogum* ſignificare docuimus, pro quâ, ſciendum Græcos ac Latinos uno conſenſu *Canonem* vocaſſe, quod alii *Ordinem* vel *Notitiam* ut Gelaſius Papa *in Decret. de Libris ſacris.* Alii

Indiculum, *Breve*, vel *Breviculum* apud Justellum *tom. 2. pag.* 1389. Cæteri *Matriculam*, *Album*, *Tabulas*, *Dyptica*.

Triplicem autem Catalogum præcipuè lego apud veteres, *Librorum* nempe *sacrorum*; *Celebrium sanctitate virorum* quorum nomina in Dypticis seu sacris fastis inscribebantur; & tandem, *Matriculam* cui inserebantur nomina *Clericorum*; hi tres Catalogi, *Canones* dicebantur. Primus quidem, nam Auctor synopsis divinæ scripturæ apud Athanasium scribit Libros sacros vocari Κανονικὰ βίβλια. Κανονιζόμενα. Hinc Origenes *Tract.* 26. *in Math.* memorat *Canonisatos libros*, & *tractatu* 29. *Canonicas scripturas*. Quarum quidem scripturarum *Canon* seu Catalogus olim apud Hebræos servabatur in templo diligentiâ sacerdotum, Augustino teste *de Civitate Dei lib.* 15. *cap.* 23. ubi de Libro Enoch, de quo loquitur S. Iudas in Epistolâ suâ Catholicâ. E contra libri Apocryphi vocati fuere ἀκανόνιστα βίβλια & Κανονιζόμενα apud S. Athanasium *loco citato*; & in Concilio Laodicensi *Can.* 59. & 60. Et apud Latinos *Canonica scriptura* in Concilio Cabilonensi 2. *Can.* 1. quo sensu dicuntur, *Epistola Canonica Petri, Pauli, Judæ, Joannis &c.*

Secundus etiam Catalogus, *Canon* dicebatur, unde vulgò solemnis ille ritus quo quis Sanctorum albo adscribitur, *Canonisatio* appellari consuevit. Qui quidem ritus ante Innocentium 2. & Alexandrum 3. simplex admodum erat, peragebaturque solâ altaris erectione super defuncti corpus, auctoritate Apostolicâ, sed post illud tempus ceremoniæ illius sanctæ actionis paulatim factæ sunt augustiores, ut primò contigit in Hugone Gratianopoli-

tano, & D. Bernardo apud Morinum *de pœnit. lib.* 10. *cap.* 20.

Tandem supereſt tertius Catalogus, *Canonis* nomine indigitatus; Is ſcilicet, *in quo* ſigillatim deſcribebantur nomina eorum qui ſacris inſerviebant. Nam ſicut Magiſtratus & Senatores urbis Romæ habebant *Notitias* ſeu Catalogos quibus inſcribebantur, unde & *Patres conſcripti* dicti ſunt; ſic Clerici in *Canonem* recenſiti, vocabantur Canonici; quippe qui Senatum Eccleſiæ conflabant. Hinc Concilium Chalcedonenſe *can.* 10. prohibet Clericum in duabus Eccleſiis conſcribi. Quâ de causâ *Clerici* dicti ſunt *Intitulati*, pro quo legi poteſt Baronius *ad annum* 112. *num.* 5. & *lib.* 1. *Decretal. titul.* 24. *cap.* 1. Ex hac autem Intitulatione ſeu Inſcriptione in Catalogo ſive Canone Eccleſiaſtico, Preſbyteri & Clerici dicti ſunt *Cardinales*. Tum quia ſicut cardo eſt fixus & ſtabilis, ſic Clerici ſuis titulis ſunt affixi; Tùm quia præcipuæ ſunt auctoritatis; ad quem modum Servius *in lib.* 1. *Æneid.* vocat quatuor ventos *Cardinales*, quia præcipui ſunt inter alios; & aptius ſecundum Auguſtinum, qui præcipuos Donati ſectarios ejus Cardinales vocat *lib.* 1. *de Baptiſm. cont. Donatum.* Hinc etiam *Canonici* utpote majores & præcipui Clerici dicti ſunt *Cardinales*; duplici nempe ratione, fixione ſcilicet in ſuis titulis, & quia magis ſpectabiles & præcipuæ auctoritatis in Clero; ſicut etiam nomine *Presbyterorum Cardinalium* notati fuere *Parochi* 21. *q.* 1. *cap. Relat.* & *lib.* 1. *Decret. titul.* 24. *c.* 2.

Porro *Clerum* & *Canonem* ſynonima eſſe vocabula, idemque prorſus ſignificare, teſtatur Concilium Nicænum Can. 17. ubi memorantur οἱ ἐν κα-

νόνι ἐξεταζόμενοι quos antiqua versio Isidori *Clericos* vocat; Meliùs sanè quam Dionysii exigui, *sub regula constitutos* vel Gentiani Herveti *sub Canone* recensitos. Zonaras in Can. 19. rectè utitur his verbis οἱ ἐν κλήρῳ τεταγμένοι. Balsamon explicans vocem Κανονικῶν apud Basilium can. 6. ad Amphilochium ait, τοὺς Κανονικοὺς, τοὺς ἐν Κανόνι ἐξεταζομένους, φησὶν ἤγουν κληρικούς. Adde Epiphanium hæres. 70. pag. 812. εἰ τινα γὰρ εἶδε τῶν φιλοχρηματούντων τῶν τοῦ κλήρου ἢ ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων ἢ ἑτέρων τινῶν τοῦ κανόνος. Concil. Antioch. can. 2. εἴ τις τῶν ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων ἢ διακόνων εἴ τις τοῦ κανόνος. Dionysius exiguus, seu *Quilibet de Clero*. can. 6. πάντων τῶν ἐν κάνονι, Isidorus, *Qui in Clero sunt*; Hervetus, *qui sunt in cleri catalogo*. Can. 11. εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ ὅλος τοῦ κανόνος, Isidorus, *vel quicumque clericus*.

Quæ quidem testimonia quisquis prudens perpenderit, statim existimaverit, ab *Canone*, ut significat Catalogum, indicem, syllabum, album, sive Matriculam, Clericos fuisse denominatos *Canonicos*. Id censet Petrus de Marca super Can. 16. Nicænæ Synodi in Dissertatione de Instit. Patriarch. Constantinop. & lib. 4. de Concordia cap. 8. num. 5. ait, *Cantores* dictos fuisse *Canonicos* in Concilio Laodiceno cap. 15. *Quia in catalogo Cleri recensebantur*.

Hoc tamen interpretamenti licet veritati prorsus consentanei elevare posset hæc ratio, nimirum, quod secundum hanc interpretationem, Monachi, Virgines, Diaconissæ, imo & Cantores, Canonicorum nomine venire deberent: Quia in Clero & de Clero quocumque modo censebantur,

dicente Balſamone in cap. 6. Ep. Baſilii ad Amphiloc. ubi κανονικῶν τὰς πορνείας luget ſanctus ille pater; Κανονικοὺς τοὺς ἐν κανόνι ἐξεταζομένους φησὶν ἤγουν κληρικοὺς μοναστρίας καὶ παρθένους. Et de *Cantoribus*, Canonicorum nomine donatis, ob inſcriptionem cleri catalogo, mox pronuntiavit de Marca. Quod cum ita ſit, *Canonicorum nomine*, non diſcernuntur Cathedrales Clerici à Monachis, imo nec à Cantoribus. Quod ſanè venerabilibus noſtris Canonicis ſecularibus minimè placet; pergratumque illis faceret qui etymologiam Canonici aliunde derivaret; ita ut eâ poſitâ, à Monachis & Cantoribus diſcernerentur, & in *eſſe* (ut aiunt) *Canonicati* conſtituerentur. Sed talem in antiquis Patribus & Conciliis invenire non eſt. Nam per *Canonem* aut *Canonicatum* non differebat Canonicus, niſi à purè *laïcis*. Sed tandem vocabulum Canonici anteà commune Monachis ac Virginibus & aliis, arctatum fuit *Clericis majoribus*; *ita ut* (ait de Marca *diſſert. de Patriarch. Conſtant.*) *eo nomine non veniant amplius, nec dignentur Monachi, ſed remanſit iis ſolis qui presbyterium ideſt ſenatum Eccleſiæ, & potiores partes Cleri Epiſcopalium Eccleſiarum in Presbyteros, Diaconos, & cæteros inferioris gradus Clericos diſtributi, olim componebant*; Monachis interim ex ſuo cultu peculiari & Monachatu ſatis orbi cognitis. Qui tamen, cùm eodem nomine cum Canonicis olim inſignirentur, tantaque eſſet antiquitus cognatio inter utroſque; mirum eſt, Canonicos noſtræ ætatis ſeculares, à Monachis & Monachatu tantùm abhorrere?

Canonarcham, quorum erat Canones seu Odas inchoare & reliquis in cantu præire, ut notat Gretserus ad Codinum, ac etiam pro præcinendis hymnis minus solemnibus habuit deputatum alterum qui Protopsaltes dicebatur, *Canone* celebriore *Proto-Canonarcha* reservato. Ut Morinus observat part. 2. Ordinat. in annot. n. 77.

Hæc ex antiquis Auctoribus deprompta ac deflorata, quasi manuducere videntur in eam sententiam, *Clericos denominari Canonicos* ab illo *Canone* Cantûs Ecclesiastici seu psalmodiæ mox explicato. In eam pedibus ire videtur Michaël Francez Archidiaconus Cæsaraugustanus *lib. de Cathedr. Eccles. cap.* 14. *pag.* 230. *num.* 47. 50. *&* 96. ubi postquam asseruit *Canonicos fuisse inventos ut in Choro canerent, & horum officium esse, psallere in Choro & Deum laudare*; *subjungit. Hoc autem nomen Canonicorum à gentilibus originem trahere, ex eo conjicere possumus, quòd Pythagoras hunc mundum sensibilem ad harmoniam canere existimabat, auctore Cicerone de naturâ deorum*; *cantoresque illos qui præ cæteris essent harmonici, vocabat Canonicos*, ex *Cælio Rhodigino lib.* 5. *Antiquit. cap.* 11. Indeque videtur innuere Francez *eodem cap.* 14. *num.* 47. quod quamvis horæ Canonicæ ita vocentur à peritioribus, quia à SS.Patribus regulariter persolvendæ institutæ sunt; tamen potuisse sic appellari, quia à *Canonicis* seu viris harmonicis & symphoniacis decantari solent in templis.

Sed nitidiùs Barbosa suam de hac re mentem aperit *de Canonicis cap.* 1. dum sic scribit. *Veniamus nunc ad seculares Canonicos, quales dicuntur illi qui jus habent Canonica & Praben-*

dæ in Cathedrali vel Collegiatâ Ecclesiâ; quorum origo descendit à Clericis illis, in minoribus ordinibus constitutis, Sacerdotibus subditis qui sub eisdem psallendi officio fungebantur & ab eisdem stipendia ex re Ecclesiasticâ accipiebant. Postea hujusmodi ordinibus Clericorum, honoris titulus, & ordo sacer est adjunctus, & certæ præbendæ ex Ecclesiæ fructibus assignatæ fuerunt. Rem acu tetigisse videbatur Barbosa, si præcipuum & (ut aiunt) essentiale Canonicorum secularium munus est, canere & psallere in choro. Nam quod ait, minoribus Clericis cantandi provinciam olim fuisse demandatam, verum reperitur tàm apud Græcos quàm Latinos; apud illos quidem, testatur insigniter Morinus parte 2. Ordinat. in annot. num. 77. & 3. parte Ordinat. exercit. 14. cap. 2. num. 6. explicans Curopalatem in 1. caput Officiorum Aulæ Constant. pentade 7. Ubi de *Protopsalte & Proto-Canonarcha* ac cæteris Cantoribus loquitur, quorum erat Canones seu Odas præcinere, quos Curopalates, extra cancellos (ubi soli sedebant Presbyteri ac Diaconi) collocatos esse commemorat, quorum etiam Protopsaltem, soli lectorum ordini accensitum fuisse notat Morinus loco citato. Apud Latinos verò, idem factitatum fuisse, probatur luculenter ex decreto sancti Gregorii *lib. 4. ep. 44. relato in cap. in sancta, distinct. 92.* Quod sic habet, *in sancta Romana Ecclesia, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta; ut quidam ad sacri altaris ministerium Cantores eligantur, & in Diaconatûs ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium & eleemosynarum studium vacare*

congruebat; *Qua de re præsenti decreto constituimus ut in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque Evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exolvant; psalmos verò ac reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi.* Quapropter Illerdense Concilium *Can.* 2. Clericos lapsos, Cantoribus accenset, quasi omnium Ecclesiasticorum postremis. Et tandem sequutis temporibus concessum est singulari privilegio *Monachis* cantare psalmos & hymnos in Ecclesiâ. Qui quidem cum ex eo munere aliquando vocati fuerint *Canonici*; quis non existimet à pari, Clericos inferiores majorum Ecclesiarum, diu noctuque præcinendis Dei laudibus deputatos, à *Canone* hujusmodi recitandarum ac decantandarum precum dictos & denominatos fuisse Canonicos? Quod autem ab officio canendi aliquando *Monachi* dicti sint *Canonici*; luculenter probatur ex insigni loco Anastasii Bibliothecarii, *de vitis Pontif. Romanorum. In Gregorio* 4. *an.* 827. his verbis. *Postea cœpit Gregorius de Meliorationibus venerabilium tractare locorum, & repente ad memoriam recurrit, quod justum non esset, si amplius Ecclesia sanctæ Genitricis quæ more veterum nunc usque Callixti trans Tiberim dicitur sine Monachorum officio constitisset: unde juxta latus prænominatæ Ecclesiæ Monasterium à fundamentis statuit, in quo etiam Monachos-Canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent laudesque Deo diu noctuque intimo cordis spiramine decantarent.*

Confirmatur ex Laodiceno Concilio sub Sylve-

ſtro cap. 15. jubente, *ne quis præter Canonicos Cantores qui ex membrana legunt, canat in Eccleſia.* Nam hæc verba ſic videntur ſonare, *ne quis præter Cantores, Canonem pſalmorum & odarum callentes canat*, ob vitandam nempe cacophoniam promiſcuæ plebeculæ tumultuariè cantillantis. Quamquam Balſamon & alii inter quos eſt laudatus ſupra De Marca, aliter hunc locum ſint interpretati.

Eſt tamen in quo ſtomachari poſſent Canonici ſeculares adverſus Barboſam & ſimiles obtrectatores, qui inferioribus clericis tam venerabiles viros annumerant; Nonne, inquient, conflamus auguſtum illum Eccleſiæ Senatum de quo Concilia loquuntur? nonne audimus Convictores, Domeſtici aſſeſſores, Conſiliarii & Coadjutores Antiſtitis, periti nautæ illius navis cujus Proreta eſt Epiſcopus? nonne Preſbyterorum Cardinalium, Majorum Clericorum, ac fratrum Antiſtitis, titulis nobilibus fulgemus ac inſignimur? Et de Canone cantûs quid blateras? nonne habemus conductitios pſaltes, qui numeratâ pecuniâ demurmurant pſalmos? nonne Portionarios, Tortarios, Aſſiſios, Manſionarios, Quartanarios, Tertianarios ac dimidios præbendatos, qui pſalterium, odas, Proſas, Pneumata canunt ac deboant? dum nos ad majora nati, vel aliis rebus occupati, ſupremis tantùm labris horarias preces ſtallis innixi muſſitamus?

Sed inſtare poſſet ſententiæ Barboſæ vindex aliquis; ſe ſe non intueri Canonicos ſecundum eximias illas dotes mox enumeratas, quæ ſanè multùm ſuſpiciendæ ſunt; ſed, (ut aiunt) ſecundum formalem *Canonicatûs* rationem, quæ ſanè in ipſis non

erit tanti facienda, si à Canone cantûs derivatur. Si enim ita esse, & ab eo *Canone*, Canonicorum nomen derivari convincunt allata testimonia; prædictæ dotes conveniunt ipsis ex accidenti, dum ut Canonici considerantur; adeoque hæ ipsæ dotes hîc attendi non debent, sed sola *Canonicalis ratio* cujus in hoc loco genuinam interpretationem expiscamur. Dixi *ex accidenti*, nam dotes superius enumeratæ conveniebant olim Episcoporum Presbyterio, quod Senatus Ecclesiæ dicebatur; sed nemo nescit illud presbyterium à cantoribus clericis omnino fuisse discretum, sive apud Græcos, apud quos referente Curopalate Presbyteri & Diaconi in cancellis Altaris collocabantur, cantorum choro extraposito; sive apud Latinos ubi decreto Gregorii cavebatur, ne Diaconi canerent, sed soli inferiores clerici. Si igitur accessione novorum titulorum, & honore presbyterii insigniti sunt illi clerici inferiores & cantores, ita ut modo teneant locum antiqui presbyterii Episcopalis; id non mutat essentiam seu (ut aiunt) rationem formalem Canonicatûs, qui si à Canone cantûs desumitur, sanè infimo clericorum ordini Canonicos, ut tales, accenset.

Sed hæc rationum moles Canonicorum præjudicio congesta ruit omnino; si attentè pensiculetur, quod certò certiùs est, nempe Canonicos tenere locum antiqui presbyterii seu senatûs Ecclesiæ, ipsosque nobilioribus ac verioribus titulis supra commemoratis condecoratos, labente tempore psallendi officio in augustioribus fanis deputatos & addictos fuisse, dum non amplius occupati fuere missionibus apostolicis & prædicationi verbi, & Baptismi administrationi ac catechisandis rudibus;

bus;

bus; quemadmodum occupatiſſimi erant olim, cum fides propaganda erat; quâ certe dilatatâ, & miniſtris multiplicatis, majores illi Clerici & Epiſcopi ſtabiliores fuere; & cum ampla meſſis non amplius ſeſe offerret, ac jam abunde ubique paſtores præeſſent, clericis illis ſublimioribus, quietioribus magiſque ſedentariis, cantandi & pſallendi partes deputatæ ſunt; quæ quidem ipſis, ut palam eſt, jam aliunde, quàm à Canone cantûs denominatis & conſtitutis, Canonicis acceſſere. Adeo ut contra ſuperiorem Barboſæ argumentationem, dotes Canonicales non acceſſerint Pſaltibus aut Cantoribus; ſed è regione cantandi officium, jam aliâ & ſolidiore causâ & ratione ſtabilitis Canonicis, & Canonicorum nomine jam donatis, adjunctum fuerit.

CAPUT IV.

Vtrum à Canone Prabendæ Canonici appellati ſint?

TRibutum ſive (ut aiunt Jureconſulti) præſtationem, quam ſive apud prophanos ſive ſacros, ſubditi perſolvebant, vel Principi, vel Epiſcopo, *Canonis* nomine appellavere. De prophanis mitto lectorem ad *Notitiam Imperii*, & *lib.* 1. 2. & 12. *Codicis Theodoſiani*, & Caſſiodorum variorum *lib.* 11. *&* 12. *Capitib.* 13. *&* 23. Azorium *Inſtit. Moral. part.* 3. *l.* 10. Apud ſacros autem ſolvebatur unum tributum ab Epiſcopis Archiepiſcopo pro (ut aiunt) Inthroniſticâ. Ab inferiori-

bus clericis Episcopo pro inauguratione ad ordines, à Clericis Beneficiatis, Episcopo, Cathedralis honoris causâ, & in signum subjectionis & obedientiæ,& à laïcis alimentorũ nomine.Et hæc præstatio, sive in pecunia, sive in frumento, sive in animalibus, *Canonicum* dicebatur,aliàs *Cathedraticum* vel *Synodaticum*, quia in Synodo persolvebatur, ex quo *portio Canonica* usu venit. Id explicat Balsamon *in cap.* 34. *Nomocan. Photii tit.* 1. *pag.* 34. *&* 35. & post ipsum Justellus 2. *tom. pag.* 773. *cap.* 103. Videndum etiam *caput Placuit* 10. *q.* 3. & *C. Conquerente* 16. *extra de Offic. jud. extraord.* & *Can. olim. de censibus.* 20. Jus etiam *Græc. Rom. lib.* 4. *seu sententia Synodali* 2. ubi Xiphilinus Patriarcha Constantinop. decernit *ut sibi Canonicum præstetur ab omnibus Mansionibus & Oratoriis quæ sub Stauropegio Patriarchæ condita fuerint, ubivis locorum existant.* De Inthronisticâ passim in Jure & apud Cujacium verbo ἐνθρονίζω. Quod quidem *Canonicum* pro consecratione & inauguratione omnino abolitum fuit, *ut gratis omnia procedant, & ne tali occasione sacerdotia venalia fiant*, ut refert Gothofredus & alii.

Vicissim autem erat alia portio quam Clerici alimentorum nomine ab Episcopo percipiebant, quæ vocata fuit *Canon*; antiquato scilicet vocabulo *sportulæ*, quo appellabatur sub Cypriano ejusmodi distributio *Ep.* 34. *&* 66. Hinc decernitur in Concilio Aurelianensi anni 538. *can.* 11. quod *Clerici ministeria suscepta detrectantes cum reliquis Canonicis stipendia non accipiant.* Ejusmodi autem stipendia ab Episcopo persolvebantur omnibus Clericis inferioribus; omnia nempe ob-

lata à fidelibus, ſicut & Decimæ ad Epiſcopum initio pertinebant.

Cùm igitur ſtipendia hujuſmodi, *Canonis* nomine vocarentur, ab eo *Canonicorum* vocabulum ortum fuiſſe plerique exiſtimavere.

Sic affirmativè cenſent Marſilius *de Redditib. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 14. *num.* 11. Joannes Quintinus Æduus citati à Michaële Francez *cap.* 14. *de Eccleſ. Cathed. pag.* 229. *num.* 85. Duarenus *lib.* 2. *de ſacris Eccleſ. Miniſtris cap.* 8. Eraſmi ſcholiaſtes Arnoldus Montanus *in Dialog. intitulato, Exorciſmus, & aliis locis.* Ubi notat Eraſmum jocari, dum Canonicos Regulares ridet, quòd Græcè & Latinè Canonici dici geſtiant; nam (ait Arnoldus) non ſic ſerio loquutus fuiſſet Eraſmus, quippe qui ſciebat, *Canonici* vocem ſumi à *Canone penſionis*, & notare *Clericum prabendatum.* Proptereaque non ſuperfluè addi aliquando, vocem *Regularis*, cum (ait) inter Clericos Præbendatos, ſive Canonicos, aliqui Regulam profiteantur, alii non. Hîc opportunè revocari poteſt in memoriam locus Concilii Aurelianenſis *anni* 538. *Can.* 11. ſupra relatus; ubi ſtipendiarius & Canonicus ſynonimè accipiuntur.

Accedit Juretus in notis ad Ivonem Carnotenſem editis Pariſiis *ann.* 1585. ſic enim ſcribit in Epiſtolam 69. *Canonici dicuntur à Regulâ, imo potiùs à Canone frumentario, ut eruditis videtur; inde quotidianus panis Canonicorum, de quo Ivo Ep.* 219.

Eruditiſſimo tamen Petro Aurelio diſplicuit hujuſmodi interpretatio; nam dicit. *Tam ſupinam fuiſſe eorum hallucinationem qui ſenſerunt*

à pensione annuâ Canonici nomen derivari, ut homini hujusmodi rerum vel mediocriter callenti, illam disiicere nihilo gravius sit quam paleas stipulasque difflare. Igitur Petri Aurelii calculo, ineruditi sunt & ἀμῦσοι, qui eruditi habentur Jureto, ex interpretatione *Canonici à Canone Præbendæ.* Quam etiam reiiciunt *Lotterius de Re Beneficiaria lib.* 1. *q.* 19. *num.* 1. *apud Michaëlem Francez cap.* 14. *num.* 85. *de Cathed. Eccles.* Covarruvias *in Clementinam, Si furiosus.* Et Bleynius *tractatu de simplicibus & duplicibus Beneficiis num.* 28. arguens Duareni id sentientis sententiam, *cùm* (ait) *secundi & inferioris ordinis Clerici annuâ quoque perceptione gaudeant, & tamen Canonici non dicantur.* Quamquam ea, quam subinde affert Canonici proprio marte interpretationem, minimi facienda sit, cum scribit inde sumi *quòd Canonici certum ac regularem locum in choro habeant, qualem non habent secundi ordinis Clerici.* Nam licet chori decorum postulet, ut uniuscujusque Canonici sedes ordinatæ & definitæ sint, secundum vel dignitatem vel antiquitatem; tamen hæc sedium ordinatio & definitio non tanti est, ut inde tam celebris ordo nomen suum nactus fuerit. Cum eadem ratione, si valeret, Fratres Minores vel Augustinenses, deberent vocari Canonici, cum eamdem sedium in choro distinctionem, majores inter se & inferiores ordinatissimè servent.

Sed apprimè rem discriminat Stephanus Episcopus Tornacensis Ep. 34. *in B. PP.* loquens de quibusdam Canonicis sanctæ Genovefæ Parisiensis nuper inductis in quamdam Ecclesiam &

bonis temporalibus nondum sufficienter dotatis, *Qui quidem* (ait) *Eleemosynis cujusdam Cardinalis sustentabantur, necessaria suppeditantis in pondere, numero & mensurâ, unde erant mercenarii potius quàm filii, Stipendiarii quàm milites, & Prabendarii quàm Canonici.*

Eleganter juxta ac severè rem conficit Alcuinus *in Homil. de Zizaniâ*, relatus à Cerdano *in Adversariis*, & Gerardo Vossio *in Etymologico. Rara avis est hodie* (ait) *Canonicus à Canone vitæ; unde ergo? audi unde, est namque Canon vitæ, & est Canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ; unde solet dici solve mihi Canonem meum, idest pensionem meam; eia ergo ô Canonice inveniamus Canonem tuum à quo d.rivaris, id est à Canone pecuniæ non à Canone vitæ; à Canone regionis, non à Canone Religionis.* Quod scribit, ut vides, invehendo in eam interpretationem à præbendâ, & lugendo à veriori & meliori interpretamento non amplius desumi, quod est à Canone vitæ & Religionis.

Porrò rationem non spernendam affert Cosmas Guimierius Jureconsultus Clarissimus, *scholiis ad Pragmat. Sanct. titulo de collat. cap. item placuit*, quâ probet Canonicum non denominari à Præbendâ. Ibi enim de Canonicatibus supernumerariis in hunc modum loquitur; *non mirum esse quod talium fiat creatio, quia aliud est Prabenda, aliud Canonicatus.* Quod pluribus ibidem textibus probat, & hanc tandem rationem subjungit. *Nam à principio erant Canonici sine prabendis distinctis, maximè quando Ecclesia non habebat temporalia, unde quis potest esse*

CAPUT V.

Etymologia Canonici à Canone, ut Regulas SS. Patrum à Clericis observandas denotat; Conciliorum, Patrum ac Doctorum auctoritate stabilitur.

INterpretationem vocabuli *Canonici*, à Canone Præbendæ, ut recentem apud Canonicos & loco melioris ac verioris antiquati invectam explosimus. Ut sumi potest à Canone Cantûs Ecclesiastici, subdubitavimus. Desumptam à catalogo seu Matriculâ Ecclesiæ laudavimus. Nunc verò non minoris sanè ponderis damus interpretationem à Conciliis & SS. Patribus traditam, quâ, *Canonici* vocabulum desumunt à *Canone*, ut significat, *Regulam disciplinæ*, seu genus quoddam vitæ, Canonibus & Regulis SS. Patrum conforme ac omnino consentaneum.

Sicut enim in Concilio Constantinopolitano I. & Parisiensi sub Ludovico & Lothario *lib.* 1. *cap.* 46. *in medio*, & Chalcedonensi *actione* 2. memorantur Ἐπίσκοποι & πρεσβύτεροι κανονικοὶ, & apud Capitularia Caroli Magni *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 239. *&* 240. *Regulares Episcopi:* Quia sacris Ecclesiæ decretis conformem habebant electionem, vel inaugurationem. Et è contra ἀκανόνιστοι dicebantur, in Concilio Ephesino *cap.* 5. *&* *ep.* 7. *Hadriani Papæ tom.* 2. *Conciliorum Gall. ad an.* 784. Qui contra vel præt Canones invadebant Episcopatum. Sic

planè; quantum ad mores seu disciplinam Ecclesiasticam, *Clerici* profitentes vitam sanctorum Patrum decretis ac Conciliorum sanctionibus, sive *Canonibus* conformem, jure meritissimo, vocati fuere *Canonici*. Quorum professio seu genus vitæ regulis istiusmodi conforme dictum fuit in Concilio Moguntino *Can.* 22. & Aquisgranensi *in Præfatione*; *vita Canonica*, *institutio Canonica*, *forma Canonis*, *Religio Canonica*, *Ordo Canonicus* Et è contra, eodem jure, Clerici majorum Ecclesiarum ejusmodi Regulas parvipendentes, ἀκανονικοὶ dici possent.

Hinc decretum fuit in tertio Concilio Carthaginensi *Can.* 3. ut omnibus ordinandis etiam minoribus Clericis, legantur Canones. Quod attendens Justellus in Bibliotheca Juris Canonici *tom.* 2. *pag.* 757. *num.* 41. *ait oportuisse olim Ordinandos protestari se divinos sacrosque Canones servaturos*. Et Morinus *de Ordinat. p.* 2. *pag.* 308. *&* 320. laudat Rituales libros antiquos Ecclesiæ Latinæ, ubi interrogabatur Ordinandus, *nùm Canones pleniter disceret & intelligeret*. Idque non alia ratione quàm ut vitam ejusmodi Canonibus consonam viveret, à quâ verè Canonicus veniret aptissimè denominandus.

Et re verâ ab eâ Canonum observatione dictos fuisse Canonicos, nemo nisi Conciliorum, vel SS. Patrum ac Doctorum lectione hospes & peregrinus ignorat. Qui si talis contingit esse, huic campum aperimus. In quo agmen ducit D. Basilius, qui primus omnium celebrem Canonicorum fecit mentionem, quâ, à Canone vitæ & regulari disciplinâ traditam interpretationem

perfectus Canonicus sine Præbendâ , ut notat glossa in caput Dilectus, quia Canonicatus est jus spiritale & incorporale ratione cujus Præbenda, quæ materiale quid de se est percipitur, cum jure stalli in Choro & vocis in Capitulo. Dixit autem , *Canonicatum esse jus spiritale & incorporale* , id est secundum charitatem & fraternitatem mutuam inter Collegas Clericos. Vel alio modo, quia procedit ex electione vel receptione in fratrem, *secundum lib. 3. 6. Decret. tit. 4. de Præbend. & Dignitat. cap. 39. in fine. Gloss. Clement. lib. 2. de foro compet. cap. unico tit. 2. in Gloss. Canon.*

Ad auctoritatem verò petitam supra ex Concilio Aurelianensi , nullum efficax argumentum ex eâ trahi potest, pro interpretatione Canonici à Præbendâ , nam inde tantùm concludi in rigore potest Canonicos percepisse Præbendam, sed non ab eâ fuisse denominatos.

Ad id verò quod Juretus supra adduxit ex Ivone Carnotensi in Ep. 219. nil sanè concludit pro explicatione , à Præbendâ. Nam postquam Canonicos à Regularis disciplinæ observantiâ desuevisse ibidem doluit Ivo, in suâ Carnotensi Ecclesiâ , sic scribit. *Vt de negligentibus facerem diligentes , de somnolentis vigiles, de tardis assiduos, ad frequentandas horas Canonicas, à quibus qui se præsentabat horis nocturnis , subtrahebat se diurnis ; & qui audiebat Missam Cathecumenorum subterfugiebat Missam Sacramentorum ; deliberavi apud me dare eis præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui , amitterent tardi , ut quos panis interni dulcedo non movebat, panis*

corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua Prabenda eis ad hoc sufficiens esse deberet. Ubi vides frustra commemorari à Jureto, *panem illum quotidianum*, de quo Ivo; ut ex eo adstruatur appellatio Canonici à Præbendâ, nam nil ibi tale colligit. Imo aliud omnino se sentire declarat Epistola 69. ubi Canonicos alloquens Ivo, sic ait, *Ideo Canonici appellati estis, quod Canonicas regulas ceteris arctiùs observare devovistis.* Quod vero Juretus notavit, interpretationem *Canonici à Prabenda*, eruditis placere; subintelligi debet, quibusdam recentioribus, qui cum in hac temporum infelicitate regularem disciplinam apud Canonicos abjectam, à quâ olim Canonici dicebantur, & secularitatem invectam, animadverterent; antiquatâ veriori interpretatione; hanc qualemcumque à Præbendâ desumptam laudarunt; ut insigniter supra notavit Alcuinus, & subinde Suarez *tom. 4. de Relig. lib. de variet. Relig. cap. 9. n. 6. & 7.* in hunc modum. *Cum Regularem abjecerint vitam, à quâ Canonici dicebantur, cœperunt proprias Canonias habere, & prabendas inter se dividere, ita ut pristino sensu vocabuli Canonici antiquato, qui à regula dicebatur, successit posterior à Canone scilicet Prabenda desumptus.*

CAPUT V.

Etymologia Canonici à Canone, ut Regulas SS. Patrum à Clericis observandas denotat; Conciliorum, Patrum ac Doctorum auctoritate stabilitur.

INterpretationem vocabuli *Canonici*, à Canone Præbendæ, ut recentem apud Canonicos & loco melioris ac verioris antiquati invectam explosimus. Ut sumi potest à Canone Cantûs Ecclesiastici, subdubitavimus. Desumptam à catalogo seu Matriculâ Ecclesiæ laudavimus. Nunc verò non minoris sanè ponderis damus interpretationem à Conciliis & SS. Patribus traditam, quâ, *Canonici* vocabulum desumunt à *Canone*, ut significat, *Regulam disciplinæ*, seu genus quoddam vitæ, Canonibus & Regulis SS. Patrum conforme ac omnino consentaneum.

Sicut enim in Concilio Constantinopolitano I. & Parisiensi sub Ludovico & Lothario *lib.* 1. *cap.* 46. *in medio*, & Chalcedonensi *actione* 2. memorantur Ἐπίσκοποι & πρεσβύτεροι κανονικοὶ, & apud Capitularia Caroli Magni *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 239. & 240. *Regulares Episcopi:* Quia sacris Ecclesiæ decretis conformem habebant electionem, vel inaugurationem. Et è contra ἀκανόνιστοι dicebantur, in Concilio Ephesino *cap.* 5. & *ep.* 7. *Hadriani Papæ tom.* 2. *Conciliorum Gall. ad an.* 784. Qui contra vel præt Canones invadebant Episcopatum. Sic

planè ; quantum ad mores seu disciplinam Ecclesiasticam, *Clerici* profitentes vitam sanctorum Patrum decretis ac Conciliorum sanctionibus, sive *Canonibus* conformem, jure meritissimo, vocati fuere *Canonici*. Quorum professio seu genus vitæ regulis istiusmodi conforme dictum fuit in Concilio Moguntino *Can.* 22. & Aquisgranensi *in Præfatione*; *vita Canonica*, *institutio Canonica*, *forma Canonis*, *Religio Canonica*, *Ordo Canonicus* Et è contra, eodem jure, Clerici majorum Ecclesiarum ejusmodi Regulas parvipendentes, ἀκανονικοὶ dici possent.

Hinc decretum fuit in tertio Concilio Carthaginensi *Can.* 3. ut omnibus ordinandis etiam minoribus Clericis, legantur Canones. Quod attendens Justellus in Bibliotheca Juris Canonici *tom.* 2. *pag.* 757. *num.* 41. *ait oportuisse olim Ordinandos protestari se divinos sacrosque Canones servaturos*. Et Morinus *de Ordinat. p.* 2. *pag.* 308. *&* 320. laudat Rituales libros antiquos Ecclesiæ Latinæ, ubi interrogabatur Ordinandus, *nùm Canones pleniter disceret & intelligeret*. Idque non alia ratione quàm ut vitam ejusmodi Canonibus consonam viveret, à quâ verè Canonicus veniret aptissimè denominandus.

Et re verâ ab eâ Canonum observatione dictos fuisse Canonicos, nemo nisi Conciliorum, vel SS. Patrum ac Doctorum lectione hospes & peregrinus ignorat. Qui si talis contingit esse, huic campum aperimus. In quo agmen ducit D. Basilius, qui primus omnium celebrem Canonicorum fecit mentionem, quâ, à Canone vitæ & regulari disciplinâ traditam interpretationem

laudat & commendat. Nam in cap. 19. variarum Regularum ſeu tractatu intitulato περὶ τῆς ἐν κοινοβίῳ Κανονικοῦς, *Canonem* à quo dici & denominari debeant *Canonici*, in hunc modum exprimit. *Apoſtolorum & Diſcipulorum Domini converſationem, qui à Chriſto in unum chorum fuere conjuncti, & omnia communia habuere, imitantes, recta vita Canonem cuſtodiunt.* Sola hæc & unica tanti Patris auctoritas ſuperiores omnes antecellit; quippe qui primus omnium *Canonicos* clariùs nominarit, à quo poſtea Canonici vocabulum tam Græci quam Latini ſunt mutuati. Dices illos de quibus loquitur Baſilius fuiſſe Aſcetas Cœnobitas, fateor; ſed quos tamen ibi à Monachis diſtinguit. Cumque Baſilius eos à communi vitâ eâque Apoſtolicâ quam profitebantur, ſeu à Canone vitæ Apoſtolicæ, Canonicos nominarit; ita poſt ipſum ſanctiſſimum Doctorem, ab eo edocti graviſſimi quique viri, *Clericos in communi viventes* & more Apoſtolorum vitam ſine bonorum proprietate ducentes, ab eodem *Canone Apoſtolicæ vitæ*, *Canonicos* aptiſſimo nomine compellarunt.

Eam Canonici interpretationem imbiberat penitus Alcuinus ſupra laudatus, dum Canonicos cenſet ita nominatos, *non à Canone Regionis, ſed Religionis & vitæ.*

Petrus Damiani *lib. 5. ep. 9. ad Clericos Fanenſes* ſic ſcribit. *Sanè quo pacto quis valeat dici Canonicus? niſi ſit Regularis? volunt ſiquidem Canonicum hoc eſt regulare nomen habere, ſed non regulariter vivere; ambiunt communia Eccleſiæ bona dividere, aſpernantur autem apud Eccleſiam communiter habere.*

enimvero non est hæc primitivæ Ecclesiæ forma satisque exorbitat ab Apostolicæ institutionis formâ.

Ivo Carnotensis Episcopus paucioribus quidem sed non minus selectis verbis instituto nostro favet ep. 69. *Ideo* (inquit) *Canonici appellati estis, quòd Canonicas regulas vos velle observare cæteris arctius devovistis.*

Hugo de sancto Victore *in cap.* 1. *Regulæ D. Augustini* ait. *Regula dicitur quòd rectè regat, vel quod rectè doceat; & quod nos dicimus Regulam, Græci Canonem dicunt, unde etiam græco nomine Canonici, id est Regulares sunt vocati ii qui in Monasteriis constituti juxta regularia instituta sanctorum Patrum Canonicè atque Apostolicè vivunt.*

Jacobus de Vitriaco Episcopus & Cardinalis, sic Canonici vocabulum interpretatur, *Occidentalis Histor. cap.* 30. *multi autem temporibus istis reperiuntur Canonici, vero nomine seculares, qui cum regulariter non vivant, falsò sibi Canonici nomen usurpant, umbram nominis retinentes, virtutem autem ejus abnegantes; sicut enim homo pictus non est homo, & denarius falsus, denarius non est; ita qui hujusmodi sunt Canonici seculares, non sunt Canonici: quo enim pacto Canonici id est regulares censentur, quorum Regula est irregulariter vivere, quorum lex est sine lege moveri, propriæ voluntati absque ullâ contradictione passim fræna laxare?*

Nicolaus de Cusa ex Decano S. Florini Constantiensis Episcopus & Cardinalis *lib.* 10. *Excitationũ* sic suos Concanonicos alloquitur. *In om-*

ni cursu Christiani est via qua dirigit ad comprehensionem, vocati estis ut curratis sicut Canonici, sic igitur currite. Canonicus à Canone qui Latinè Regula dicitur, in Canonum observatione vivere, moveri & currere debet. Mensuret igitur Canonicus secundum mensuram rectitudinis & justitiæ suum cursum, si illum faciat ex Canonum observantiâ; quod si sic invenerit, sciat se in via comprehensionis. Rectitudo autem illa consistit in regulando motum concupiscentiæ qui est animalis; & est trinus, elationis, avaritiæ, & luxuriæ, qui per Religionem reprimitur quæ est munda & immaculata; & per regulam obedientiæ dominatur motui elationis & superbiæ; per regulam paupertatis avaritiæ; per regulam castitatis luxuriæ. Omnis Christianus regulâ Evangelicâ dirigitur ne dominetur in eo concupiscentia, sed in suo ordine plus Canonici qui se voto particulariùs ad Canones adstrinxere, & ut divinis laudibus tantùm vacent sacrario operari studuerunt, & ideo de illo vivunt.

Et *libro* 3. *sermone Accepistis*, eosdem Concanonicos, his sanè egregiis verbis intentum nostrum mirè probantibus compellat; quæ utinam sedulò attendant nostræ ætatis Canonici, animisque penitiùs infigant, horum æternùm futuri memores. *In sacris Conciliis sæpissimè definitum legimus; placuit ut quisque secundum etymologiam nominis sui vivat, Monachus quidem secundum suam derivationem quasi unus, solus & tristis, deflens peccata sua. Canonicus quasi regularis, quia se Regulis sanctorum adstrinxit. Hoc quidem est, quia vitam sancta-*

rum profitemini qui ea quæ hujus mundi sunt abdicarunt ut se Deo totos dicarent; Regularium etenim vita à mundo abstracta esse debet, ut ea quæ sursum sunt sapere possint. Neque credatis multum inter vos & Monachos differre; nam una fuit sanctorum consideratio quod in abdicatione proprietatis rerum mundi, in mortificatione carnis atque in resignatione libertatis arbitrii consisteret recessus de hoc mundo, ut Deo adhærere in spiritu posset. Et hæc omnium Religionum substantialia scitis existere. Religio igitur munda & immaculata illa est quæ scit hujus mundi inquinamenta relegare. Regulæ igitur patrum non aliud continent, quàm hoc ipsum, per quod mundo deserto Deo adhæreatur, & hoc est quod accepistis. Ais fortassis, non accepimus illam strictitudinem vitæ, quam mortui mundo, quos & Monachos dicimus. Nam & propria possidere possumus, & alia facere quædam quæ mortuis non conveniunt. Respondeo: Nemo negare potest, nos Canonicos Religiosos esse debere, licet in modo, ab aliis qui strictioribus regulis constringuntur, differamus. Nam sicut omnes mundi Religionum diversitates in prætactis substantialibus conveniunt; ita tamen ut una sit aut remissior aut strictior aliâ; ita quidem & Canonicorum Regula quamvis laxiorem gradum in modo teneat, latitudinem tamen Religionis non egreditur; quoniam et si nobis administratio permissa sit reddituum Ecclesiæ de quibus vivimus, non tamen in illis ultra victûs & vestitûs necessitatem quidquam juris accipimus; & ob hoc donare, & testari, & alia

facere quas proprietariis conveniunt, non valemus. Parum igitur refert inter nos, & Conventuales Regulares, ubi uni administratio conceditur, cum unicuique nostrum non alia lege quam ibi uni concedatur. Hæc Cusa Decanus ad suos Concanonicos, perbellè explicans & etymologiam nominis eorum, & in quo sisteret observantia Regulæ sanctorum Patrum.

Radulphus de Rivo Canonicus Tungrensis *lib. de Canonum observantiâ, Propos. 3. in Bibliot. Patrum* hæc habet. *Cum sacri Canones sint custodiendi, apud vos tamen, qui ab illis gracè Canonicorum nomen vindicastis, à sancta Romanâ Ecclesiâ specialiter depositi sunt non tradentis sed recipientis gratia.*

Dionysius Carthusianus *opusculo de vitâ Canonicorum artic. 3.* scribit *Clerici vocantur Canonici quoniam regularem & rectam tenentur ducere vitam vitiorumque obliquitates vitando, synceriter gradiri juxta præfixa eis à sanctis Patribus statuta.*

Baronius Cardinalis, *ad annum* 1063. ait. *Qui Collegiatis serviunt Ecclesiis, quos frequentiori usu, Canonicos appellare consuevimus, ob id scilicet eo nomine vocantur, quod hisce tenerentur Canonibus obligati, ad quorum præscriptum vitam ducerent Clericalem in omnibus regularem, nil proprium sibi vindicantem.*

Azorius *lib.* 12. *Instit. moral. cap.* 22. sic loquitur. *Sciendum est, Clericos qui Apostolicam vitam secuti, nil proprium habentes, communem vitam agebant, & in eadem domo simul cibum sumebant, somnumque capiebant, & deinde in Ecclesiam conveniebant, ad Ecclesiastica*

officia obeunda, dictos fuisse Canonicos, hoc est regulares, quippe qui Canonem Apostolorum servabant, qua appellatione & nomine discernebantur ab aliis Clericis, qui proprium habentes in suis domibus habitabant.

Suarez, *tom.* 1. *de Religione, lib.* 1. *de variet. Relig. cap.* 9. sic docet. *Si primam originem & usum hujus vocis Canonicus spectemus, nil aliud à principio significasse videtur, quam Clericum sub regulâ viventem, & communem vitam Apostolorum more, cum aliis in Ecclesiastico Collegio observantem, nam Canon gracè, Regulam significat, unde Canonicus dictus est regularem vitam sequens, cum enim in principio Ecclesia vel omnes fideles vel saltem omnes Clerici communem vitam profiterentur, successu temporis multi etiam Clericorum relictâ vitâ communi cœperunt privatim vivere & proprium habere. Qui autem priorem statum retinuerunt, ut à communi Clericorum turba discernerentur, Canonici dicti sunt.* Idem tom. 4. luget antiquatam interpretationem à Regulâ, & ejus loco adinventam fuisse notham & spuriam à Præbenda.

Augustinus Barbosa *lib. de Canonic. cap.* 1. sic scribit. *Qui olim in cœtus congregati seorsum à cateris habitabant, non omnes Monachi erant, sed aliqui fuerunt, qui Monachorum instar, eumdem locum simul plures incolebant, unoque omnes refectorio & dormitorio utebantur, qui à communi vitâ Canonici dicti sunt. Quam beati* (prosequitur) *tunc temporis Canonici, quam fœlices Clerici intra Ecclesia septa habitantes, nec ullam periculosarum discursa-*

tionum, mundanarum occupationum, celebrandarum compotationum, agitandarum comessationum, conveniendarum mulierculárum, exercendarum grassationum, libidinum, turpitudinum, occasionem habentes, sed divinis laudibus, & contemplationibus, precibus, concionibus, officiis, cantibus, sacrificiis tantum vacantes; & tanquam Angeli quidam terrestres in paupertate, castitate & obedientiâ degentes, & solam Dei gloriam & suam aliorumque salutem procurantes.

Joannes Molanus *lib.* 1. *de Canonicis* etymologiæ hic assertæ, vocabuli *Canonici* à Regularis disciplinæ *Canone*, propugnator est, & hujus veritatis testis est omni exceptione major. Dum, non dicam his verbis, sed lacrymis deflet Canonicorum hujus ætatis defectionem à Regulâ, à quâ nomen sortitos fuisse censet. *Multùm*, inquit, *expedit ut qui dominorum Canonicorum titulum honorabilem in Ecclesiâ esse arbitramur; primùm animadvertamus, quantum distemus à priscis illis Canonicis, quibus hoc nomen à Regula sumptum est, cujus cum essent observantissimi, malebant humilioribus vocabulis, Clerici & Fratris dici, quàm à Canonicæ vitæ observatione, Canonici appellari, his indigni sumus qui connumeremur, si enim nostrorum temporum Canonicis antiquos Canones objicere vellem de obedientia sub Episcopo, de communi dormitorio, communi mensâ, & frugali victu & potu, claustrali Conventu & aliis nonnullis eò pertinentibus, vereor ne à multis audirem, hac nunc, non Canones, sed paleas esse.*

Non minori zelo Albertus Crantzius Doctor celebris

celebris & Hamburgensis Decanus, qui obiit an. 1517. *lib.* 4. *cap.* 1. Canonicum à regulari disciplinâ derivat. Postquam enim S. Unvani Canonicorum Instauratoris laudes prosequutus est, ait. *Interpretemur oro vocabulum, si Canon est Regula Canonici sunt Regulares; quid ergo fiet de Canonico sæculari, nisi ut Regularis sit irregularis, aut si id malumus, Regularis sine Regulâ. Erat is devotionis fervor ut inter fratres ipsi etiam Pontifices victitarent. Et sic dicebantur & erant Canonici.* Et in Bernardo 4. Paderb. Episc. *l.* 7. *c.* 50 ait. *Sub hoc Pontifice, adhuc observantia regularis inter Canonicos viguit, & sub eo commutatio facta de Regulari observantiâ ad statum Canonicorum secularium. Sed quærimus quid sit Canonicus secularis? nam interpretato nomine si Canon est Regula, Canonicus, est regularis ergo sæcularis Canonicus, est regularis, secularis, Regularis sine Regulâ aut regularum irregularisatio.*

Sed fortiora sunt argumenta petita à Conciliis, inter quæ Moguntinum sub Carolo Magno celebratum, cap. 9. sic statuit. *Ut Canonici Clerici Canonicè vivant, (id est) simul manducent & dormiant, & in suo claustro maneant, & singulis diebus manè primo ad lectionem veniant, & audiant, & obedientiam secundum Canones suis Magistris exhibeant.* Ubi vides hîc *Canonicè vivere*, non referri nisi ad regulam vitæ communis.

Similia habet Rhemense sub Leone 3. *cap.* 8. ubi legitur in hunc modum. *Lecti sunt Canones ut quisque Canonicus legem vitamque suam minimè ignoraret.*

Veteribus autem Conciliis, nova concinunt ab

C

eodem nempe dictata ſpiritu. Celebre eſt ad rem noſtram & inſtitutum, Decretum illud Concilii Colonienſis *anni* 1536. *cap.* 4. ſic. *Vt de Canonicis dicamus paucis, reſpondeat eorum vita titulo, reſpondeat nomini, ſint reipſa ut ſunt nomine id eſt regulares; neque enim clam eſt eorum originem Monaſticæ diſciplinæ fuiſſe; imitentur Apoſtolos, & naſcentis Eccleſiæ Miniſtros, quorum erat cor unum & anima una. Nam iſtæ Eccleſiæ Collegiatæ quandam vetuſtatem ſpirant, & Eccleſiæ Primitivæ inſtitutum præ ſe ferunt, quod vel forma ædificiorum oſtendit, quæ Canonicos prope templum in unum pœnè habitaculum collocavit, ut procul à promiſcuâ multitudine ſeparati divinis pariter laudibus inſiſterent.*

Porrò *Regulæ ſanctorum Patrum*, (à quâ, ceu proprio Canone, dictos fuiſſe Canonicos, tàm prædicta Concilia, quàm laudati Doctores & Patres exiſtimavere;) meminere ſancti Pontifices, apud aliquos Canonicos etiam poſt annum 1000. & tardiùs; ſive ea eſſet Aquiſgranenſis, quæ per antonomaſiam dicta ſemper fuit, *Regula ſanctorum Patrum*; concinnata in eo Concilio ſub Ludovico Pio, pro Canonicis inſtaurandis; ſive eſſet alicujus peculiaris Eccleſiæ Antiſtitis, Canones vitæ Clericalis ita complectentis, ut famâ illius & auctoritate ubique Eccleſiarum perſonante eam multi Canonici aſſumpſerint; qualis fuit ea Godegrandi Metenſis Epiſcopi; de quâ, ſicut & de Aquiſgranenſi, amplus ſermo à nobis infra ſuo loco habebitur. Hujus, inquam, *Regulæ SS. Patrum* mentio fit poſt annum 1000. Cujus rei exemplum eſto, Diploma Urbani II.

an. 1090. directum Ecclesiæ & Canonicis urbis S. Antonini in Episcopatu Rutenensi, cujus tenor hic est ex Autographo à me viso & perlecto. *Vrbanus Episcopus servuus servorum D.i dilecto Filio Petro Præposito Canonicæ S. Antonini Martyris tuisque successoribus Canonicè ordinandis in perpetuum. Cum universis sanctæ Ecclesiæ filiis ex Apostolicæ Sedis auctoritate ac benevolentiâ debitores existamus, illis tamen locis atque personis quæ specialiter Romanæ adhærent Ecclesiæ, quæque ampliore Religionis gratiâ eminent, propensiore convenit charitatis studio favere. Propter quod tuis charissime fili Petre justis petitionibus annuentes; vestram sancti Antonini Canonicam sub tutela protectioneque sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscipimus, ei confirmantes omnia, quæ vel nunc justè possidet, vel impôsterum justè potest adipisci; quousque vel qui ad præsens ibi Domino famulantur Canonici, vel qui futuris ibidem temporibus sunt servituri, regulariter vivere, & communiter vivendo propriumque non habendo tam Apostolica, quàm Beatorum Hieronymi, Augustini, & cæterorum Patrum de conversatione communiter viventium Clericorum studuerint instituta servare &c. Datum Romæ per manum Gothescalci Presbyteri vicesgerentis Cancellarii sacri Palatii anno* 1090. *indict.* 13. *an.* 5. *Domni Vrbani Papæ II.* Ecce in quo potissimùm sistebat regula hujusmodi sanctorum Patrum, *in vitâ scilicet communi & de communi.* Quam favente Deo iidem Canonici S. Antonini Episcopatûs Ruthenensis impræsentiarum perfectissimè observant, sub solius Augustini vexillis.

Quam quidem ſanctorum Patrum regulam & inſtitutionem ad ſolius Auguſtini leges tandem arctatam fuiſſe, à quibus, cur, & quo tempore, ſuo loco docebitur; libro ſcilicet peculiari de Canonicis Regularibus.

CAPUT VI.

Corollarium ex præcedentibus.

EX dictis in ſuperioribus capitibus, nitidè patet, interpretationum vocabuli Canonici, alias eſſe veluti nothas, alias verò genuinas & legitimas. Primi generis ſunt, quæ à Canone cantûs & pſalmodiæ, vel à Canone Præbendæ deſumuntur; ſecundi verò generis ſeu germanæ, quæ à Canone ſive catalogo Cleri, & Canone vitæ communis à Clericis in Epiſcopio & ſub Epiſcopo ducendæ, derivantur.

Ex quo palam eſt eam ſolam quæ deſumitur à catalogo Cleri, quæque olim Monachis, Cantoribus, & Virginibus competebat, fulgere in Canonicis ſecularibus noſtræ ætatis. In quo non ſatis mirari poſſum, cur tantoperè iidem Canonici, tantùm à Monachis & Monachiſmo abhorreant, cum olim Clericus & Monachus, communi Canonicorum nomine veniret, ut luculenter ſupra ex Theodoro Balſamone & Petro de Marcâ oſtenſum fuit.

Deinde cum conſtet, ex hoc gemino fonte, Catalogi ſcilicet, & vitæ communis, nominatos fuiſſe Canonicos; ut tot auctoritatibus probatum eſt, quis non concludat, Canonicos ſeculares Pa-

trum & Doctorum calculo, dimidiatos tantùm esse Canonicos? eos verò qui *Regulares* dicuntur, completè perfectéque tales esse reputandos idest Canonicos; cum catalogo suarum Canonicarum inscribantur, & vitam in communi & de communi sacris Canonibus Ecclesiæ conformem omnino vivant.

CAPUT VII.

An omnes Clerici, etiam in societate viventes, debeant, vel possint Canonicorum nomine insigniri?

NOn omnes, qui propriè germanéque Clerici sunt, Canonicorum nomine propterea venire possunt. Sed tantùm ii qui corpus aliquod Clericale sub aliquo capite, seu societatem aut communitatem Clericalem in majori Ecclesiâ Cathedrali ac etiam Parochiali conflabant. Unde Clericus, verbi gratia, qui in Oratorio, aut Martyrio aut Monasterio divinis serviebat officiis, non vocabatur Canonicus, secundum illud Concilii Arvernensis *ann.* 535. *Can.* 15. ***Si quis ex Presbyteris aut Diaconis qui neque in civitate, aut Parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans in Oratoriis officio sancto deserviens, festivitates præcipuas celebret alibi quàm cum suo Episcopo &c.*** Sed in communitate vivere debebat Clericus, & esse membrum illius sub Episcopo vel Abbate aut Præposito, ut posset esse & dici Canonicus. Quò pertinet illud

Turonensis Concilii 2. *an.* 567. *Can.* 19. decernentis : *Vt quotiescumque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit unus lector Canonicorum suorum cum illo ambulet, & in cella ubi ille jacet, lectorem habeat pro testimonio.* Vox enim *Canonicorum* in plurali numero, denotare videtur quamdam communitatem. Cui favet quod Sirmondus refert *in* 1. *tom. Conciliorum Gallicorum annum.* 658. Privilegium scilicet sancti Landerici Episcopi Parisiensis pro Monasterio sancti Dionysii, ubi de Clericis suæ Cathedralis Ecclesiæ loquitur in hunc modum. *Ut & nos & Canonicorum nostrorum communis fraternitas &c.* De Parochialibus verò Ecclesiis ac earum Canonicis sic habet Concilium Meldense *anni* 845. *Can.* 58. *Canonicorum autem qui in Parochiis tonsurantur & erudiuntur, interdum etiam ordinantur* sine auctoritate, *&c.* Porrò in Decretalibus, *maximè lib.* 3. *de Prabend. & Dignit. tit.* 5. *cap.* 9. *&* 19. usurpantur istæ voces, *recipi in Canonicum & fratrem.* Quæ quidem designant corpus aliquod Clericale & communitatem fratrum sub uno Capite, Præposito vel Episcopo. Hinc Basilius qui Canonicos primus omnium memorat, hoc nomine viros intelligit vitam in communi societate ducentes. Et Ivo Carnotensis *Ep.* 227. nominat illam actionem quâ quis in numerum Clericorum alicujus Ecclesiæ adsciscebatur, *Canonicationem.* Et contrà, expulsionem seudegradationem à Clero vocat Ildebertus Turonensis *Ep.* 35. *Excanonicationem.* Quod vocabulum usurpat Petrus Blesensis, in sermone de sancto Augustino, inducendo Præpositum, qui Clericum adscribendum societati Cle-

ricali, ſic alloquitur, *fili vis Canonicari.*

Ex quibus manifeſtum eſt, duo fuiſſe neceſſaria, ut Clerici poſſent vocari Canonici; 1. quòd cœtum aliquem, ſeu corpus, ac (ut vocant) Capitulum componerent, quod haberet facultatem tractandi negotia Capitulariter & Collegialiter, jus dicendi & ferendi ſententiam, haberet etiam aulam Capitularem, ſigillum commune, Syndicum, Theſaurum communem, & dignitates quibus Juriſdictio quædam ineſſet. 2. quòd Corpus illud eſſet *Clericale*, id eſt tale quod nullus poſſet ei incorporari ſeu admitti ſine tonſurâ Clericali ad minus.

Quapropter licet Monachi, corpus & ordinem conflarent, ac in ſocietatem coïrent, eſſentque apud illos plures Clerici, Diaconi & Preſbyteri, licet etiam officia divina ſolemniter & publicè celebrarent, tamen diſtinguntur ſemper iſtæ communitates Monaſticæ à Canonicalibus; quia cum non ſint Clericales ex ſuo inſtituto, opus non erat ut quis tonſurâ Clericali vel Sacerdotio inſigniretur ad hoc ut iſtis ordinibus Monaſticis nomen daret, nec etiam ut quis apud illos Abbas vel Prælatus eligeretur; quemadmodum exempli causâ exiſtimant DD. Benedictum & Franciſcum celebriores ex Archimandritis, ad Preſbyteratus ordinem non fuiſſe provectos. In hunc modum licet congregatis Monachis indultum fuerit celebrare divina myſteria, hoc non competit eis ex officio, eaque non obeunt in habitu Clericali ſed in cultu Monaſtico. Nec iterum ſufficiebat ut quis cenſeretur Canonicus, quod eſſet membrum alicujus corporis ſeu communitatis illiuſque prorſus Clericalis. Id enim convenire poſſet Seminariis Epiſcopalibus, ac communita-

tibus seu Congregationibus, Societatibusque plurimorum Clericorum nostræ ætatis ac nuper exortarum; sed præterea requirebatur ut suæ Congregationi, Collegioque Clericali ita adhæreret firmusque inibi remaneret, ut nonnisi maxima necessitate ac urgente Ecclesiæ utilitate inde posset avelli. Id testatur Urbani II. decretum *in Concilio Placentino relatum distinct.* 70. *cap. Sanctorum.* Volentis, *ut unusquisque in quâ titulatus est Ecclesiâ, in eâ tantum Canonicus habeatur, in eaque perpetuò perseveret.* Quam quidem perseverantiam seu adhæsionem in Clero, cui quis cooptatus fuerat, hæc passim apud Juris Pontificii Doctores usurpata vocabula testantur, *intitulari, alligari, incardinari, immatriculari.* Tamque stricta erat hujusmodi alligatio, ut severissimè animadverteretur in Clericos propriæ Ecclesiæ desertores, sic pronuntiante Concilio Nicæno *cap.* 16. *Quicumque sub Canone prorsus existentes recesserint à suâ Ecclesiâ, non debent suscipi in aliâ, sed cum omni necessitate cogantur ut redeant ad suam Ecclesiam, quod si permanserint, eos excommunicare oportet.*

Tria igitur ad essentiam Canonicatûs concurrunt, necessarioque desiderari videntur, Collegium, Tonsura Clericalis, sive Ordo sacer ex instituto, ac tandem firmitas seu perseverantia in eo statu. Nam de Capellanis ac simplicibus Beneficiatis Cathedralibus, cur non censeantur Canonici, dicetur infra ubi de *Capitulo Canonicorum.*

CAPUT VIII.

Antiquitas vocabuli Canonici investigatur.

LOngè antiquior eſt Canonicorum appellatio apud Græcos quàm apud Latinos. Familiaris enim fuit antiquiſſimis Patribus Baſilio, Cyrillo Jeroſolymitano, Chryſoſtomo. Prior D. Baſilius, tractatum edidit cui præfixit hunc titulum, Ἐπιτιμία εἰς τοὺς Κανονικούς. Nec non alium qui ſic habet, Ἐπιτιμία εἰς τὰς Κανονικάς, & Epiſtolam πρὸς Θεοδώραν Κανονικὴν περὶ βίου Κανονικοῦ. Conſtitutionem præterea aſceticam *in cap.* 19. περὶ τοὺς ἐν κοινοβίῳ Κανονικούς. Meminit etiam lib. de vera Virginitate ſub finem, Virginis cujuſdam quam vocat παρθένον τινὰ τῆς ἐκκλησίας Κανονικήν. Invehitur etiam ſanctus Pater in Ep. ad Amphilochium *can.* 6. & multis querelis luget τῶν Κανονικῶν τὰς πορνείας, quas jubet εἰς γάμον μὴ καταλογίζεσθαι ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ διασπᾶν αὐτῶν τὴν συνάφειαν. Scripſit denique Epiſtolam *Canonicis* de Filii Conſubſtantialitate. Ubi nota D. Baſilium in his tractatibus clarè & perſpicuè diſtinguere Canonicos à puris & ſimplicibus Monachis, maximè in capite illo 19. περὶ τοὺς ἐν κοινοβίῳ Κανονικούς.

Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus qui Theodoſio imperante obiit, in Præfatione ſuarum Catecheſium, ſic ſcribit: βλέπεις μοὶ τὸ σέμνον τοῦτο τῆς ἐκκλησίας κατάστημα, θεωρεῖς μοὶ τάξιν

καὶ ἐπισλήμην γραφῶν ἀνάγνωσιν Κανονικῶν παρουσίαν, διδασκαλίας ἀκολουθείαν.

Extat & D. Chryſoſtomi homilia, περὶ τοῦ μὴ τὰς κανονικὰς συνοικεῖν ἀνδράσι, *tom.* 4. *in medio. Edit. Pariſ.* 1636.

Conciliorum Laodiceni & Nicæni proceres, Canonici vocabulum uſurpare videntur, in priore quidem Concilio cap. 15. Cavetur *ne quis præter Canonicos Cantores aliqui canant in Eccleſiâ.* Ubi Zonaras ſupra citatus & noviſſimè Petrus de Marca etiam laudatus, intelligunt *Clericos ſeu Cleri catalogo inſcriptos. In poſteriore verò Concilio, nempe Nicæno capitibus* 3. 4. *&* 9. frequens fit mentio de Clericis ἐν τῷ Κανόνι ἐξεταζομένοις, qui quidem non alii fuerunt, quam qui uno verbo poſtea Canonici à ſanctis Patribus vocati fuere.

Apud Latinos verò diverſi diverſa ſentiunt. Quidam turpiter hallucinati ſcripſerunt appellationem Canonici octo præcedentibus ſeculis non eſſe vetuſtiorem. Azorius *lib.* 1. *Inſt. Morali cap.* 22. fatetur ſibi incertum quo tempore invecta & vulgata fuerit; ſcribit tamen, quoſdam dicere temporibus Pelagii primi, & Gregorii magni uſitari cœpiſſe. Quod & refert Michaël Francez *lib. de Cathed. Eccleſ. cap.* 14. *num.* 60. Nam in Concilio Turonenſi 2. *ſub Pelagio primo can.* 20. ſic habetur. *Pro qua re*, (id eſt ob vitandam ſuſpicionem incontinentiæ) *placuit obſervare ut quotieſcumque Archipresbyter* (Vicanus nempe ſeu Decanus ruralis) *ſive in vico manſerit, ſive ad villam ſuam ambulaverit unus lector Canonicorum ſuorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet.* Et in capite Dudum. 18. *q.* 2. ex Gregorio magno refertur. *Nec illic ulterius habeat poteſtatem,*

ne Monasteria hujus occasionis velamine, ea quæ prohibemus (simul cum Canonicis & Monachis in Ecclesiâ) sustinere onera compellantur. Quamquam hic locus mendosus esse videtur, cum Gratiani Correctores sustulerint totam parenthesim, auctoritate, aiunt, originalis & duorum Gratiani exemplarium; tamen Gregorius magnus *lib.* 3. *Ep.* 35. *Canonicos Sacerdotes* memorat. *Victori enim & Columbo Africæ Episcopis* scribens, de Donatistis conqueritur; *quod plurimi Catholici eorum dentibus venenatis fuerint laniati, ac Sacerdotes Canonicos pravissima de suis Ecclesiis temeritate fuisse repulsos.* Sed nec ibi Canonicos agnoscere est, eo sensu quo hîc inquirimus. Verùm hi qui Pelagio ac Gregorio Canonici mentionem non faciunt antiquiorem apud Latinos, aberrant à veritate. Nam in 2. Canone Concilii 3. Aurelianensis & 15. Arvernensis, celebris fit mentio, *de Clericis Canonicis.* Et *de Canonicis tam in civitate quam in Parochiis existentibus.* Utrumque autem habitum fuit sub Vigilio Papa, cujus ætas longa satis intercapedine superat tempora Pelagii primi, & Gregorii Magni; quorum prior anno 579. & posterior anno 615. floruere.

Accedit Sirmondus *tom.* 1. *Concil. Gall. an.* 658. qui meminit sub hunc annum privilegii concessi Monasterio S. Dionysii à Landerico Episcopo Parisiensi ubi celebris mentio fit *Canonicorum* his verbis. *Ut & nos & Canonicorum nostrorum communis fraternitas securitatis privilegium ederemus, &c.* Et in hac antiquitate immorandum est apud Latinos, ut ad originem Canonicorum investigandam nos conferamus.

CAPUT IX.

De origine Canonicorum.

QUæstio hîc moveri potest de Canonicis ut eorum hac tempestate se se mores habent, nimirum ut *seculares* sunt, & *singulares*. Vel ut olim collegialiter in claustris & vitâ communi degebant, quod erat usu & more loquendi sanctorum Patrum, *Canonicè vivere.*

Si primo modo, plane sit operam & oleum perdere, cum sive in sacris paginis, Conciliis, Patribus aut Jureconsultis, tale vitæ genus apud Clericos non memoretur, nisi ut toleratum, & tantùm non prohibitum, imo prorsus illaudatum. *Non prohibitum* quidem dicitur in Concilio Aquisgranensi *anni* 816. *cap.* 115. *&* 142. *Toleratum*, in Regulâ germana Godegrandi Metensis Episcopi *C.* 31. *Illaudatum* autem, ne dicam damnatum, apud Petrum Damiani, Epistolis duabus ad Alexandrum II. Ubi non uno argumentorum ariete, muros proprietatis & singularitatis apud Canonicos quatit ac pessumdat. Ita ut si Canonici tanto rationum ponderi resistere vellent, perinde sit ipsis ac oppedere contra tonitrua. Id perpendens egregius Canonicus secularis Joannes Molanus *lib.* 1. *de Canonicis cap.* 1. luget, *refrigescente charitate posteriorum seculorum Canonicos in tantam infœlicitatem incidisse, tantoque intervallo ab antiquis sejungi, ut vix umbram Canonicæ quæ inter illos fuit vitæ retinuisse videantur.* Intelligit sanè vir pru-

dens, non de moribus, quos in pluribus recentioribus, æquè ac vetustioribus inculpatissimos agnoscere est; sed de vitâ Collegiali & communi in claustris & Episcopiis, id est verè Canonicâ, (quam primævos vixisse nemo nescit) à nuperis abdicatâ, ut de propriis facultatibus in domibus separatis singulares victitent, interim dum antiqua dormitoria, refectoria communia, & claustra ac pomeria regularia larvis ac lemuribus incolenda relinquunt.

Porrò si originem Canonicorum aliquis reputet, illud tempus ac Epocham quâ tales ferre cœpit Ecclesia, in posterioribus daturi sumus.

De Canonicis igitur hîc nobis sermo est, ut ut Collegium conflare apti nati sunt, ut Clerici majores audiunt, ac Cathedralis & Episcopalis Ecclesiæ augustum Senatum conficiunt, sive secundum veram & exactam definitionem Canonicorum, quâ sic describi potest, *Canonicus est Clericus catalogo Cathedralis aut Collegialis Ecclesiæ adscriptus, sub & cum Episcopo in communi & de communi Ecclesiæ patrimonio vivens, stallum habens in Choro, & vocem in Capitulo.* Canonicorum, inquam, sic depictorum originem trahunt ab Apostolis. Azorius *Instit. Moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 22. *q.* 2. Panormitanus *in cap. Deum qui, de vitâ & honestate Clericorum.* Et Joannes Trullus de Canonicis *cap.* 7. *n.* 2. Barbosa cum pluribus ab eo citatis *de Canonic. cap.* 1. *ex num.* 3. *cum seqq.* & amplissimè Gabriel Pennotus *in Histor. Tripart. toto lib.* 1. Sed cum hi omnes rationem unicam petant, *à communi vita Apostolorum*, quam æmulatos fuisse primævos Canonicos existimant; partialem

tantum originem eorum attingunt; non autem plenam & perfectam, quæ eorum definitioni convenit. Quippe cum, *vita communis*, sit quasi genericum quid in definitione *Canonici* Collegialiter viventis; nam eam æquè hauriunt ab Apostolis Monachi cœnobitæ, & omnes Ordines Mendicantium, à quibus, cum Canonici specie differant, in his aliquid invenire est specificum quo & in esse Canonicali constituantur, & per quod discernantur ab aliis; quod sanè aliud à *vita communi* esse debet, utpote quæ Canonicis, Monachis & Ordinibus Mendicantium convenit. Igitur ut originem Canonicorum secundum genus & speciem ac differentiam in notata supra definitione, inveniamus, ad aliud quam ad Apostolos & eorum vitam communem; recurrendum est. Nisi forsan quis occurrat & dicat, posse Canonicos originem nancisci ab *Apostolis*, si unà cum vitâ communi consideretur Clericatus, utrumque enim fulsit in Apostolis & videtur esse fundamentum completæ & perfectæ originis Canonicorum. Non inficior, præcipuas dotes perfectorum & antiquorum Canonicorum, fuisse Clericatum cum vitâ conjunctum, quas quidem hausere ab Apostolis: sed adhuc contendo iis dotibus non totaliter constitui in esse Canonicali, cum sint & fuerint in Ecclesiâ plures *Clerici regulares*, vitam communem cum Clericatu conjungentes, qui tamen Canonicorum nomine non veniunt. Unde considerandæ sunt proprietates quædam specificæ in Canonicis, præter communem vitam quam ducebant antiquitus, & Clericatum cum ea vita communi conjunctum; ex quarum proprietatum specificarum consideratione in Canonicis, eorum origo

integra & completa investigari poterit. Sunt autem hujusmodi proprietates, tum eæ, quæ in superiori definitione Canonici continentur; tùm aliæ passim in toto hoc libro supra descriptæ, putà, quòd Canonici sint Clerus Episcopi, sint ejus Consiliarii, fratres, membra, sint etiam Senatus Ecclesiæ & Presbyteri Cardinales, ac Clerici primi gradus.

Quibus dotibus si Canonici condecorati & insigniti considerentur, ut par est, rectè existimaverim *Canonicos* cum Cathedralibus Ecclesiis natos esse. In quarum erectione, Episcopi solebant adsciscere sibi sanctioris propositi Clericos, qui in Episcopio vitam sine proprietate communem & obedientiam profiterentur, quique erant Antistitum in regimine Consiliarii, & in perferendis laboribus Coadjutores. Sic doctè & solidè (meo quidem judicio) sensere gravis Auctor Lotterius *de Re Beneficiaria lib.* 1. *q.* 19. *ex num.* 3. & Michaël Francez *lib. de Cathedrali Eccles. cap.* 14. *num.* 1. 2. *&* 86. ac tandem Rodulphus Cupiers *in Can. oportebat*, 79. *distinct.*

Cui quidem propugnandæ sententiæ, prima ratio videtur adduci posse, quia olim Clerici, qui communem cum Episcopo servabant victûs & vitæ regulam & modum in claustris, *Canonicè vivere dicuntur* in Concilio Aquisgranensi *anni* 816. *cap.* 117. & in Moguntino sub Carolo Magno *cap.* 9. & est caput *In omnibus* 34. *de Consecratione.* At verò hoc modo in claustris & Episcopiis convivere non potuerunt Clerici, nisi ortis & excitatis Ecclesiis Cathedralibus. Igitur verè & unicè Canonicorum origo petenda est ab ortu & erectione Cathedralium.

Secunda ratio sic stabilitur. Ii qui de Clericis, primò, sub nomine Canonicorum meminere, sunt Basilius, Cyrillus Jerosolymitanus, & alii supra laudati; at nonnisi de Clericis adunatis in Ecclesiis Episcopalibus loquuntur. Et deinde antiquissima quæ extet Canonicorum mentio in Conciliis tum Græcis tum Latinis, quorum testimonia supra retulimus, semper Cathedralitatem supponit.

Cujus quidem Cathedralitatis initiis investigandis, non minimam operam impendit Jureconsultus Clarissimus Michaël Francez *lib. de Cathedralib. Ecclesiis nuper Lugduni edito, in cap. 2.* cujus mentem ex multis in hâc rem operosissimè ac etiam obscuriùs ab ipso discussis, quantum instituto nostro convenit, dilucidè ac breviter aperio.

Postquam sibi totum orbem diviserunt Apostoli, Ecclesias erexere & in majoribus urbibus Episcopos instituêre, (ut ait Cyprianus Ep. 52.) ætate antiquos, in fide integros, in pressurâ probatos, & in persecutione præscriptos. Tunc autem non erat adhuc distinctio Parochiarum seu peculiarium Ecclesiarum, sed in omnibus hinc inde ædificatis per Diœcesim Ecclesiis æquè Episcopus præsidebat, cum non adhuc adesset proprius Pastor, ac totius diœcesis curam gerens, omnes decimas, & alia bona percipiebat, & inter se ac alios Clericos dispensabat. Ita ut omnes Clerici de manu ejus illas perciperent; donec Evaristus, quintùs post D. Petrum Pontifex, in urbe Româ Ecclesias Presbyteris divisit. Sed in persecutione Valeriani, ab Ecclesiis avulsi fuerunt Presbyteri, & in Cœmeteriis convenire Christiani prohibiti. Illo tandem de medio sublato, paceque Ecclesiis restitutâ Gallieno imperante, & ab eodem liberâ facultate

facultate concessâ Christianis cœmeteria adeundi; illarum Ecclesiarum pluribus Presbyteris martyrio coronatis, ad easdem iterum dividendas ac pro ratione distribuendas, cœmeteriaque singulis assignanda, Dionysii Pontificis auctoritate opus fuit, ut optimè declarat Baronius *anno Christi* 270. *numero finali*. Et latiùs dixerat, *anno* 37. *num*. 80. A quo quidem Dionysii Pontificis tempore seu anno 250. vel 270. Ecclesiæ singulæ singulis Sacerdotibus assignatæ fuerunt, & unusquisque proprium cœpit habere territorium & certam partem bonorum, ac unicuique Ecclesiæ proprius Pastor constitutus est, majore Ecclesiâ, cum selecta bonorum portione Episcopo & ejus convictoribus Clericis reservatâ. Qui quidem Episcopus cum in ea majore Ecclesiâ sederet, ipse jam superior aliarum, ex eâ sessione & affixione orta est desponsatio Episcopi cum illa majore Ecclesiâ, in cujus desponsationis signum, annulum defert. Indeque essentia Cathedralitatis orta est. Cujus ratio constitutiva in eo sita est, quod Episcopus sedeat in Ecclesiâ jure desponsationis quam contrahit cum illâ; & ex eâ desponsatione superioritatem in omnes diœcesis inferiores Ecclesias exerceat.

Cum tamen usque ad Constantini tempora, statim atque Ecclesiæ excitabantur, persecutionum procellæ ac tyrannorum rabies eas demoliri satagebat; nullibi ferè potuit esse pes fixus & firmus, donec Constantino anno 324. ad fidem converso, Ecclesia Catholica publicis functionibus & sacrificiis celebrare cœpit, & Dedicationes Ecclesiarum, solemni pompâ fieri cœperunt, unde ab eo tempore animadvertere libuit in Ecclesiâ

politiam illam ſummam , ornatum & ordinem, quibus in noſtris templis Deus colitur. Ac præterea, unam inter cæteras erectam Superiorem ac Matricem Eccleſiam, quæ cum mater & Magiſtra cæterarum eſſet, Epiſcopi ſedes fuit, & Cathedralis dicta.

Quâ ſtatim erectâ Præſules ſelegere Clericos ad perfectiorem vitam tendentes, eoſque aſſumpſere ut ſecum in Epiſcopio, in communi mensâ & ſub obedientia viverent; qui quidem iis eſſent vitæ integerrimæ teſtes, in negotiis conſiliarii & in arduis coadjutores. Ex quo quidem perfectiſſimo genere vitæ, normaque ſeu regula perfectæ diſciplinæ, cùm cæteris omnibus Clericis Diœceſis prælucerent, *Canonici* appellati ſunt. Idque rectiſſimè, cum *Canon*, *regulam*, normam ac ordinem ſignificet ut latè ſupra probatum eſt. Nulloque aptiori nomine conveniebat illos appellari, qui militantis Eccleſiæ veluti acies ordinata, Dei caſtra, id eſt ordinatiſſimos Angelorum choros religiosâ vitâ, ordine hierarchico & moribus integerrimis apprimè referebant.

Sic igitur veriùs & nitidiùs originem Canonicorum indagamus, ab ortu Cathedralitatis, quam ut aliqui, licet graves Auctores, ab Apoſtolis & Diſcipulis Domini; qui tamen nobiſcum concilian-tur à Pinedâ ac Valenzuelâ laudatis à Michaële Francez *cap. 2. & 14. lib. de Cathedr. Eccleſ.* dum ſcribunt Canonicos inſtitutionis ſuæ radices, & prima fundamenta, Clericatum ſcilicet & vitam communem, haurire ab Apoſtolis & Diſcipulis Domini; nomen verò, & pleniorem, ſeu (ut aiunt) formalem rationem Canonicatûs, à primoribus Clericis Cathedralibus Epiſcopo con-

vivcntibus, seu ab eorum vitâ maximè regulari, in communi domo, communique refectorio & claustro; ita ut inde oriretur & conflaretur corpus quoddam seu societas, cui firmiter & perseveranter adhærebatur: & præstantissimum illud vitæ genus dictum fuit, *Canonica vita* & ejus Professores *Canonici*.

Ex quibus colligere licet exortos fuisse Canonicos, paulò post Constantini tempora, ut scitè observavit Michaël Francez *cap.* 14. *de Eccles. Cathed, n.* 86. 87. *&* 88. Qui cum antea dicerentur *Clerus illius vel istius Ecclesiæ*, aut *Clerici excellentioris virtutis*, aut *Clerici majores audirent*; postea à sanctis Patribus & Doctoribus in Græca Ecclesia citiùs, in Latina seriùs, Canonici appellati sunt.

CAPUT X.

Causæ institutionis Canonicorum inquiruntur.

NOn tantùm ad splendorem majorem Cathedralium, & ad augendam majestatem militantis Ecclesiæ, ut rectè quidam sentiunt, instituti sunt Canonici dum venerabilis Clericorum cœtus sacris operatur in eisdem Ecclesiis; sed etiam gravioribus de causis adinventi sunt. Quarum primaria est, quia opus erat sapientibus viris qui Senatum Ecclesiæ merito & morum integritate conflarent, juxta Tridentinum Sess. 24. Inde Canonici dicti sunt Episcopi *Consiliarii*, sine quibus

pleraque negotia Episcopus facere non potest: pro quo inscribitur titulus, *De his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.* Quæ quidem ad duo genera rerum extendi possunt. 1. Ad ea quæ totius Diœcesis regimen spectant, de quibus locus luculentus est Capite *Episcopus distinct.* 24. & ex Alexandro tertio, *cap. Novit*, & *cap. Quanto*, ubi Canonici dicuntur Membra & Fratres Episcopi, & unum corpus cum eo existere, eorumque consilium in Ecclesiæ negotiis Episcopum requirere debere pronuntiatur. 2. Ad ea quæ Capitulum seu bonam disciplinam Canonicorum spectant, de quo insignis est locus Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 12. ubi Senatûs Ecclesiæ nomine insigniuntur Canonici.

Secunda causa institutionis Canonicorum fuit, ut essent Cooperatores & Coadjutores Episcoporum. Id probat Synodus Tridentina *cap.* 12. *Sess.* 24. ubi definit, *Canonicos ad conservandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuisse institutos, & ut Episcopos opera & officio juvarent. Et Isidorus l.* 2. *de Eccles. Offic. cap.* 7. *relatus capite* 8. *Concil. Aquisgran. an.* 816. de Canonicis hæc habet. *Presbyteris sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est, præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione Domini Corporis & Sanguinis consortes sunt cum Episcopis, similiter & in doctrina populorum & in officio prædicandi.* Quod & factitavere olim dum in baptisandis Cathecumenis, & catechisandis rudibus, Evangeliique prædicatione messis Domini operarii seu Missionarii Episcopo accederent Canonici, visitationumque ac stationum (quas olim assiduas per

inferiores Diœcesis Ecclesias faciebant) comites essent individui, maximè verò Episcopos operâ juvabant, cum Cathedrales Ecclesiæ, majorum civitatum unicæ ab initio Parochiales essent Ecclesiæ, quò frequentes populi ad Sacramenta percipienda & verbum Dei audiendum undique confluebant.

Tertiam adhuc causam institutionis Canonicorum suppeditat Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 12. ubi eorum munus & officium declarat, *in Choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter distincteque laudare.* Quod muneris eis tributum non fuit, nisi cum disseminato Evangelio, propagata fide, ac Ministris multiplicatis, Parochialibus etiam Ecclesiis ubique erectis, Canonicorum operâ non ita frequenter opus fuit; quibus tunc in Ecclesiâ Cathedrali sedentariis divinas laudes cantandi provincia demandata fuit; quæ quidem antea ipsis in ministerio Ecclesiæ occupatissimis, laïcis primò, Monachis subinde, tributa fuerat. Nam, quod id muneris non pertineret ad Canonicos hierarchicis olim mancipatos ministeriis patet ex Gregorio Capite *In sancta Ecclesia.* ubi nedum Diaconis in Choro cantare licet. Quod verò plebi demandata primùm fuerit cantandi provincia colligitur ex Concilio Laodiceno sub Sylvestro cap. 15. ubi populus tumultuariè cantillans ad ordinem reducitur; & de cujus cacophonia querebatur adhuc suo tempore Chrysostomus. In Latina autem Ecclesia ille mos vigebat etiam circa annum 450. ut testatur Onuphrius Panuinus in descriptione Ecclesiæ Lateranensis. Deinde laïcis id officii perfunctoriè adimplentibus, cantandi partes

ad Monachos transiere, quod tradit Anastasius Bibliothecarius in gestis Gregorii IV. anno 827. qui in Ecclesiâ Beatæ Mariæ trans Tyberim Monachos instituerat, qui Dei laudes diu noctuque ibi præcinerent. Id etiam docet idem Onuphrius in descriptione eâdem Ecclesiæ Lateranensis. Illud etiam in usu erat circa annum 600. in Ecclesia Antissiodorensi, ut dyptica illius Ecclesiæ referunt sub Tetrico Episcopo. Denique crescente Canonicorum numero, cum ipsi in ministeriis hierarchicis, à Parochis & aliis frequentibus Clericis per universam Ecclesiam respersis, exonerari ac liberari cœperunt; illud divinum opus sibi peculiariter assumpsere, ut Dei laudes in Ecclesia decantarent. Quas quidem *per se & non per substitutos persolvere*, jubentur districtè à Patribus Tridentinis *Sess.* 24. *cap.* 12. Id jam decreverat Concilium Coloniense *anni* 1536. *part.* 3. *c.* 5. his verbis. *Omnes pariter, senes cum junioribus laudent nomen Domini in psalmis.* Et subdit. *Quàm autem à vero aberrant qui existimant se se non alicujus officii in Ecclesia exercendi, sed quietis & inertiæ tantùm causâ Canonicatus esse adeptos, perinde atque satis sit paucis quibusdam Clericis admodum ignaris, tenui pretio conductis, curam divini officii committi, quod deinde ejusmodi mercenarii non servatis interstitiis syncopando transcurrunt, interim ipsis Canonicis totâ vitâ torpentibus.* Hinc Navarrus de Oratione *cap.* 13. ait. *Extantes nec psallentes cum aliis, etiamsi Canonici sint, tutâ sonscientiâ in Choro, non posse distributiones percipere* Soto, *de Iustit. & jure lib.* 10. *qu.* 5. *a.* 4. asseverat *stipendia non ut assi-*

ſtant dumtaxat, ſed re verâ ut pſallant eſſe Canonicis conſtituta, imo verò eò res pervenit ut dedignentur canere, putentque ſuæ Majeſtati derogari, ſed Cappellanis inferioris Claſſis id committunt. Vide quàm ſint ſui officii immemores, ego ipſe ab eorum quibuſdam rogatus ſum, utrum debito ſolvendi horas ſatisfaciant, ſi domi eas non ſolvant, ſed in Choro cantando? quod profectò audiens hinc riſu, hinc mœſtitia afficiebar. Succinit Emanuël *in Summa tit.* 1 *c.* 145. *Canonicos domi recitantes & aſſiſtentes in Choro non recitando nec cantando teneri reſtituere diſtributiones quaſi totas.* Confirmat Azorius *Inſtit. Moral. lib.* 10. *c.* 2. *qu.* 5. *Ratione Cantûs in Choro & non ratione ſolius præſentiæ, Canonici acquirunt eos fructus, quos diſtributiones vocant.* At quod datur ob cauſam eâ non ſequutâ minimè debetur. Idem ſentiunt Rodericus, Filiucius & Leſſius. Nec ſolvit, quod pluribus in locis, ſuis ſumptibus conducant Cantores & Vicarios qui ſuo defectui ſuppleant, nam id eò factum, ut meliùs & majori cum concentu & melodiâ caneretur, ſupplendo defectum Canonicorum qui cantandi methodum ſæpè non callent, ſed non ut muti ſint. Quamquam temperari poteſt rigor ſententiæ prædictorum Doctorum, dicendo cum Paulo Comitolo *lib.* 1. *Reſponſ. Moral. qu.* 62. & Joanne Petro Moneta, *in tractatu de diſtribut. quotidian. p.* 2. *qu.* 2. *Non teneri Canonicos canere cum officium ſit cantu figurato, vel per muſica inſtrumenta; quamvis enim licitus ſit & permiſſus, non tamen eſt neceſſarius, nec ab Eccleſiâ præceptus, ſicut eſt cantus firmus ſeu communis: neque enim decet*

eorum gravitatem illo genere cantûs uti; *unde licet tunc taceant, non peccant nec restituere tenentur.* Idem putat dicendum de quibusdam quæ ad lectoria cantantur & difficilia sunt in cantu firmo & communi, ut sunt Gradualia, Offertoria, Responsoria quædam, modo id benè præstent Vicarii. Unde obligatio rigorosa canendi reducitur ad Psalmos, Hymnos & Cantica. Ubi verò abessent Vicarii, (ait idem) aut Capellani conducti, tunc ad Canonicos id oneris pertineret etiam sub pœna amissionis quotidianarum distributionum, propter generale statutum & præceptum de canendis in Ecclesiâ divinis officiis.

Quartam etiam causam eamque præcipuam crediderim institutionis Canonicorum, nimirum ut essent convictores Episcoporum, eorumque vitæ testes. Unde describuntur in Conciliis Toletano 2. & 4. & Aquisgranensi sub Stephano cap. 135. degentes *in domo Ecclesiæ*, & *sub Episcopali præsentiâ.* Sic autem habet Toletanum 4. cap. 21. *Oportet Episcopos testimonium probabilium personarum conversationis & vitæ in conclavi suo habere, ut & Deo placeant per conversationem bonam, & Ecclesiæ per optimam famam.* Et cap. 22. *Similiter placuit ut quemadmodum Antistites ita Presbyteri atque Levitæ, quos forte infirmitas atque ætatis gravitas in conclavi Episcopi manere non sinit, ut & iidem in cellulis suis testes vitæ habeant.* Ex hoc convictu, Collegium Canonicorum extitit Seminarium Episcopi, ubi ex præscripto 2. Concilii Toletani, *juniores à primis infantiæ annis detonsi erudiebantur à præpositis in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentiâ*; & provectiores inde assume-

bantur in Pastores, verbi Dei præcones, & messis divinæ operarios. Ab Episcopo enim scripturarum sanctarum scientiam, ut ab ore Christi quondam Apostoli, hauriebant Canonici, hunc ut Magistrum auscultabant, discipuli; hunc amabant, huicque suberant ut filii. Exemplum profert hujus rei Fortunatus Episcopus Pictaviensis, in Germano Episcopo Parisiensi de quo scribit.

In medio Germanus adest Antistes honore,
Qui regit hinc juvenes, subregit inde senes.

Denique Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 12. Ideo etiam institutos censet Canonicos, ut Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, adsisterent & inservirent, sicut in veteri lege ideo Levitæ instituti fuerant ut summo Sacerdoti Aaron in ministerio inservirent. Hinc Clemens 8. in Ceremoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 8. ait. *Episcopo sive Missam celebret, vel ad Vesperas officium faciat, convenit duos adsistere Canonicos, & debent Episcopo solemniter celebranti assistere ultra illos alii duo, qui serviant ipsi in officio Diaconi & Subdiaconi pro Evangelio & Epistola cantandis.* Addit Lælius Zecchius *in lib. de Repub. Eccles. cap.* 24. *num.* 2. *post medium.* Quod *Episcopo celebranti solemniter & Pontificalia exercenti Canonici & in dignitate constituti inservire & ministrare debent*, & *quod ipsos cogere potest ad sibi præstandum ministerium & assistentiam, cum id agit in Cathedrali Ecclesiâ, vel extra Cathedralem in civitate, at verò secus dum est in Diœcesi & extra civitatem.* Cardinales inter-

pretes Concilii Tridentini illud idem declarant quod Zecchius *in Seß.* 24. *cap.* 12. *num.* 43. & addunt, *in suburbiis* teneri adesse Episcopo celebranti, præter *civitatem*. Præterea eum Pontificaliter celebraturum debent Canonici & in dignitate constituti deducere ad Ecclesiam euntem, ac reducere. Lælius Zecchius ibidem *num.* 5. & 6. Id decernit Cœremoniale Episcoporum jussu Clementis VIII. editum *lib.* 1. *cap.* 15. conceptis verbis. Accedunt Cardinales interpretes *in Seß.* 24. *cap.* 12. *num.* 44. qui addunt, *non solum Canonicos simplices, sed & dignitates & portionarios debere deducere ipsum Episcopum solemniter celebraturum*; sicque definiêre contra dignitates Ecclesiæ Abulensis qui prætendebant se non esse comprehensos in decreto *Seß.* 24. *cap.* 12. Concilii Tridentini, ideoque totum id oneris Canonicis imponebant; ad quorum simplicium Canonicorum instantiam, dignitates & portionarii ad illam deductionem adacti sunt. Quod autem de deductione dicitur, intelligi debet de reductione; juxta eumdem Lælium Zecchium ibidem, & Cardinales interpretes etiam ibidem num. 44.

CAPUT XI.

De Capitulo Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium.

AUreis illis Ecclesiæ temporibus, quibus Clerici in Episcopiis congregati simul in communi & de communi vivebant, eorum societas modo *Congregatio*, modo *Conventus*, modo *Collegium*

vocabatur, ac tandem partitis inter ſe ſe facultatibus, & eorum Menſa ab Epiſcopali ſeparatâ, antiquatis *Congregationis* & *Conventûs* vocabulis, quæ quidem perfectam communitatem & cohabitationem ſapiebant; *Capituli* tandem apud Canonicos Cathedrales nomen invaluit, quippe qui *Congregationis & Conventûs* vocabula Monachis, & *Collegii* Eccleſiis Abbatialibus ſecularisatis reliquêre, ſibi ſuæque Eccleſiæ Cathedrali peculiariter *Capituli* nomine vindicato & reſervato. Quod & factitatum paſſim, circa undecimum ſeculum ut colligere licet ex pluribus Cathedralium inſtrumentis quæ in divite penu libri intitulati *Gallia Chriſtiana* leguntur, maximè ubi de Eccleſiâ Pariſienſi ſermo eſt; ibi enim ſocietas Canonicorum non vocatur *Capitulum* ante annum 1153. cum prius ſæpe ſæpius *Congregatio* nominetur. Secularitas igitur id nominis invexit, ita tamen ſubobſcuri ut in eo explicando & interpretando non parum Jureconſulti & alii graves Auctores laborarint.

Sumitur autem *Capitulum* vel pro perſonis congregatis; vel pro loco ubi conveniunt Canonici.

Pro primo ſenſu, nempe Capitulo ſumpto pro Canonicis congregatis; ſunt qui à tributo Capitulari, *Capitulum* derivent; quod Græcè dicitur ἐπικεφάλαιον φόρος, unde Imperator Conſtantinus *lib* 14. 15. *&* 18. *de ſordid. munerib. in Codic. Theodoſ.* vocat *Capitularios*, eos qui certa debita & præſtationes debent accipere. Et Caſſiodorus meminit *Capitulariorum horrei*. Qui exiſtimant Canonicos dici à *Canone* ut Præbendam ſignificat, anſam hîc habent, quâ dicant re-

ctè Canonicos congregatos vocari Capitulum, vel Capitularios, quia certam præstationem annuam vel menstruam de bonis Ecclesiæ percipiunt.

Capitulum D. Paulo ad Hebræos 8. est summa quædam dicendorum, Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. Et Capitulum dicitur *à Capite*, quasi parvum Caput; quod apud lexicon Juris sumitur pro initio seu origine cujuscumque rei. Qua posita interpretatione Joannes Creccelius, Benedictus Haëftenus Monachus Affligeniensis, & alii, existimant Comitia Canonicorum & Religiosorum vocata fuisse *Capitula*, quia singulis diebus ipsis congregatis aut convocatis statim incipiebatur à lectione alicujus Capitis vel sacrarum scripturarum vel suarum institutionum, quâ finitâ de communi profectu & rebus temporalibus agebatur. Id sanè quadrat Concilio Aquisgranensi *anni* 816. ubi *capite* 123. sic decernitur. *Quotidie Canonici ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem & aliarum scripturarum sanctarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, ubi etiam de communi profectu & utilitate Ecclesiâ pertractent.* Id primo mane, quotidie agendum jam decreverat Concilium Moguntiacum *anni* 813. *cap.* 9. Quod autem pro universis præscripserant Concilia Aquisgranense & Moguntinum; fideliter observatum fuit in aliis peculiaribus Ecclesiis. Et Parisiensis instar omnium esse potest, ubi inter statuta illud inter alia legitur. *Oriente sole Canonici redeunt ad Chorum laudes Deo soluturi, inde ad Capitulum progrediuntur, ubi gestis Sanctorum & Diptycis Defunctorum perlectis fiunt preces pro eorum requie, postea ter petito Dei adjutorio*

subjungitur versus cum Collectâ, & Lector data benedictione legit Canonem seu Caput Regulæ, quod omnes cum summa reverentia auscultant. *Canonem* nempe à quo Canonici dicti sunt, & *Caput Regulæ*, à quo *Capitulum* dictum fuit. Illam consuetudinem proculdubio hauserat Parisiensis Ecclesia à Senonensi Metropolitanâ, ubi olim maximè celebris erat *lectio horæ primæ*, quæ in Capitulo quotidie mane prælegebatur, recitabaturque aliquid tum ex SS. Patribus, aut Canonibus, tum ex Regula Canonica Concilii Aquisgranensis, ut colligitur ex Martyrologio hodierno illius Ecclesiæ, quæ tandem in Breviario novo, pro illâ celebri lectione antiqua, contenta fuit optare suis Canonicis *gaudium & pacem ab æternæ gloriæ Rege tribuendam.* In Breviario Romano fit ad horam primam mentio absolutionis Capituli; quod intelligi debet de absolutâ seu finitâ lectione, sive capite aut capitulo Regulæ seu *Canonis*; vel de absolutione, contra Regulam commissarum culparum, secundum supra notata ex Concilio Aquisgranensi *cap.* 123. Desuevit autem utique lectio illa alicujus Capituli Regulæ aut Canonis, ne surdis caneretur. Et Canon ille seu Regula, non erat aliud quam collectio ex Concilio Aquisgranensi, ut notare licet ex eodem capite 123. ejusdem Concilii, & ex dicto Martyrologio Senonensi; quod & amplius notabitur in libro 2. ubi de vulgari Regula omnium antiquorum Canonicorum sermo erit.

Capitulum dici, quod primores Ecclesiastici, qui sunt totius Cleri Capita in unum conveniant & considеant, censet Mathias Martinius in lexico Philologico *V. Capitulum.* Qua ratione Joannes

Genuensis *in Catholico* Capitolium olim dictum fuisse scribit, quod ibi Capita civitatis convenirent.

Aliis placet, *Capitulum* dici, quia in eâ societate capitatim sententiæ feruntur, quibus collectis conficiebantur decreta quæ propterea dicta fuere ab Antiquis *Capitula* & *Capitularia*, quo nomine insignes sunt leges à Carolo Magno sancitæ.

Lotterius & Petrus Gregorius in aliam transeunt sententiam, Capitulum dici à Capite, Præposito vel Decano qui Congregationi Canonicorum præest, idque ut à nobiliori & potiori parte. Namque (ait Petrus Gregorius) *conveniunt Collegiati sodales vel fratres ad locum quemdam cum capite sibi dato, & hinc Capitulum nominatur. Habent siquidem omnes Congregationes Ecclesiasticæ quemdam qui inter illos præsit & primus sit; velut parvum caput, & illa Congregatio à digniori parte quæ est Decanus, Capitulum* dicitur. Dixit, *parvum caput*, nam solidè observant celebres Jureconsulti Lælius Zecchius *Reipub. Eccles. cap.* 24. Cucchus *de officio & potestate Capituli*, Episcopum esse Caput Cathedralis Ecclesiæ, Canonicos verò congregatos sub Decano, Capitulum conficere, sive *parvum Caput*. Quæ quidem sententia ita arrisit docto & pio Canonico Lascariensi D. Bordenavio *in suo opere de Cathedralibus Ecclesiis*, ut Episcopum & Capitulum in regimine Cathedralis Ecclesiæ conferat cum cerebro, & cerebello capitis humani in regimine totius corporis; ita ut sicut cerebellum à cerebro dependet, ab eoque spiritus in reliquum corpus infundendos mutuatur; sic *Capitulum, Capiti* Episcopo subjici & ab eo sua lumina haurire

debet, quibus toti Clero & plebi Christianæ prælucere possit.

Sed ut de his interpretationibus dicam quod sentio; salvo meliori judicio, primas meretur sententia quæ Capitulum derivat, ex eo quod Canonici *Capitatim* decernunt de suis rebus spiritualibus & temporalibus, unde *Capitularias* suas leges conficiunt.

Magni ponderis videtur doctis quibusdam interpretatio à Capitulo lectionis quæ prælegebatur congregatis olim Canonicis, de quâ multis supra disseruimus. Sed nullo fundamento solido nititur hæc sententia; cum ab antiquissimo tempore hæc lectio fieri soleret in Congregatione Canonicâ, ex Concilio Aquisgranensi: vel etiam Monasticâ, de ea enim loquitur S. Benedictus in sua Regulâ. Attamen nulli antiquorum venit in mentem, hanc lectionem denominare *Capitulum*, sed omnes veteres Patres, & etiam Concilia, hanc lectionem vocavere *Collationem.* Ut quid igitur divinant *vocabulum Capituli* invectum post undecimum seculum, ideo esse inventum, ut lectionis seu Collationis antiquissimæ Capitulum, seu summam recitari in Congregatione solitam designaret, indeque derivatum fuisse. Maximè cùm ab undecimo illo seculo, quo potissimùm Capituli vox pro designanda Canonicorũ Congregatione vulgari cœpit, hujusmodi lectio & Collatio apud Canonicos in secularitatem vergentes, cœperit in dies desuescere.

Nunc verò si vocabulum *Capituli* sumatur pro loco ubi convenire & considere solent Canonici pro tractandis Ecclesiæ negotiis, eo modo usurpatur, sicut in scholis, classes nominantur Rhetorica, Logica, Physica, quod ibi hæ artes vel scien-

tiæ doceantur, & locus ubi lavantur pedes pauperum vel Canonicorum aut Monachorum humilitatis exercendæ causa, dicitur, *Mandatum*. Nulla autem fit mentio istius loci *Capitularis* in Conciliis Aquisgranensi & Moguntino noni seculi, ubi tamen de claustro, refectorio, dormitorio Canonicorum amplissimus sermo est. Nec etiam in *Concordia Regularum* Benedicti Anianensis, ubi passim occurrit dormitorii ac refectorii cæterorumque locorum conventualium mentio, de Capitulo autem tacetur ac siletur.

Quapropter conjiciunt aliqui, *Capituli* vocabulum, pro loco & *aula Capitulari*, usitari cœpisse circa nonum seculum. Probat autem inter alios ex Amalarii & Haymonis atque Honorii Augustodunensis quibusdam locis sed obscuris Benedictus Haëftenus in disquisitionibus Monasticis.

Porrò observandum Canonicorum Congregationi propriè convenire *Capitulum* quod vocant *aulam Capitularem*. Cum cameræ principaliores Magnatum *aulæ* nuncupentur. Nam cum majores Ecclesiæ sint Regiæ Dei supremi Principis, ubi tanquam in domo propria seu Palatio residet & colitur, camera tanti Regis ubi ipsius negotia tam circa gubernationem rei familiaris quàm spiritualium proventuum geruntur, *aula* debet appellari.

CAPUT

CAPUT XII.

De Capitulo Collegiatarum Ecclesiarum.

SUperiori Capite monuimus, Canonicos Cathedrales, relicta vita communi, & vocabulis Congregationis ac Conventûs apud ipsos antiquatis, *Capituli* nomen suæ societati tribuisse. Et eodem tempore Abbatiales Ecclesias Canonicorum, de quibus amplissimus sermo est in Conciliis Moguntino *anni* 813. *cap.* 21. *&* 22. Turonensi *ejusdem anni cap.* 24. Parisiensi, *anni* 829. *cap.* 37. Vernensi *an.* 755. *Collegii* nomen, Monasterii loco sibi indidisse, & loco *Abbatum*, *Decanos* elegisse; aut *Præpositos*: cujus rei non leve vestigium est; quod etiamnum insigniores Collegiatæ; verbi gratia S. Martini Turonensis, sancti Aniani Aurelianensis Honorarios adhuc habeant Abbates, Regem, vel principes viros; & nemo nescit omnes ferè illustriores Ecclesias Collegiatas olim Abbatibus fuisse subjectas, ut de San-quintinianâ Veromandiæ speciali libro probavit nuperus Auctor Carolus de la Fons San-quintinianus, à simili, de multis aliis argumentatus; qui & supinam eorum oscitantiam arguit, qui statim atque *Abbatiam* legunt, vel *Monasterium*, statim omnia monastica ariolantur; cum peritioribus notum sit, *Abbates* & *Monasteria* passim ad *Canonicos* olim pertinuisse.

De Collegiatis hujusmodi, quæri potest, an ipsis competat privilegium habendi aulam Capitularem, sicut Cathedralibus. Competere autem

docent plures apud Michaëlem Francez *cap. 22, num.* 36. Ratio autem cur utrisque conveniat hoc privilegium, ea est. Cum Canonici ex suâ institutione destinentur, ut simul divino cultui mancipentur, ut corpus faciant, commune sigillum habeant, arcam communem & Syndicum, adinstar Collegii congregantur; contrà quam in Ecclesiis inferioribus, ubi Clerici congregati ut singuli Collegium non constituunt, & licet congregentur, non Collegialiter congregantur: & ideo Capitulum facere prohibentur, ut cum Gonzali & Boërio probant Barbosa & Coccinus locis à Michaële Francez adductis. Collegialibus autem Ecclesiis id juris competit, quæ cum habeant jus habendi Collegium, Capitulum similiter constituunt, ex Rota, Riccio & Guidone. Beneficiati verò Ecclesiarum majorum, seu dimidii Canonici aut Semipræbendati, cum non sint instituti ut Collegialiter concurrant, ex eo quod Capituli & Ecclesiæ regimen ad Canonicos pertineat, Capitulum non constituunt, sed soli Canonici. Quamvis autem ejusmodi Semipræbendati & Beneficiati, ex privilegio, Capitulo intersint, licet intrent in Capitulum, non sunt tamen de Capitulo. Et licet aliquando congregentur inter se ex concessione Canonicorum, non congregantur ut Capitulum, sed ut Conventus confraternitatis, ut notavit Ragutius *de voce Canonicorum in Capitulo. q.* 1. Etenim Capitulum significat adunationem collegialiter factam, Conventio verò, Congregationem plurium ut singulorum, juxta Felinum & Guidonem; quia nequeunt constituere unum corpus, quod facit essentiam Collegii, in quo plures colliguntur potestate pares, non ut privati & sin-

guli, sed ut universi, quia his ab Ecclesiâ vel Republicâ vel Principe jus quoddam universitatis, quoad eorum bona translatum est. Convocantur igitur Canonici medio Præside ad sonum campanæ, Beneficiati verò seu Semipræbendati aut Parochiales Clerici congregantur. Inter quæ maximum versatur discrimen, quia homines *convocantur* propriè sumpto vocabulo. *Congregari* verò non est proprium hominis tantùm, sed & quibusdam aliis animantibus convenit, ut probat Ricciulus *Lucubrat. Ecclesiast. lib.* 4. *cap.* 2. Inde colligitur inter alia, quàm diversa scientia requiratur in Canonicis, & Beneficiariis inferioribus: quàm maxima scilicet in Canonicis; nam in his, providetur Ecclesiæ majori; in illis verò providetur personæ singulari; in Canonicis etiam considerari debet, ex suâ institutione deputatos esse ut sint Consiliarii Episcopi & Senatus Ecclesiæ, quibus propterea necessaria est rerum maxima peritia, maximè cum pleraque negotia Episcopus sine consensu Capituli facere non possit. Et illud est quod curant modo totis viribus Episcopi ad quorum collationem pertinent Canonicatus, ut viros cordatos & sapientes eligant & verè venerabiles, quibus nunc Cathedrales Ecclesiæ refertissimæ sunt, ita ut nullum locum amplius habeat quod refert Hostiensis & post eum Joannes Andreæ, & alii de Canonicis Argentinis; qui cum non possent concordare de creandis Canonicis, convenerunt quod quilibet Canonicus crearet suum, & cum unusquisque crearet nepotem vel consanguineum indignum, quidam Romanus, Canonicus ejusdem Ecclesiæ nominavit asinum suum.

CAPUT XIII.

De Abbatibus & Magistris Canonicorum.

SUperiores Canonicorum ad quinque classes reduci possunt, nempe Episcoporum, Abbatum, Magistrorum, Præpositorum ac Decanorum. Episcopi & Abbates, *Prælatorum* nomine exprimuntur in Concilio Aquisgranensi an. 816. capitib. 123. 134. 138. & 139. In capite 134. Episcopus specialiter nominatur, *cujus judicio canonicarum institutionum contemptores plectendi sunt.* Ibidem postea fit sermo in genere, de aliis *Prælatis qui dignitate Episcopo inferiores sunt*, qui non alii sunt quàm *Abbates, Magistri, Præpositi & Decani.*

Quoad *Abbates* Canonicorum, ea dignitas æquè fulgebat apud Canonicos olim, ac apud Monachos. Quippe quæ *paternitatem* significat, juxta illa scripturæ verba, *Abba pater.* Marci 14. Pauli ad Rom. 8. & ad Galat. 4. Hinc egregiè dicitur in Concilio Parisiensi sub Gregorio 4. an. 829. cap. 37. *Decet, imo necesse est ut Abbates Canonicorum, attendant ut quid Abbates vocentur, si Patres spirituales sunt & filios spiritales Domino gignant, juxta illud Apostoli, secundum Evangelium meum ego vos genui, meritò patres appellantur, si verò secus incesserint, tanto nomine se indignos faciunt.* Et paulo post additur. *Unde summoperè providendum est, ut hujusmodi Abbates ab illicitis se abstineant, & dictis & exemplis sibi subditis ater-*

num ducatum præbere contendant. Nihil autem frequentius occurrit in Conciliis antiquis, post Episcopalem gradum, quàm Abbatialis dignitas etiam pro Canonicis regendis; sicut enim Episcopi in Cathedralibus, sic Abbates in Monasteriis præerant Canonicis. Et ne in recensendis locis prolixior factus tædium afferam, satis superque sufficiet adnotare illud Concilii Moguntini an. 813. cap. 21. *Episcopi sciant qualiter Canonici qui sunt cum Abbatibus vivant, & præcipimus ut unusquisque Episcopus sciat per singula Monasteria quantos quisque Abbas Canonicos in Monasterio suo habeat.* Et cap. 22. *Clerici qui sunt sine Capite neque in servitio Domini nostri, neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine Canonicâ seu Regulari vitâ viventes, &c.* In Concilio Turonensi an. 813. postquam cap. 23. sermo fuit de Canonicis qui in Episcopiis conversantur, cap. 24. sic scribitur. *Simili modo & Abbates Monasteriorum, in quibus Canonica vita antiquitùs fuit, vel nunc videtur esse, sollicitè suis provideant Canonicis, ut habeant claustra & dormitoria &c. Sintque Abbates sibi subditis benè vivendo duces & prævii.* Postea ad Abbates Monachorum S. Benedicti sermo devolvitur. Quod si opponat aliquis, ea sancita fuisse pro *Regularibus Canonicis*, maximè cum iis locis *Monasterii* mentio fiat. Sed occurro. Si per *Regulares* intelliguntur *voventes*, de iis ibi sermo fieri non potuit, cùm *voti solemnis* nondum extaret memoria; si autem per *Regulares* intelliguntur, vitam in communi ducentes in claustris, dormitoriis ac refectoriis, fateor de his misceri sermonem: sed observare est, omnes tunc

id vitæ genus eâ ætate vixisse, vel vivere debuisse, unde pro omnibus omnino Canonicis eas leges edixere prædicta Concilia. Ad id quod dicitur ibi fieri Monasterii mentionem, respondeti potest æquè Cathedralium Canonicorum domum eâ ætate vocatam fuisse Monasterium. Pro quo notare licet illud Concilii Aquisgranensis 816. cap. 138. *Canonici* (Cathedrales scilicet) *qui incorrigibiles extiterint, à Monasterio propellantur.* Igitur eâ ætate & citiùs, cum nulla tunc fieret Decanorum mentio, Canonici qui extra Episcopales domos degebant, Abbatibus suberant & obediebant, & eorum domus non dicebatur Ecclesia Collegiata, sed Monasterium; cœpit autem Collegiatarum Ecclesiarum haberi mentio, dum apud Abbatias secularitas est invecta. (Quod, quo tempore & quâ ratione factum sit in sequenti libro declarabitur.) Assertionis autem nostræ veritas ex eo patet, quod Collegiatæ Ecclesiæ mille annis antiquiores, erant olim Abbatiales, id inductione probari posset, & jam de San-Quintinianâ percelebri in Veromanduâ notavimus, in quâ multi nominantur Abbates, priusquam de Decanis mentio fieret, similiter legimus in quadam cartha Pastoralis Parisiensis, Henricum primum Himberto Episcopo Parisiensi tradidisse plures Ecclesias olim Abbatiæ titulo insignes, eâ lege ut ibi constituerentur Canonici communiter viventes; tabula talis est. *Henricus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverit posteritas quod Himbertus Parisiacensis Ecclesiæ Episcopus nostra serenitatis adierit præsentiam, obnixè postulans ut quasdam Ecclesias in suburbio Parisiacensi nostra potestati & antecessorum antiquitus mancipatas S. Stephani*

scilicet, Juliani Martyris, Severini solitarii, nec non & S. Bachii, quarum quædam olim Abbatiarum dignitate sublimatæ, sed propter Regni perturbationem rebus spoliatæ parvum aut nullum antiquæ professionis retinuerant statum, Congregationi sanctæ Mariæ concederemus, ut ibi Canonici aggregarentur qui pro statu & incolumitate Regni nostri exorantes, ad utrumque sufficiant, scilicet & ad stationem more solito reddendam Ecclesiæ, & ad serviendum Canonicè valeant communiter degere. Ubi vides inter alias Ecclesias, eam quæ sancti Stephani à Græcis modo dicitur, fuisse Abbatiam antequam esset Collegialis Ecclesia. Et de Aurelianensi civitate loquens Stephanus Tornacensis Ep. 77. memorat *tres Abbatias Clericorum quæ in ea civitate sunt, scilicet S. Petri virorum, S. Petri puellarum, & sancti Aviti*, quæ hodie tres Ecclesiæ Collegiatæ sunt. Sed tempus me deficeret in talibus recensendis.

Magistrorum etiam nomine indigitati sunt Canonicorum Prælati. Id colligitur ex pluribus locis qui hinc inde decerpi possent ex Conciliis: satis sit hic loci delibare illud Concilii Moguntini an. 813. cap. 9. *Decrevimus ut Canonici nil sine licentia Episcopi sui vel Magistri agere præsumant*, & illud Concilii Aquisgranensis an. 816. cap. 134. *Si quis frater in Congregatione Canonicâ constitutus horas Canonicas frequentare neglexerit, Ecclesiam non religiosè sed pompaticè intraverit, ad collationem venire distulerit, obedientiam à Magistris sibi injunctam agere recusaverit &c. crebrius admoneatur.* Sed Magistrorum titulus apud Canonicos jam pridem

obſolevit, remanſitque ſolum apud Prælatos domorum ſeu hoſpitiorum Dei, ubi miniſtrant Canonici regulares, qui ibi non tantum Priorum, ſed Magiſtrorum titulis cohoneſtantur.

Hîc autem quærere poſſet aliquis, quâ ratione *Abbatum* id eſt *Patrum*, & *Magiſtrorum* nomen apud Canonicos, locum habuerit, maximè cum Chriſtus Math. 23. *Patrem* vel *Magiſtrum ſuper terram vocari* quemquam prohibuerit? hanc quæſtionem movet Hieronymus occaſione Monachorum Paleſtinæ & Ægypti qui ſe invicem patres conſalutabant. Et ſic ſolvit lib. 4. in Math. cap. 23. *Aliud eſt eſſe naturâ Patrem vel Magiſtrum, aliud indulgentiâ, nos ſi hominem vocamus Patrem, honorem ætati deferimus, non auctorem noſtræ oſtendimus vitæ. Magiſter quoque dicitur ex conſortio veri Magiſtri. Igitur quo modo unus per naturam Deus & unus filius non præjudicat cæteris, ne per adoptionem, Dii, vocentur & Filii; ita & unus Pater & Magiſter non præjudicat aliis, ut abuſivè appellentur Patres & Magiſtri.*

CAPUT XIV.

De Præpoſitis & Decanis Canonicorum.

PRæpoſitorum nomen celebre fuit apud Canonicos. De his loquitur Concilium Aquiſgranenſe an. 816. & ait capite 139. *Ipſos Prioratûs curam ſub Prælatis gerere.* Ubi nota per *Prælatos* ibi intelligi Epiſcopos vel *Abbates*, quorum illi Cathedralibus, hi verò Monaſteriis præerant, non

verò (ut quidam oſcitanter putavere) per *Prælatos* ibi intelligendos eſſe *Decanos*, quibus olim ſubfuerint *Præpoſiti*. Nemo enim tantiſper antiquitatem ſapit, qui neſciat, *Decani* vocabulum apud Canonicos haud pridem fuiſſe uſitatum, & ex quo inventum fuit, ſemper & ubique *Decanos Præpoſitis* fuiſſe inferiores. Nulla autem Decanorum apud Canonicos mentio facta fuit in antiquis Conciliis Moguntino, Aquiſgranenſi, & aliis ubi deditâ operâ Canonicorum inſtaurationi adlaboratum fuit, nec in Regula vetuſtiſſima Godegrandi Metenſis Epiſcopi pro ſuis Canonicis exaratâ. Irrepſit autem circa nonum ſeculum deſumptumque fuit à Monachis Ægyptiis & Palæſtinis apud quos ex Hieronymo *Ep.* 22. novem hominibus Decanus præerat, vel ex Regulâ S. Benedicti *cap.* 21. ubi de Decanorum electione ſermo eſt. Præpoſitorum autem originem agnoſcunt alii in Galliâ an. 813. ex Concilio Remenſi, ubi *Præpoſitorum electio fieri jubetur ſecundum Canones*. Alii in Germania eodem anno 813. ex Concilio Moguntino, *cap.* 5. ubi *Præpoſiti* memorantur qui curam bonorum Eccleſiaſticorum gererent ſub Epiſcopis vel Abbatibus. Et ex Aquiſgranenſi anni 816. ſupra citato capite 139. Auctores Galliæ Chriſtianæ, ubi de Remenſi Eccleſiâ; aiunt, quod Præpoſiti erat habere curam victûs & veſtitûs Clericorum, contractus conficere, & alia id genus, quæ habentur in Indiculo Miniſtrorum Eccleſiæ Rhemenſis confecto ab Ebbone Archiepiſcopo qui florebat 825. anno. Cujus Indiculi extat exemplar ad calcem Flodoardi, ubi ſic ponitur. *Præpoſitum decet cura interior ac exterior in rebus & familia ſalvandis, atque ſecundum*

Deum gubernandis, & agris, vineis, sylvis, hortis, emptionibus procurandis, insuper & de qualitate necessaria ædificiorum sive quantitate. Interior verò sollicitudo ejus esse debet, dispensatio fratrum publica, honestè disposita in victu & potu sive omni subsidio corporali. Addere poterant laudati Auctores, etiam Præpositi fuisse spiritalem profectum Canonicorum curare, unde idem Ebbo ibidem, vult *Præpositum studium habere ornatûs corporalis & spiritalis fratrum; corporalis in clausurâ, refectorio, dormitorio & habitationibus necessariis; spiritalis verò in zelo correptionis morum, dum per gravitatem levitatis motum reprehendit; vaniloquium suo rigore depellit, & negligentias omnium fratrum publicè deprehensas in Capitulo omnium fratrum judicio punit.* Hanc doctrinam edoctus fuerat Ebbo à proceribus Concilii Aquisgranensis anni 816. ubi in *cap.* 139. quoad temporalium administrationem legitur, *debent Præpositi esse utiles congregationi commissæ & de ministerio commisso fideliter prodesse, & ea quæ fratribus dare debent cum charitate tempore opportuno incunctanter præbere, quatenus de fideli administratione gradum bonum acquirant.* Quoad verò spiritale regimen, sic habetur cap. 117. *Præpositorum officii est subditorum mentes sanctarum scripturarum lectionibus assiduè munire, ne lupus invisibilis aditum inveniat quo ovile Domini ingredi & aliquam ovium subripere valeat.* Cum autem & temporalibus & spiritualibus curis plus æquo distenderetur Præpositorum animus, adscivere sibi *Decanos*, ut ipsis onera regiminis partiendo in illa negotiorum mole ferenda suble-

varentur. Id obſervant Auctores Galliæ Chriſtianæ in Eccleſiâ Rhemenſi, ubi ex Indiculo citato Ebbonis, patet Præpoſitum Remenſem pluribus Decanis præfuiſſe. Quod & eodem modo factitatum fuit in aliis Eccleſiis, ita ut Præpoſiti temporalem adminiſtrationem ſibi reſervantes, ſpiritalis regiminis provinciam Decanis demandarent. Sed inde Præpoſitis temporalia malè gerentibus & divitiarum abundantia plurimùm elatis & Canonicæ Congregationi infeſtis; inde verò Decanorum ex ſpiritali regimine & unione cum Capitulo, auctoritate creſcente; hi faventibus aliis Canonicis, Præpoſitos à principe loco quem obtinebant, deturbarunt, hac maximè ratione ducti quòd ſpiritali Rectori, qualis erat Decanus, ſuperioritas deberetur ſupra Præpoſitum temporalia tantùm tractantem. Sic enim argumentabatur Decanus Leodienſis Wazo qui (ut referunt Faſti Leodienſes circa annum 1041.) de ſuperioritate diſputans cum Joanne Præpoſito, ei reſcribebat in hunc modum; *Spiritualia namque ſæcularibus dignè præponuntur, quantum ſtolido corpori rationalis anima principatur.* Deinde querelis utique ferè motis de importuna Præpoſitorum dominatione; tùm Principum, cùm Epiſcoporum auctoritate ſubmoti ſunt, & eorum loco ſuffecti Decani. Ubi tamen obſervare eſt remanſiſſe pluribus in locis & Eccleſiis Præpoſitos, in iis nimirum ubi ipſi ſuum munus præclarè geſſerunt. Maximè in illis quæ vitam communem & regularem diutius ſervavere, ut patet in pluribus Germaniæ, ac Galliæ Narbonenſis, Provinciis; quod in eam ſententiam induxit Auctores Galliæ Chriſtianæ, ut dicerent, ubi de Præpoſitis Remenſibus loquuntur, quod *hoc*

munus Præpositorum in Ecclesiis Cathedralibus exolevit, ex quo Canonici simul panem frangere & intra septa ejusdem claustri degere sub uno moderatore cessaverunt. Sicut etiam Decani apud Collegiales Ecclesias suffecti sunt, quæ prius Abbatiales erant; dum ea dignitas Abbatialis usurpata fuit à nobilibus & secularibus viris; qui cum Monasteria per seipsos regere non possent, Decanos sibi substituêre qui Canonico cœtui sicut & Monastico, præessent. Quod constat ex Aimoini Continuatore *lib.* 5. *cap.* 34. *&* 42. ubi dicitur. *Quin etiam usque ad tempora Roberti Regis ea quæ Abbates accipiebant, Robertus Comes Parisiorum, & Hugo Magnus sibi addixerunt, & statuentes Decanos Monachis, sibi nomen Abbatis usurpaverunt.* Quod & amplius elucidabitur ubi de Canonicis secularibus, nimirum ortis ex illa Nobilium depravatione & bonorum Ecclesiasticorum per ipsos deprædatione; dum Monachi, & Canonici plures, ab iis divexati, regularem disciplinam in suis quique Ecclesiis servare non potuerunt.

Finis Libri primi.

LIBER SECUNDUS DE CANONICIS SECVLARIBVS,

UBI EORUM NOMEN, ORIGO; discrimen ab antiquis discutiuntur; notantur etiam Epochæ ac causæ secularitatis, & tandem comparatio seu parallilon instituitur eorum cum Regularibus.

CAPUT PRIMUM.

Præfatiuncula, ubi Auctor aperit, quâ mente accedat ad tractationem de Canonicis secularibus.

NON est hîc animus, vel intentum, venerabilis Canonicorum secularium ordinis quemquam lacessere, vel cuiquam detrahere; imo verò magnorum virorum quibus refertissimus est ille ordo, præclaras virtutes, sublimesque titulos

efferre ac suspicere. Nullo enim modo ferendus essem, si de meâ meorumque professione regulari tumens & insolescens, Canonicorum gradum è secularitatis denominatione deprimerem. Enimvero mihi illud Augustini in Psalmum 131. regerere posset aliquis, *sunt & Monachi falsi sicut & Clerici falsi*. Et illud Salviani lib. 7. de Judic. Dei. *Multos* (ait) *invenias Religiosos sub specie Religionis secularibus vitiis mancipatos, qui post veterum flagitiorum probrosa crimina titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conversatione alii, sed professione nomen tantùm demutarint, non vitam*. Sed ad rem & institutum nostrum scitè Petrus Blesensis epist. ad Corrup. suor. operum. *Deflendum est quod in Canonicis qui quod evomuerunt seculum, Regulares dicuntur, frequenter seculi amor recidivat, suamque readificantes Jericho, quam in prima conversione subverterant, ignem & cineres ambitionis suscitant jam sopitos*.

Non igitur in *Religionis*, & Regularitatis titulo insolescendum est; nec etiam ut verba ejusdem Salviani secularibus Canonicis adscribam, *Degeneri paucorum inter illos inquinamento, corruptelâque morum pradamnari inclitum illorum ordinem aquum existimarim*. Sed potius quod in quàmplurimis illorum, virtutis & pietatis emicat, imitatione consequi, quod scientiæ, quod dignitatis, quod splendoris suspicere debent Canonici Regulares. Sic enim eorum & benevolentiam & existimationem consequentur singularem, indeque fiet, ut præclari illius ordinis quisque Canonicus, Regularium erga se modestia provocatus in easdem voces erumpat, ac celebris Canonicus secularis Pe-

trus Blesensis qui *Regularium* sui temporis virtutes ac genus vitæ miratus, loco citato, ait. *Canonicorum Regularium pedes brachiis devotissima humilitatis amplector, scio enim quod præ cunctis secularibus Clericis, tantò differentiùs virtutum titulos referunt, quantò impressioribus vestigiis Apostolorum regulis inhæserunt; ipsi enim in humilitate, obedientia, charitate & cæteris quibus Regnum Dei rapitur ac possidetur, indefessa sollicitudine se se exercent, Christo militant, in Psalmis, in Hymnis, in cælestium susurriis, in amplexibus sponsi. Unde non præfero eorum Religioni nostræ secularitatis incertum, non dico cum Naaman Syro, meliores esse fluvios Damasci Abana & Phasphar omnibus aquis Israël; non dico cum Gedeone quod meliores sunt racemi Ephraïm vindemiis Abiezer, neque homines Angelis, neque comparo terras cælis, sed imperfectum, quæso, nostrum videant oculi eorum.* Ecce quo donantur elogio Regulares Canonici à Blesensi; sed vereantur, ne non sibi conveniant tot virtutum tituli, & subinde ingrati animi dedecus vitantes; reverentiam quanta potest esse maxima, tam inclito ordini rependant. Alioquin idem Blesensis, æquè eorum virtutibus, cum adsunt, favens; ac vitiis, cum apparent, infestus, sic castigaret insolescentem Regularem Canonicum, his verbis, ex loco citato desumptis. *Clericorum voluptates accusas, quas apud plerosque spiritales in Christo, potius censeo, quàm carnales; novi quàmplurimos, quibus ad occasionem turpitudinis suspectior esset sua camera, quàm forte tibi Ecclesia, plus fortasse in tuis semicinctiis, quàm Clericus in*

bysso & purpura gloriaris. Melior est purpurata humilitas, quam pannosa superbia; vide ne speciem pietatis habeas & non cultum. Porrò non auferunt conscientiæ vermem habitus & Tonsura, regnum Dei intra nos est, non in exteriori cultu. Nonnullos Clericos novi qui quasi nihil possidentes, multa possid.nt, non enim habent sibi, sed omnibus quidquid habent. Putas eos omnes ita elongatos à Deo, ita suæ salutis immemores, & in reprobum sensum datos, ut eos aut gehennalis miseriæ timor, aut cælestis gloriæ beatitudo non excitet? Numquid disciplinæ & pœnitentiæ & cæt.rorum quæ ad spiritale pertinent exercitium, penitus sunt ignari? non oportet omnes regulari militiæ nomen dare. Credo non minoris esse meriti citra professionis vinculum, & assumpta n.c.ssitatis angariam, simpliciter ambulare cum Deo, & custodire vas suum in sanctificatione & gratiâ, suasque manus à sordibus munerum excutere; quàm detrectare onus impositum, & luctari cum obedientiæ jugo. Religio munda & immaculata hæc est custodire se immaculatum ab hoc seculo, & se in operibus misericordiæ exercere.

Monitos igitur velim lectores, me in hoc opere Aristarchum agere minime velle: sed de Canonicis secularibus differendo eos ut dominos colere, ut fratres amplecti, ac velut illustriorem gregis Christi portionem, & sicut tot sydera, regnum cœlorum, quod est Ecclesia, suarum luce virtutum maximè collustrantia revereri: quorum etiam virtus mihi eo magis suspicienda est; quod iis carere videntur adminiculis, quibus regulares, etiam difficilè Canonicam perfectionem assequi conantur;

conantur; quòdque inter eos multi licet commixti inter gentes, gentilitiâ tamen contagione sint prorsus immunes; ac seculares dicti, secularium tamen mores, seculo minimè conformes, nullatenus imbiberint.

CAPUT II.

De nomine & appellatione Canonicorum Secularium.

PLures è numero tùm Canonicorum, cùm etiam Presbyterorum ac Clericorum ægriùs ferre videntur, quod seculares vocentur; laudabiles quidem in hoc, quod sicut nolunt conformari huic seculo nequam, ita etiam à vocabulo & adjecto, secularitatis abhorrent, & illud censent à viris divino mancipatis obsequio procul amandari videre. Nam nomen *secularis* opponi *Clericali* colligitur ex Concilio Agathensi Can. 4. Remensi Can. 10. Cabilonensi I. Can. 5. Matisconensi I. Can. 18. Matisconensi II. Can. 15. Hieronymo Ep. 8. ad Demetriadem, Gregorio Magno lib. 4. Ep. 44. Indict. 13. Sumitur in sacris litteris vox *secularis* in malam partem, pro viro carnali & terrestri apud D. Paulum passim, Genesis 6. Job 22. Psalmo 48. Item in Concilio Arvernensi in Epistola ad Theodebertum Regem apud Concilia Sirmondi tom. 1. pag. 246. Demum apud Tertullianum lib. de velandis Virginibus cap. 7. & Ambrosium tom. 2. in Psalm. 118. octon. 7. & 12.

Attamen ne mihi de hac appellatione, in limine hujus libri & passim in sequentibus traditâ, succenseatur; moneri velim hîc lectorem, me Canonicis id nominis non tribuisse, nisi postquam à Conciliis & Pontificibus iis tributum fuit, maximè à Concilio Tridentino, in quo pleraque leguntur variis locis, de Canonicis secularibus, maximè Sessione 7. de Reformatione cap. 14. Antea Leo X. Constitutione 20. quâ damnat Pragmaticam Sanctionem paragrapho 9. apud Laërtii Cherubini Bullarium, multa habet de Canonicis secularibus. In eodem Bullario extat celebre Diploma Gregorii XII. pro Canonicis secularibus in meliorem ordinem restituendis. Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis scribens anno 1220. in Historia Occidentali cap. 30. plurima habet de Canonicis secularibus. Eo denique respexit Concilium Lateranense, statuens ne Canonicorum filii, Canonici fiant in *secularibus Ecclesiis*, in quibus eorum patres instituti sunt. Quibus perpensis, sic scribit Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 25. Illud verò quod nos Canonicos seculares vocent, meritò neminem nostri Ordinis offendere potest, cum frequenter eo nomine à Regularibus Canonicis in ipsis sacrosanctis Conciliis distinguamur.

CAPUT III.

Quo sensu Canonici, Seculares dicuntur.

SEculares dicuntur, quòd jam rejectâ vitâ communi, quam olim in Claustris & Episcopiis degebant, peculiaribus bonis gaudentes, inter secu-

lares & utriusque sexûs personas commisceantur. Et hæc est mens Joannis Molani, quam perbellè confirmat pius Auctor Adamus Præmonstratensis, *Si Canonici*, (inquit) *quomodo seculares? si seculares, qua ratione Canonici? Sed esto. Nec ipsum culpemus usum loquendi; sit, quod sic appellentur; non quia criminibus seculi, ipsi seculo conformati implicentur; sed pro eo quod tam arctum vivendi propositum non amplectuntur, quam illi tenere videntur, qui regulares appellantur.* Sed Tertulliani oraculum iisdem adaptatum rem conficit, quod de omnibus Christianis protulit, lib. de spectaculis cap. 15. *Etiamsi* (ait) *in seculo morentur, in secularibus tamen separantur, quia seculum Dei est, secularia autem Diaboli.* Eo igitur sensu Canonici *seculares* dicuntur, quia in seculo morantur; & in hoc separantur à Regularibus, qui in claustris & domo communi viventes, seculo penitus renuntiarunt.

CAPUT IV.

Duplex Canonicorum Secularium genus describitur.

JAcobus de Vitriaco doctus & pius Cardinalis *in Historia sua Occidentali*, quam circa annum 1220. conscripsit, capite 30. depingit vivis coloribus duplex Canonicorum secularium genus, unum indisciplinatè viventium, alterum omni virtutum genere præditorum. Cujus verba hîc

libuit referre, ut ex una parte Canonici, si qui sunt indisciplinatè viventes, in hac tabula quasi in speculo suam deformitatem agnoscant, & inde suæ turpitudinis horrore correpti resipiscant; aliunde verò in virtute exercitati Canonici præclarorum olim virorum sui Ordinis rectè factis ad charismata meliora provocentur.

De prioribus seu indisciplinatè viventibus sic Vitriacensis. *Multi temporibus istis reperiuntur Canonici vero nomine seculares, qui ut Episcopi fierent, quatuor vellent habere pollices, qui cum regulariter non vivant, falsò sibi Canonici nomen usurpant, umbram nominis retinentes, virtutem autem abnegantes. Sicut enim homo pictus non est homo, & denarius falsus, denarius non est, ita qui hujusmodi sunt Canonici seculares, Canonici non sunt. Quo enim pacto Canonici idest regulares censentur, quorum regula est irregulariter vivere, quorum lex est sine lege moveri, & post concupiscentias suas abire? propria voluntati absque ulla contradictione passim frana laxare, curam carnis in desideriis facere? cum omni lascivia & dissolutione per viam latam, qua ducit ad inferos, indisciplinatè ambulare? crucifixi patrimonium luxu multiplici superconsumere. Pauper Lazarus extra januam mendicat, Christus ad ostia plorat, mimus & histrio ad mensam cantat, multa vestium mutatoria ad ostentationem vanitatis in pertica extenduntur, & Christi pauperes fame & frigore cruciantur; & quod emit Christus sanguine proprio, consumunt in apparatu regio; quod acquisivit opprobriis & percussionibus, consumunt in conviviis & ebrietatibus; hic in præ-*

ſepio, hi in Palatiis; hic in aſello, iſti in phaleris; hic in panniculis, iſti in ſericis; hic in cruce, iſti in balneis. Qui de crucis titulo nonniſi fomenta libidinis & materiam vanitatis requirunt, filium Dei rurſum crucifigentes opibus multiplicantur, dilatantur Præbendis & dignitatibus, honoribus gloriantur, auro & argēto & plenis loculis impinguantur, qui Dominū partem hæreditatis ſuæ profeſſi ſunt, & Chriſti humilitatem & paupertatem imitari promiſerunt. Quanto autem & quam deteſtabili ſacrilegio Chriſti patrimoniūm & prædia pauperum in uſus vanitatis convertant, non ſolùm ſolemnitas magnifici apparatûs, & numeroſior equitatus oſtendit; ſed & canes & volucres, ſcurræ & ioculatores, alea pernox, & cantatrices & palpantes adulatores manifeſtiùs oſtentant; ubi autem tympana ſonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, Paraſitus in contumeliis gloriatur, quis ibi timor Domini eſſe poteſt? Sed & defunctorum animæ, quorum eleemoſynis iſti in ſuperfluitate abutuntur, de his quidem coram diſtricto judice conqueruntur. Metentes enim ubi non ſeminant, de his quibus ratione dati & accepti tenentur, non curant. Sic & porcus glandes manducat, ad quercum autem non reſpiciens, radices ejus fœdans conculcat. Hi ſunt qui ſuperbiâ inflati, ambitione inquieti, otio marcentes, & ignaviâ pigri, ad jurgia & contumelias proni, excitant ſeditiones, faciunt ſibi partes, inter fratres diſcordias ſeminant, in Capitulis & Congregationibus conſpirationes faciunt. Sicut autem ipſi pretio ſervitiove inhoneſto, & violen-

tiâ consanguineorum, seu precibus violentis potentum malè intraverunt; ita puerulos & cognatos suos vel sibi similes homines immundos & fautores suos, in Ecclesiam Dei violenter vel fraudulenter intrudunt. Quos etiam in electionibus & Prælationum dignitatibus, honestis personis & viris litteratis anteponunt, ædificantes Sion in sanguinibus, ut in eis Isaïæ scriptura impleatur, dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Hi autem qui inter eos viri justi & timorati super abominationibus eorum lugent & contristantur, ab eis irridentur, mordent & detrahunt, indignantur & maledicunt, hypocritas & superstitiosos eos dicunt, tanquam ethnicos & publicanos ipsos devitant. Sicut autem spina se se invicem complectuntur, sic est convivium eorum pariter potantiũ, detrahentium & blasphemantium, se se mutuò exhortantiũ, coronemur rosis priusquã marcescant, non sit pratum quod non transeat luxuria nostra, comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Huc usque Jacobus de Vitriaco. Qui postea in laudes virtute præditorum Canonicorum secularium effusus, sic prosequitur. *Honesti autem & religiosi ac veri nominis Canonici, qui prædictarum spinarum venenatis aculeis veluti satanæ stimulis punguntur, & linguis eorum toxicatis lacerantur; quanto apud aquas contradictionis probati, & detrahentium linguis examinati, prædictis viris Belial, & perditionis filiis displicere non formidant, tanto Domino quærenti, quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? opponunt se vi-*

riliter pro domo Domini prædictis impiis, in Capitulo fortiter resistentes, & animas suas liberantes. Sed & alia ad eorum Regulam pertinentia, de talento sibi commisso timorem Domini semper ante oculos habentes diligenter observant; Ecclesiarum suarum promotioni & honori intendentes Ecclesiæ negotia tàm spiritalia quàm temporalia diligenter procurant, in Ecclesiis suis tanquam veri Ministri in templo Salomonis, ministerium suum humiliter & devotè complentes. Et quoniam scriptum est, beatus populus qui scit jubilationem, Ecclesiæ suæ limina frequentantes, horas Canonicas & debitas non prætermittunt, neque negligenter & absque devotione prætereunt, sed diebus ac noctibus voce suâ ad Dominum clamantes, non per conductitios Vicarios seu mercenarios, in Hymnis & Psalmis, & Canticis spiritualibus sacrificium laudis & vitulos labiorum suorum Domino reddunt; non amore pecuniæ ducti & seducti, neque causa cupiditatis tracti, ut manus eorum quotidianis distributionibus impleantur, quemadmodum quidam reprobi ac miserabiles, qui dexteram in sinistram permutantes, non Domino sed nummo servientes non causâ devotionis sed causâ cupiditatis ad nocturnum Officium consurgunt. Ignem alienum cum Nadab & Abiu altari Domini imponentes, & mercedem suam tantùm in hoc seculo recipientes; quantaslibet autem laudes lingua resonet, vita blasphemat; qui enim Deo, non propter Deum serviunt, in salvandorum numero non sunt. Huc usque etiam idem Jacobus de Vitriaco.

CAPUT V.

Multiplex Canonicorum genus ex Conciliis & Jureconsultis colligitur, quique ex eis censendi sint seculares, ostenditur.

CArdinalis Alexandrinus in Decretorum Apparatu *cap.* 1. *distinct.* 43. Abbas etiam Panormitanus in cap. *Deum qui, de vita & honest. Cleric.* Joannes Trullus *de Ordine Canonicorum regularium cap.* 7. *n.* 2. Azorius *Institutionum Moralium tom.* 1. *libro* 12. *cap.* 22. *quæst.* 2. relati à Michaële Francez, *de Cathedral. Ecclesiis cap.* 14. *num.* 54. & 70. plurimas classes Canonicorum referunt, *Regularium, Collegiatorum*, & *secularium*. Per *Regulares*, intellige vitam in communi societate, de communibus bonis sub obligatione voti viventes. *Collegiatos*, in communi societate degentes, sive carendo, sive gaudendo propriis facultatibus. *Seculares* denique in privatis domibus viventes, & proprias facultates possidentes.

Concilium Aquisgranense anni 816. tres hujusmodi Canonicorum classes indigitare videtur. Regulares apprimè describit totis capitibus 112. & 113. ubi de genere vitæ Canonicorum D. Augustini amplissimus sermo fit. *Collegiatos* etiam vivis coloribus depingit, alios voluntate pauperes, alios peculiaribus bonis ex indulgentia Concilii perfruentes. Seculares denique ibidem indicantur, ubi mentio fit de Canonicis in privatis domibus

degentibus & de propriis facultatibus viventibus.

De *Regularibus* quidem libro peculiari tractaturi ſumus; hîc autem de *Collegiatis* & *ſecularibus* nobis ſermo eſt. Et quidem de *Collegiatis* in communi ſocietate cum facultatum propriarum carentiâ viventibus, cum elogio loquitur Concilium *capitib.* 108. 120. 122. hoſque vocat *voluntate pauperes, quos paſcebat Eccleſia, & quibus neceſſaria providentiſſima gubernatione diſtribuebantur.* De his quoque ſolemnem facit mentionem Gregorius VII. *lib.* 3. *Decretal. de vitâ & honeſt. Cleric. cap.* 9. *Statuimus* (ait) *ut facultatibus Eccleſiarum veſtrarum, proventibus & expenſis diligenter inſpectis, certum in eis valeatis ponere numerum Clericorum, & facere ut bona eorum veniant in commune, in una domo veſcantur, atque ſub uno tecto dormiant & quieſcant. Si qui verò contradictores extiterint, licitum vobis ſit per ſuſpenſionem Officii & Beneficii, aut graviori etiam pœnâ, ſi opus fuerit, ad hanc obſervationem eos compellere, appellatione non obſtante.* Hujus generis Canonicorum meminere Azorius *Inſtit. Moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 22. Barboſa *de univerſ. Jure Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 45. Maſcardus *concluſione* 172. Tondutius de Sanlegerio *in quaeſt. Benefic. parte* 1. *cap.* 40. *num.* 1. apud Michaëlem Francez *cap.* 14. *num.* 71. 82. & 83. & *ſecularibus* annumerant, Azorius quidem, *quia* (inquit) *liberi ſunt ac ſoluti à voto.* Barboſa verò cum Michaële Francez & aliis, ratione ſanè ludicra, quia (aiunt) D. Petrus & cæteri Apoſtoli, à quibus originem ducunt, Canonici fuere ſeculares. Et Dionyſius

Papa qui omnium Beneficiorum auctor fuit, non regularis sed secularis extitit. Sanè eorum Auctorum calculo, Joannes Baptista, Paulus Eremita, Antonius & Hilarion insignes Monachi seculo abrenuntiantes seculares censendi essent, quia vota solemnia non emisere; & quis Apostolicos viros, plenos fide & Spiritu sancto, primitias spiritûs habentes, & quibus mundus crucifixus erat & ipsi mundo, nisi injuriâ seculares nuncupet. Pari etiam ratiocinio Monachi omnes essent dicendi seculares, quia ut vulgus Patrum censet, ab Apostolis ducunt originem; qui si fuere seculares, ut dicunt Auctores citati, & Monachi ab ipsis nati, pari modo dicendi sunt seculares; at quis hoc ferat? sed (aiunt) ideo seculares dicimus, quia vota non emisere. Atqui D. Augustinus & sancti Patres, & post ipsos sanctus Thomas, Apostolos vota nuncupasse docent. Tandem ipsorum esset probare Canonicos secundùm formalem Canonicatûs rationem ab Apostolis dimanasse, à quibus incompletè tantùm originem [illegible] re amplè & dilucidè libro primo probavim[illegible]

De Collegiatis verò Canonicis [illegible]
ni societate viventes peculi[illegible]
monialibus quàm Eccle[illegible]
quitur Concilium *cap* [illegible]
cum in communi [illegible]
partem facultatu[illegible]
suæ nutritioni [illegible]
Concanonici [illegible]
spitali ele[illegible] [illegible]22.
141. 142 [illegible] [illegible]ndi,
cum C[illegible] *seq*[illegible]
cos [illegible] omn[illegible]

menſa, in qua lectio continuè fiebat, Refectorio etiam communi ac Dormitorio utentes, Priori obedientes, & Fratrum mutua conſalutatione ſe ſe compellantes. Quæ quidem regularem omnino vitam ſapiunt, & à ſecularium converſatione penitus diſcrepant.

Quantum verò ad Canonicos, in domibus privatis cum laïcis ac conſanguineis & mulieribus etiam *ſubintroductis* viventes, extra Clauſtra & communem domum quaſi ſcopæ diſſipatæ degentes, & propriis facultatibus gaudentes; hos, inquam, & unicos *ſeculares* quis jure pronuntiaverit; cum ne pilum habeant obſervantiæ regularis veterum Canonicorum, qui totius vitæ Canonicæ ſummam in eo collocabant, ut, juxta decretum Concilii Moguntini *cap.* 9. ſimul manducarent & dormirent, ac in ſuo Clauſtro manerent, ad menſam lectionem audirent, & Magiſtris obedientiam exhiberent; quod Concilium appellat *Canonicè vivere*, quaſi Canonicus non ſit, qui ali-[illegible] Quâ autem ratione de his loquatur [illegible]em Aquiſgranenſe, & quo in pretio [illegible]itur in ſequenti capite, ubi & eo-[illegible]veſtigabitur. Interea dum monuero [illegible] dum ſeculares Canonicos & ſeculari-[illegible]telligere ſecularitatem completam, quę [illegible]itate vitæ & proprietate bonorum; [illegible]ompletâ, quam invitus admittam [illegible]undi generis ſupra deſcriptis, & [illegible]ropria poſſidentes à perfectione [illegible] aliquo deflecterent, idque ut [illegible]ravibus Auctoribus, qui eos, & [illegible]ris Collegiatos ſecularium Ordini, [illegible]cio impropriiſſimè annumeravere,

CAPUT VI.

Origo Canonicorum Secularium inquiritur.

PRodiit nuper in lucem liber *de Ritibus Ecclesiæ Laudunensis* Auctore D. Antonio Belloto; qui quasi bellum indicere vellet vitæ Regulari, seu communi veterum Canonicorum, eam prorsus à statu Canonico arcet, contenditque solos priscos Canonicos Regulares, quales nunc in Monasteriis videmus, hanc fuisse sectatos; fingens ac divinans genus quoddam antiquum secularium Canonicorum, nuperis seu recentioribus omnino similium, laudatum ab Ecclesia, Patrum decretis conforme & magnis viris refertum; quibus licita fuerit bonorum proprietas liberaque habitatio extra Claustra in propriis domibus etiam cum mulieribus non suspectis; uno verbo, quibus olim permissa fuerit singularitas & proprietas. Ex quo existimat ea omnia quæ Concilia, Aquisgranense, Moguntiacum, Turonense, & Meldense triginta annorum spatio celebrata, tam operosè de Claustris, dormitoriis, mensâque communi congesserunt, solos Canonicos Monasteriales spectare, non verò alios Canonicos seculares antiquissimos, à quibus natales ducere vult suos Concanonicos Cathedrales D. Bellotus. Qui deinde se se accingit ad probationem suæ sententiæ, ex Concilio Aquisgranensi, ubi contendit Canonicos seculares indigitari, hac argumentatione. Concilium Aquisgranense *cap.* 39. permittit Canonicis convictum mulierum non *subintroductarum*, quem

prohibet Canonicis *cap.* 144. Igitur (ait) aut Concilium secum pugnat, & unum excerptum ex eo, dissentit cum alio excerpto; aut sanè quæ ibi Patres Concilii permittunt, convictum nempe mulierum, pertinent ad Canonicos seculares, similes iis nostri temporis. Quæ verò iidem Patres postea decernunt, nempe secessionem à mulieribus, Claustra custodienda, communem mensam, & similia, spectant dubio procul eos Canonicos regulares quos modò in Monasteriis degere videmus. Sed ruit omnino argumentum Belloti, negato scilicet (ut aiunt) antecedente. Nam falsum est Concilium loqui citato ab eo capite 39. de Canonicis; sed tantùm de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, ac simplicibus Clericis. Nam si sermonem fecisset de Canonicis, non opus fuisset ut Concilium notaret, *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum*; cùm *Canonici* vocabulum, comprehendat omnes istos Clericorum gradus. Confirmatur nostra ratio, quia Concilium in duas partes dividitur; in quarum priore, ubi continetur caput illud 39. plura coacervantur pro Clericis simplicibus, Pastoribus, Monachis, imo & laïcis, & nil prorsus invenitur de Canonicis; quorum mentio reservatur posteriori parti ejusdem Concilii, quæ incipit à capite 115. in quo accingunt se sacri proceres ad tractationem de Canonicis, & inchoant illam à nobilitate illius statûs, quem docent cæteris institutionibus excellere, & deinceps multis capitibus genus vitæ in societate, & secessionem à mulieribus, ac alia multa Canonicis præscribunt. Ex quâ animadversione patet contra D. Bellotum, Concilium secum non pugnare, & unum excerptum alteri excerpto non dissentire, sed

mirum in modum omnia quadrare, & intento D. Belloti repugnare.

A vero æquè aberrat D. Bellotus, dum ea omnia quæ Concilium præſcribit de Clauſtris, Dormitoriis & menſa communi, detorquet ad Canonicos Monaſteriales, quales ſunt noſtra ætate plures. Nam Canonicis qui in eodem Concilio jubentur convivere, in Clauſtris, Dormitoriis & Refectorio communi, ſecedendo à turba & convictu mulierum ſub uno Præpoſito Cathedrali; indulgetur proprietas bonorum & alia multa conceduntur, quæ cane pejus & angue fugiunt Canonici Monaſteriales noſtræ ætatis. Igitur non pro eis tantùm hæc decrevit Concilium, ſed pro omnibus omnino Canonicis Cathedralibus, quibus licet indulgeret peculium poſſidere, tamen ad vitæ ſocialis communionem perfectam hos omnes cohortabatur.

Sed ut verum fatear, D. Bellotus alio argumento ſecularitatem Canonicorum tueri potuiſſet ex aliis locis ejuſdem Concilii. Nam in cap. 1. Inſtitutionis Canonicæ ſeu cap. 115. legitur, *Canonicis non prohibitum peculium*, imo in fine ejuſdem Capitis dicitur, *licitum fuiſſe*. Et prætcrea capite 142. legitur *licitum eſſe Canonicis proprias habere manſiones*. Quæ duo ſimul juncta inferunt ſecularitatem. Fateor, inquam, mentionem fieri de ſingularibus & proprietariis Canonicis in Concilio, licet nomine *ſecularium* non donentur. Sed inficior quod ait, illud genus vitæ elogio donari à ſanctis Patribus: imo lectori tantiſper erudito palam eſt omnia quæ ibi à ſanctis Patribus congeruntur, eò ſpectare & tendere, ut ad vitam communem & perfectè regularem

omnes omnino Canonicos cohortetur; ita tamen ut *quorum* erat (verba Concilii sunt cap. 109.) *tanta infirmitas, ut non possent sua bona contemnere*, iis gauderent, iisque qui in Claustris & locis regularibus commanere non possent, integrum ac liberum esset in privatis domibus habitare. Quod magis indulgendo quàm approbando permittunt sacri proceres.

Concedimus igitur D. Belloto, Canonicos quosdam seculares indigitari à Concilio Aquisgranensi, sed non iis argumentis quibus illud evicturum se putabat. Damus, inquam, sed non (ut asserit) laudatos ab Ecclesia, Patrum decretis conformes, sed tantùm ad duritiam cordis toleratos. Quippe quos cap. 109. vocat *infirmos* ex Prospero, & cap. 113. *cæcos & claudos* ex Augustino. Denique ex dictis palam est contra D. Bellotum, non solùm Monasteriales Canonicos & voventes, sed omnes omnino Canonicos Cathedrales à Concilio Aquisgranensi ad perfectam vitæ communionem in locis regularibus ducendam modis omnibus invitari, ibidemque eos, qui sociali vitæ, bonorum expropriationem adjiciebant, summis laudibus à Patribus attolli, veluti capitibus 108. 120. 122.

CAPUT VII.

Invecta apud Canonicos secularitatis Epochæ & causæ.

NUllam antiquiorem Epocham invenio secularitatis apud Canonicos seu Clericos Cathe-

drales, quàm in Augustini sermone de Clericis. Ejus enim Episcopalis sodalitii desertores, *inveniebant* (ait) *Patronos & suffragatores quosdam Episcopos qui dicerent; quid enim mali fecit? non potest recum tolerare vitam istam; extra Episcopatum vult manere & de proprio vivere.* Has duas conditiones, manere scilicet in domibus separatis, & de propriis vivere, completam facere secularitatem suprà notavimus. Ex quo vides tempore Augustini plures fuisse Episcopos, qui secularitati favebant; dum ipse Augustinus Ambrosii, Eusebiique Vercellensis & aliorum sanctissimorum Episcoporum exemplo excitatus, illam corruptelam à suo Clero arcere satageret; quam etiam fœliciter, non tantùm à sua Ecclesia penitus eliminavit, sed etiam à pluribus Ecclesiis Africanis & transmarinis, in quibus, ut disertè notat Possidius in ejus vita, præclara ejus institutio Clericalis quæ & proprietatem & singularitatem excluderet, per discipulos mirè pullulavit. Tamen præclaræ huic sementi, quæ etiam Romæ per Gelasium, & à Romana Ecclesia in universam ferè sparsa fuerat, inimicus homo superseminavit zizania. In tantum ut septimo seculo nulla ferè expropriationis & communitatis vitæ vestigia apud Canonicos remanerēt. Cui malo succurrere primò conatus est Godegrandus Metensis Episcopus scriptâ Regulâ, quâ si non expropriationem bonorum statuit, utpote quæ infirmis (ait) persuaderi non poterat, dominium tamen eliminat, usufructu tantùm Canonicis reservato; *ut* (ait) *aliquantulam similitudinem conversationis Apostolorum & primorum Christianorum, qui omnia habebant communia, suis in animis exprimerent.* cap. 31.

alterum

alterum verò secularitatis fontem resecat, mansionem scilicet in domibus separatis, ita ut Claustri, Refectorii, Dormitorii angustiis retineri, & commanere voluerit Canonicos.

Sed tandem, ut ait proverbium, *Mandrabuli more res successit.* Nam post temporis modicam intercapedinem celebratum fuit Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio, sub quo & à quo panoletria illa malorum omnium grassari cœpit, proprietas scilicet bonorum apud Canonicos, & singularitas in mansionibus separatis, quæ cum antea tantùm toleratæ essent, licitæ tunc & permissæ fuere Edicto solenni in eo Concilio capitibus 116. & 142. ex quo gemino fonte illuvies secularitatis exundavit. Tunc, ait Jacobus Tavellus lib. de Archiepiscopis Senonens. in Aldrico, *Collegia Canonicorum ex Episcoporum manu & potestate in libertatem se asserere & vindicare cœperunt, utque plurimum Canonicorum mensa ab Episcopali discreta est, partitioque bonorum inter illos facta; prius enim Episcopi, ceu Abbates Monachis, Canonicis præsidebant, & illis ad vitam necessaria suppeditabant.*

Fatendum tamen est, in eo Concilio Aquisgranensi pleraque pro Canonicorum moribus instaurandis saluberrimè instituta fuisse; imo adductis Augustini, Hieronymi, Isidori & Prosperi sententiis, Canonicos fuisse provocatos ad vitam illam communem & sine proprietate in Claustris & societate ducendam; illud genus vitæ summis laudibus Patres Aquisgranenses fuisse prosequutos. Fatendum, inquam, plures Canonicos Cathedrales hoc genus vitæ fuisse postea æmulatos, ut inductione alibi probaturi sumus. Sed sensim ad

pristina, ut aiunt, præsepia reditum est. Exemplum esto in Aquisgranensibus, Coloniensibus, ac Trajectensibus; de quorum regularitate simul & defectione sic Joannes Molanus in Natalib. scribit. *Dicta est autem Aquisgranensis Ecclesia à majoribus Monasterium S. Mariæ; eò quod viginti Clerici à Carolo Magno instituti regulariter & Canonicè in ea vixerint, sub obedientia & in communi intra Claustrum simul manducantes & dormientes, juxta statuta Concilii Moguntinensis sub Carolo Magno celebrati; sed hoc suave jugum sibi ut Moguntini & plerique alii excusserunt sub Ottone tertio & Nodgero Episcopo suo, qui Regulares Canonicos viginti converterunt in viginti octo Clericos proprietarios, quoniam id temporum illorum malitiam exigere judicabant.* Et de Coloniensi sub qua est Aquisgranensis, ac etiam Trajectensi, ait idem Molanus, lib. 1. de Canonic. cap. 14. *Cum in Ecclesia Trajectensi fervor regularis disciplinæ relaxaretur & Godebaldus Episcopus anno 1120. cœpisset primam Prabendam Decano majoris Ecclesiæ conferre, quibusdam renitentibus; Ecclesia Coloniensis (ab ea enim tunc pendebant) quam super hac re consuluerant, in hunc modum respondit. Dominis ac fratribus nostris sanctæ Trajectensis Ecclesiæ salutem: ut Præpositura, Decania, vel aliqua Claustralis obedientia pro Beneficio habeatur, vel Beneficium nominetur, Ecclesiæ nostræ consuetudo non patitur.* Antiquitus enim Præbendæ non erant separatæ, numerusque Canonicorum non erat determinatus, sed pro Ecclesiæ facultatibus recipiebantur ab Episcopo ex Concil. Aquisgr. cap. 117. Agathen-

si 3. cap. 8. Turonensi 3. cap. 23. & aliis, quæ vide apud Michaëlem Francez *cap.* 14. *numero* 9. *& seqq.* Addit tandem Molanus, *cum denique sub Philippo* 48. *disciplina Regularis in Ecclesia Coloniensi relaxaretur; nonnulli Canonici in regulari observantiâ manere volentes, aliis ab ea deficientibus Monasterium Nussiense erexerunt.* Quod postea unitum fuisse Congregationi Canonicorum Regularium Vindesimensi in Belgio, notat Gabriel Pennotus in suâ Historiâ Tripartitâ.

Denique Gaspar Bruschius, quem in afferenda veritate historica irrefragabilem alii dicunt, licet hunc damnati nominis vocet idem Pennotus pag. 404. libro 1. de Episcopatibus Germaniæ, sic plurium Ecclesiarum Cathedralium defectionem à Regula, & transitum ad secularitatem & notat & luget. *Sub Balderico* 22. *Episcopo Spirensi Canonici Nemetenses, quemadmodum etiam Vormatienses, & Moguntini, monastica vita professione abjectâ, seculares fieri, seorsum habitare ac propria habere; & annuos proventus inter se dividere cœperunt.* Quod quo anno factum sit, docet Trithemius in Historia Hisaurgica sub annum 977. *Anno* isto (inquit) *moritur Theodoricus Archiepisc. Trevirensis, sub quo Canonici majoris Ecclesia ibidem abjectâ regulari vitâ, quam huc usque in eadem Ecclesia majores eorum continuaverant, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine & re & conversatione seculares: sic etiam Moguntinenses, Vormatienses Spirensesque fecerunt.* Ecce tibi *secularitatis* Epochas, quam statim eodem tempore ac eodem impetu totus fermè Clerus amplexus

eſt, ita ut illud Cypriani lib. de Lapſis uſurpare libuerit. *Studebant augendo patrimonio ſinguli, & obliti quid Credentes, aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus inhiabant, non in ſacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in moribus diſciplina.*

Eamdem defectionis à Regula Epocham, & ſimul ejuſdem abjectæ regulæ, ad intrudendam ſecularitatem, cauſam cape. Nulla morum apud Clericos lues fuit deterior, ac deploratior quàm circa annum 950. quâ ætate peſſima conſuetudo per Carolum Martellum olim inducta, quâ laïci pleraque bona Eccleſiæ invaſerant, in tantum recrudeſcere cœpit, ut non Abbatias poſſiderent dono Regis, ſive in beneficium, ſive in allodium (ut aiunt) ſed etiam titulum Abbatis ſibi arrogarent; ratione cujus dignitatis aſſumptæ, etiam Canonicis præire, eiſdem aſſidere in templis, ac etiam de eorum moribus & diſciplina decernere auſu temerario præſumpſerint. Vocantur autem illi *Archi-Abbates*, *Abbi-Comites*, *Abbates-milites*, *Abbatioli*, *Abbatiarii*, ut multis probat Auctor recens Hiſtoriæ S. Aniani Aurelianenſis anni 1661. Quod genus monſtri, & Abbatum Hippocentauris ſimilium ſtatim ab ortu perimere volentes ſacri Meldenſis Concilii Patres anni 845. ſic edixerant. *Perventum eſt ſi quidem ad nos, quod auditu lugubre ac dictu nefas, actuque horribile ac nimis triſte dignoſcitur, quia contra omnem auctoritatem, contra Patrum decreta, & totius Chriſtianæ religionis conſuetudinem in Monaſteriis regularibus, laïci in*

medio Sacerdotum & Levitarum ut magiſtri & domini reſideant, & velut Abbates de eorum vitâ ac converſatione decernant eoſque dijudicent, ac regimina animarum & divina eis ſine conſcientia Epiſcopi committant ſacraria. Decernimus igitur ut quidquid hujuſmodi hactenus actum eſt, ſacerdotali ac regali rigore caſſetur, & talis Abbatia quæ Latino ſermone paternitas dicitur, funditùs removeatur. Quod tamen ulcus non adhuc fuerat ſanatum anno 909. nam Concilii Trosleiani Patres ſic in eam adhuc graſſantem invehuntur. *Nunc autem in Monaſteriis Monachorum, Canonicorumve, Abbates laïci cum ſuis uxoribus, filiis & filiabus, cum militibus morantur & canibus, iſta namque eſt abominatio deſolationis &c. Cenſemus igitur ut ſtatus Monaſteriorum juxta antiqua Regulæ traditionem & Canonum conſtituta ſervetur, & ut Abbates ſint Religioſæ perſonæ & quæ Religioſam noverint diſciplinam.*

Perſeveravit tamen iſte abuſus uſque ad Hugonem Capetum, qui bona Eccleſiæ reſtituit, taleſque ſeculares Commendas aboleri voluit. Cujus veſtigiis hærentes Robertus, & Henricus I. ejuſmodi corruptela ac ſordibus Eccleſiaſticum ſtatum omnino purgavere. Attamen ſecularitas Canonicorum inde nata perſeveravit, imo quaſi jus ſibi & auctoritatem vindicavit, dum poſtea plures Eccleſiæ Collegiatæ ſeculares de novo dotatæ & fundatæ à Regibus fuere & Principibus, maximè ſub ea tempora à Rege Roberto. Pro quibus videndus eſt Paulus Emilius.

Porrò hæc inducunt in notitiam cauſarum cur omnes ferè Eccleſiæ Collegiatæ in ſecularitatem

G iij

vergere cœperint, quæ antequam Decanis subessent, pro majori parte parebant Abbatibus. Ista enim inordinatio Abbi-Comitum seu secularium & conjugatorum Abbatum, regularem observantiam pessundedit.

Uno denique verbo, universos secularitatis & singularitatis apud Canonicos invectos fontes aperit celebris Ivo Carnotensis Ep. 213. dum ait, unicam profligatæ vitæ communis apud Clericos causam fuisse, *refrigescentem charitatem quæ omnia vult habere communia, & regnantem cupiditatem quæ non quærit ea quæ Dei sunt; ac non auctoritati sed defectui adscribendam esse apud Clericos singularitatem.*

CAPUT VIII.

Discrimen Canonicorum secularium nostræ ætatis cum priscis in mutua compellatione Fratrum.

NOn possum non stupore affici, cum videam nostro ævo, (quod vel ex ea re sola infelicissimum jure dixerim) majorum Ecclesiarum Canonicos, qui ne *Monachi* censeantur ex appellatione *fratrum*, eam vocem minus sibi propriam arbitrantur; in tantum ut quidam à *Breviariis suis* (ut aiunt) & officio divino expunxerint; imo (stupendum & horrendum dictu) vocabulum Christo, Paulo, & Discipulis Domini familiare, & Patrum ori suavissimum à textu sacræ scripturæ, (cui vel addere vel detrahere

piaculum est,) intolerabili prorsus audacia, & nusquam à doctis & piis ferendo (ne dicam) sacrilegio eraserint aliqui maximè in lectionibus D. Pauli suo Breviario insertis; ut non conquerar de ea voce sublata in patribus, præsertim in lectionibus ex Augustino excerptis. Quod his oculis sed lacrymabundis legimus in Breviario Noviomensi; ut meritò exclamem cum illo antiquitatis Ecclesiasticæ ad miraculum peritissimo Albaspinæo, *Quis non lugeat nos in ea lapsos esse tempora, in quibus tantum refrigescit charitas multorum, ut etiam caritatis seu fraternitatis nomen abhorreat; nomen, inquam, fraternitatis tam honorificum, tam venerandum, tam augustum, ut eo non dignarentur heretici, schismatici, abstenti & etiam pœnitentes & Cathecumeni, tam etiam Gentilibus reverendum, ut magnum aliquod sacramentum mysteriumque inter Christianos illud reputarent.* Et postea caussam referens hujus mali, ait. *Sed jure fratrum nomen, quantum in eis est, supprimunt, inter quos non viget ea vita communio qua inter antiquos Christianos, ut ait Tertullianus, nil præter uxores sinebat esse proprium & singulare.* Hauserat id etiam ex Augustino Albaspinæus, quippe qui in Psalmum 132. invehitur his verbis in eos qui nolebant habitare in unum cum fratribus, *meritò* (ait) *insultant nomini unitatis, qui se ab unitate preciderunt.* Ex frigidis nempe illis verbis *Meum* & *Tuum* orta est separatio corporum, & refrigescente charitate quæ non quærit quæ sua sunt, & regnante cupiditate quæ propria quærit, præclarum & divinum nomen *fratris* evanuit. Sed, aiunt, Mona-

chi divinum illud nomen *fratris* prophanavere ſuis corruptelis & pravis moribus ; ſed , heu ! laïci quotidie dehoneſtant nomen *Chriſtiani* , igitur non debent amplius eo nomine & titulo inſigniri. O præpoſtera hominum judicia ! Addunt, mutua illa Fratrum compellatio Monachos ſapit ; hincque laudant effatum illud cujuſdam Canonici Leodienſis, qui ab Oxemenſi Concanonico , *Confrater* ſalutatus , reſpondiſſe fertur , *Confrater ſicut muſcæ ſunt aves* , apud Benedictum Haëftenum , *de diſquiſit. Monaſt. pag.* 302. Sed ejuſmodi blaterones voco ad tribunal ſanctorum Patrum , qui Conciliis habitis , pro moribus Canonicorum inſtaurandis , non alio paſſim nomine utuntur , quàm Fratrum. Conſulatur Concilium Moguntinum anni 813. Aquiſgranenſe anni 816. Ibi enim præſcribitur cap. 135. *ut ſeniori fratri adoleſcentum Clericorum cura committatur , ſique parvipenderit illam , amoveatur , & alteri fratri demandetur.* cap. 138. Jubetur *ut in Superioris Officio conſtituantur fratres non ſecundum ordinem receptionis , ſed ſecundum meritum.* cap. 137. decernitur , *ut ſeniores fratres ſcholis Cantorum præſint.* cap. eodem 138. de Priore dicitur , *quod ſi curam fratrum nil penderit , à Monaſterio propellatur.* In Jure Canonico non diſtinguitur etiam , *recipi in Canonicum* , & *recipi in fratrem. Extra de Prabend. & dignit. lib.* 3. *tit.* 5. *cap.* 34. *Dilectus. Item decretal. lib.* 1. *tit.* 3. *de Reſcriptis. cap.* 30. *cap.* 38. *Mandantes* , 39. *litteris. Item in* 6. *lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 7. & 25. *cum Gloſſis.* Sed ad eam rem illuſtre eſt teſtimonium Alberti Crantzii Canonici ſecularis qui obiit anno 1517. Hic lib.

3. Metropolis suæ cap. 15. ait, *Richardus regebat Mimigardevordensem Ecclesiam. Excepit illum ordine nonus in ea Ecclesia Hildeboldus, cujus memorabile nomen inde est quod fratribus suis multa providens benefecit. Admoneor hoc nomine, quod in Annalibus ubique lego, per Ecclesias vixisse Fratres Ordine utique Canonico sub Augustini institutis: sed ubi abjectum est hoc nomen, ut erubescant deinde dici fratres, & domini dici ament; fugit cum nomine fratris charitas illi nomini cognata, & successit amor propriæ excellentiæ & contentio sine fine.*

CAPUT IX.

Alterum discrimen Canonicorum Secularium cum antiquis in rigore disciplinæ.

JOannes Molanus *lib.* 1. *de Canonicis, capitibus* 20. 21 & 22. mirus est in describendo rigore disciplinæ veterum Canonicorum, ubi inter alia severioris regiminis exempla, refert illud memorabile ex Thoma Cantipratensi *lib.* 2. *Apum cap.* 39. quod omnium instar erit; refert igitur *Decanum Remensem Canonicos ita viriliter pro excessibus correxisse, ut etiam Henrico ex regali genere orto Archidiacono Remensi, & electo Præsuli Catalaunensi disciplinam dederit, quod exequiis Alberti Leodiensis Episcopi injustè à Militibus Henrici Imperatoris occisi sine veste nuptiali interfuisset, cum multa turba*

nobilium. Nam cadavere inhumato, Decanus omnes Canonicos ad Capitulum vocavit, & dixit electo; nondum, ut puto, Archidiaconatum aut Canoniam resignastis? Cui electus, nondum, inquit. Ex quo intelligens Decanus ipsum adhuc esse sibi subditum, ait, surgite, ergo, & dorsum ad disciplinam coram fratribus praeparate, eo quod sine veste nuptiali (lineâ scilicet) chorum cum Canonicis contra regulam introistis. Acceptâ ergo à manu Diaconi validâ disciplinâ electus coram omnibus dixit, Gratias ago Deo & patronae Ecclesiae Remensis ejus piissimae Genitrici, quod te talem in hoc regimine derelinquo, hinc magis locum istum diligam, & in sede ista dignam severitatis memoriam venerabor, haecque dicens Archidiaconatum & Canoniam resignavit. Forsan iste Henricus Episcopatûs Cathalaunensis possessionem non est adeptus, cum in eorum syllabo ab Auctoribus *Galliae Christianae* non numeretur. Rigor idem disciplinae antiquorum Canonicorum patet ex eo quod olim Monachi & Canonici in austeritate vitae aequiparabantur. Probatur ex ultimo capite Poenitentialis Romani, ubi Sacerdos ob sacrilegium in celebratione Missae perpetratum, jubetur toto vitae tempore abstinere à conficiendo Corpore Christi, *nisi se faciat Monachum vel Canonicum*, & tunc jussu Abbatis vel Episcopi in necessitate posset. Id refertur à Morino *lib. 6. de poenit. cap.* 14. *num.* 9. & contigisse scribit circa annum 1000.

CAPUT X.

Tertium discrimen Canonicorum Secularium nostræ ætatis à primævis; scilicet firmitas statûs veterum, collata cum nuperorum liberiore statu.

CElebris mentio fit in Concilio Carthaginensi 3. anni 430. cap. 49. de Clericis in hunc modum. *Quod si qui à proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni tanquam reprobi judicentur.* Ex quibus verbis apparet, si non votum, saltem rem voti inveniri in statu antiquorum Canonicorum. Nam quibus vocibus vulgò appellatur defectio à statu monastico, quam *exorbitationis à proposito?* Et quid mille locis apud Augustinum significat vocabulum *propositi*, nisi statum firmum & Religiosum? Legere potes ad id, *de opere Monachorum cap.* 8. *&* 28. *Epist. ad Hilarium Syracusanum*, *& Epist.* 109. Item Divus Hieronymus similiter accipit eam vocem *propositi*, dum in *Epistola ad Nepotianum & in ejus epitaphio*, commendat Clericos, *quorum sac rdotium proposito & propositum sacerdotio d coratur.* Ac tandem, quâ pœnâ censentur etiamnum digni qui religiosum statum deserunt, quàm *excommunicationis* seu *reprobationis?* Illud idem statutum totidem verbis renovavit Concilium Moguntinum sub Leone Papa IV. cap. 8. Hinc vetus Pœnitentiale Hugonis Menardi pag. 242. *Si quis Clericus post-*

quam se Deo voverit, ad habitum secularem redierit, sicut canis ad vomitum sex annos pœniteat.

Sed rem nobis enucleat Godegrandus Metensis Episcopus in sua Regula Canonica, ubi cap. 57. hic habetur titulus. *De Clericis non manentibus in suo proposito.* De quibus est hoc edictum. *Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetierunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, & hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam quominus redeant ad hoc quod propter Deum primitus inegerunt anathematisari.* Ubi duo colligi possunt. Primum, vocabulum *propositi* æquè convenire statui Monastico & Clericali. Secundum, æquè peccare, æquè plecti, æquè anathemati subesse, qui desereret Clericatum quàm qui Monachatum. Ex quo patet eamdem firmitatem in uno ac in alio statu fuisse desideratam. Confirmatur, nam cap. 31. germanæ Regulæ Godegrandi recensionis Philippi Labbe, Canonicus cooptandus Collegio renuntiabat dominio suorum bonorum in perpetuum, servato tantùm usufructu; igitur se devovebat in perpetuum societati Canonicæ.

Et ut concinunt omnia antiquitatis monimenta, Concilium Hispalense 2. *cap.* 3. citatum etiam à Godegrando cap. 84. suæ Regulæ Canonicæ, expresse decernit. *Quod si quis Clericus relicto Officii sui Ordine laïcam voluerit agere vitam, vel se militiæ seculari tradiderit, excommunicationis pœnâ feriatur.* At quàm multos videmus in hac seculorum fæce, qui assumptâ Clericatûs Tonsurâ, ac sacræ militiæ insignibus susce-

ptis, quique in Canonicorum numerum recensiti, cum lubet, Clericatum, Præbendam, & cultum Ecclesiasticum deserunt, ut ad nuptias convolent impunè, ut prophanæ militiæ nomen tribuant, ut etiam sæpius de minus pingui Canonicatu ad pinguius Beneficium transvolent; qui tamen nullatenus anathematis vel excommunicationis pœnâ, imò ne quidem ulla vel levi reprehensione mulctantur? Hæccine est primitivæ Ecclesiæ forma? Hæccine mens Conciliorum & Patrum? Insulsum igitur est commentum eorum qui omnia antiqua à novitate metiuntur, sibique blandiuntur, nil Canonicum verè apud Clericos fuisse, nisi prorsus liberum ad modum nostri temporis Canonicorum secularium. Non tantùm autem severè animadvertebatur in Clericos desertores sui Clericatûs, sed etiam in eos qui vel levitate animi, vel spe pinguioris redditûs, vel amplioris gloriolæ aucupatione de una Ecclesia migrabant in aliam. Sic enim acriter in eos insurgit Nicænum cap. 16. *Si qui in quocunque gradu Ecclesiæ positi recesserint ab Ecclesia sua, non debent suscipi in alia; sed cum omni necessitate cogantur ut redeant ad Ecclesiam suam; quod si permanserint, eos excommunicare oportet.* Instabit forsan aliquis Canonicorum secularium vindex, Concilia superiùs adducta loqui de Clericis majoribus, seu in Presbyteratûs aut Diaconatûs gradu constitutis, in quos tanta severitate animadvertebatur, non verò loqui de Clericis majorum Ecclesiarum seu Canonicorum, qui cum non essent in sacris Ordinibus constituti, ad militiam, vitam secularem, nuptias etiam transire poterant abdicato Canonicatu; & sic animadversio Patrum &

Conciliorum in Clericos non fiebat ratione Clericatûs seu Canonicatûs abdicati, sed ratione Ordinis sacri quem deserere vel violare, sicut nunc, nefas erat. Unde ruit paritas *propositi* & firmitatis statûs Monastici & Clericalis seu Canonicalis. Sed hujus argumenti vim eludit Concilium Nicænum, nam ibi *de Clericis sub Canone constitutis*, id est de Canonicis fit sermo, sic enim cap. 16. præscribitur, *Quicumque temerè aut periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec Ecclesiasticam regulam agnoscentes, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque sub Canone prorsus existunt, aut in quocumque gradu Ecclesiæ positi, recesserint à sua Ecclesia, non debent suscipi in alia, sed cum omni necessitate cogantur, ut redeant ad Ecclesiam suam, quod si permanserint, eos excommunicare oportet.* Quæ verba satis ostendunt, sermonem hîc esse de Canonicis ac quibuscumque Clericis semel alicui Ecclesiæ adscriptis.

Porrò huic Nicæno decreto locum dederat translationum abusus, *ne imposterum*, ait Hieronymus Epist. ad Oceanum, *Episcopus virginis pauperculæ societate contempta ditioris adulteræ quæreret amplexus.* In eum modum Occidentalis Ecclesia tam religiosam stabilitatem desideravit in Clericis, ut nongentorum ferè annorum spatio, Episcoporum translationem de una sede in aliam non permiserit; ut Sirmondus probat *de duobus Dionysiis cap.* 5. Nec Episcoporum modò sed aliorum etiam inferiorum, quod patet *ex Canone* 122. *Caus.* 1. *quæst.* 1. ubi sic decernit Gregorius Magnus: *Quisquis semel in hac Ecclesia ordinem acceperit, egrediendi ex eâ ulte-*

rius licentiam non habet. Existimabant quippe veteres, non magis licere Clericis deserere suam Ecclesiam, quam viro suam conjugem. *Ut colligitur ex capite inter. cap. Quanta cap. licet, de translatione.* Nec adhuc invaluerat ea Glossatorum distinctio, *ad titulum de postulatione paragrapho 3. ad verbum, videantur,* quâ docent Episcopum cum sua Ecclesia matrimonium contrahere, cæteros verò Clericos, *quasi-matrimonium.* Ex quibus concludendum est Clericos olim sive ordinatos sive simplices, alicui Ecclesiæ semel cooptatos ac mancipatos idest Canonicos; hac deserendi vel mutandi sodalitii ac Collegii, multo magis Canonicatûs abdicandi, caruisse facultate. Titulus enim Canonicalis æquè Clericum seu Canonicum addicebat alicui Ecclesiæ, sicut ordo sacer; at verò neuter modo cuiquam Ecclesiæ addicit, quin ab ea discedere possit vel Ordinatus, vel Canonicus; imo hic suo Canonicatu, cum lubet, abdicare se potest.

Confirmatur nostra assertio auctoritate duorum insignium Canonicorum Joannis Molani, & Nicolai de Cusa. Prior libro de Canonicis capite 20. volens nolens, *rem voti* in priscis Canonicis agnoscit, dum scribit Canonicos olim sacramento seu juramento se se obstrinxisse quod servarent certam quamdam Regulam, & quod juramentum violantes censebantur perjuri; *quæ Regula* (ait) *erat vivendi in Claustris & in communi.* At quæso in quo differunt juramentum & sacramentum servandæ vitæ Canonicæ, & votum vivendi in aliqua societate Monastica vel Religiosa? ut verum sit aliquid voto simile seu rem voti ac firmitatem quamdam Monasticæ ferè similem, Ca-

nonicos in ſtatu ſemel electo retinuiſſe. Quod poſterior, Cuſanus, Decanus Canonicorum ſancti Florini Conſtantienſis aſſerit *lib.* 3. *ſermone Accepiſtis*, dum ait, *Canonicos ſe ſe voto particulariùs ad Canones adſtrinxiſſe, ſtatuiſſeque divinis laudibus tantùm ac ſacrario operari.* At nunc, ut graviter monet Joannes Molanus libro 1. de Canonicis cap. 1. *Hæc, non Canones, ſed paleæ ſunt apud ſeculares Canonicos noſtri temporis*; Clauſtra *cane pejus & angue* fugiunt, &c. à votis & à firmitate ſtatûs, quaſi *ab arcto annulo*, juxta proverbia, ſibi cavent.

CAPUT XI.

Quartum diſcrimen veterum Canonicorum cum recentioribus Secularibus, *Seu* *Velitatio de vita communitate priſcorum contra ſingularitatem nuperorum.*

ITerum in arenam deſcendimus cum Auctore laudato *de Ritibus Eccleſiæ Laudunenſis* D. Belloto congreſſuri, qui tantùm abhorrere videtur à vita communi & Clauſtris, ut ſuccenſeat nomen *Monaſterii* Cathedralibus Eccleſiis aliquando fuiſſe tributum. Id autem (ait) factitatum, non propter communem vitam, communemque menſam & habitationem; ſed quia *Canonicorum eſt, in unitate & communitate interna vivere ſimul, ita ut unum hominem faciant.* Fateor optimam interpretationem Monaſterii Clericalis,

ricalis, quippe quam suppeditat Augustinus, & secundum quam etiam omnes fideles, Monachos posse appellari docet in Psalmum 132. illa voce desumpta à *μόνος*, non ut *solitarium* designat, sed ut *unum* vel *plures unitos* & charitate conjunctos significat. Attamen Augustinus domum communem, tam singulari adminiculo fuisse interiori unioni existimavit, ut suos Clericos, quos interiore vinculo dilectionis inter se constrictos peroptabat, intra septa ac pomeria domûs Episcopalis contineri voluerit, quam propterea tùm ex interiori animorum consensione, cùm etiam exteriori communione Monasterium nuncupavit. Et ex eo duplici capite, cæteræ Cathedrales Ecclesiæ olim vocatæ sunt *Monasteria*, & non propter solam interiorem animorum consensionem, ut putat D. Bellotus.

Larvis etiam ac lemuribus relinquenda censet, Refectoria, Claustra, Dormitoria communia, certa scilicet vitæ socialis veterum Canonicorum adhuc prope majores Ecclesias restantia vestigia. Quæ quidem, non nisi pro certis quibusdam diebus iisque minimè frequentibus, usui fuisse communi antiquorum Canonicorum epulationi contendit, & probare nititur exemplo Laudunensium ac Remensium ab anno 1153. raró ad communem mensam convenientium.

Sed quanta, quæso, oscitantia, ex abusu nato, jus adstruere; nam supinæ Remensium negligentiæ quâ quotidianas & communes epulas deseruerant, statim reclamarunt illius ætatis celebres doctrinâ & sanctitate viri scriptis ad eos Epistolis quæ asservantur in Tabulario Remensis Ecclesiæ, & quarum mihi copiam fecit amicus fidissimus,

qui carthas illius Ecclesiæ lustraverat; quarum prima est Innocentii tertii ad Decanum & Capitulum Remense sub data 7. Idus Decembris Pontificatûs anno 3. in Laterano; cujus meminit Dominus Bellotus. Secunda est Stephani Episcopi Tornacensis ad Magistrum R. Rhemensem Decanum, quæ paucis immutatis eadem est, quæ inter editas legitur numero 160. Tertia est Hugonis S. Victoris Parisiensis de Refectorio Remensi. Quarta est Alexandri quarti, data Anagniæ 3. Idus Julii. Qui omnes quasi uno ore miris encomiis extollunt morem antiquum & quotidianum apud illos vigentem, convescendi scilicet in communi mensa; ubi dum fauces sumebant cibum, aures esuriebant verbum Dei, quo per lectorem sonante cibi mira suavitate condiebantur. Quem morem cæteris vehementiùs urget retinendum Stephanus ille Episcopus Tornacensis laudatus, sic autem scribit ad R. Radulphum, ex instrumento illius Ecclesiæ aliàs dando Decanum Stephanus. *Singulari quodam privilegio sedes Remensis inter alias Galliarum Ecclesias eminebat, perseverans cum Apostolis in communione panis & oratione & in sociali communione. Ex reliquiis Regularium institutionum loca sibi duo retinuerat, cœnaculum refectionis, & domum somni; in altero c[illegible] m sequentes abstinentiam, in alter[illegible] ntiam observantes; proc[illegible] e Missa ad mensam [illegible] corporalem; pramiss[illegible] , & signo [illegible] ficie- b[illegible] uam [illegible] oris*

eloquio divino. O felices epulæ quæ non crapulam provocant; sed sobrietati deserviunt, & postquam sumptæ fuerunt, gratiarum actione clauduntur, derelinquentes alimoniam corporalem, & convivis suis spiritualem fructum servantes. In his & aliis observantiis regularibus incedebat Remensis Ecclesia terribilis ut castrorum acies ordinata, amabilis suis, admirabilis alienis; si hæc mutari cœperint, quid dicet germana ejus loco & ordine, Germania? quæ inter alias institutiones Ecclesiasticas, refectionis adhuc & quietis fraternam communionem sic observat, ut modernam dissolutionem non admittat; [hem *secularitatem* vocat *modernam dissolutionem.*] *Occurrite pater expansis brachiis & apertis visceribus perniciosæ novitati resistite, virilem animum erigite in certamen, ne juventuti singulariter, & non dicam seculariter vivere volenti Decanus senescens obediat.* Germaniam commendavit Stephanus, quæ quotidianas servaret communes epulas; cujus exemplum habemus in Trajectensi Ecclesia quæ Germania inferior est; idque sub Andræa Cuikio Episcopo in tabulis anni 1139. his verbis. *In nomine D. N. I. C. ego Andraas Dei gratiâ minister Ecclesiæ Trajectensis, utile duxi me & mea exhibere his qui à communi hominum conversatione subvolando, sortem suam Jesum benignum dicunt & faciunt. Quapropter Canonicis nostris d cimas &c. Hecque donativa omnia lege tali præmmoratis fratribus assignavi & dedi ad quotidianas refectiones in communi loco communiter accipiendas, ita ut inferioris & superioris, junioris & provectioris in parti-*

cipatione stipendii nulla sit differentia. Sed & qui cum aliis in communi refectionis loco hac donatione uti quacumque causa obmiserit, nullam partem extra prædictam convescionem accipiet, nisi manifestè sit infirmus, vel imminutus. Hæc apud Auctores *Galliæ Christianæ.* Et huic tabulæ testamentariæ subscripsere plures viri illustres.

Ex dictis igitur patet contra D. Bellotum quotidianas olim fuisse communes epulas apud Canonicos, & communem somni domum incoluisse majorum Ecclesiarum Clericos, ut mirum sit quomodo asserant Adversarii Canonicos veteres non alio genere vitæ vixisse, quam quo vivunt nostræ ætatis seculares.

Quam quidem Cathedralium Canonicorum antiquam observantiam præ singulari vita quam adstruit Bellotus, elegantibus verbis describit Matthæus Bossus Canonicus Lateranensis *Ep.* 50. *inter editas Romæ*, ad Fredericum Urbini Ducem. *Ferrariæ* (inquit) *in generali Synodo nostra cum pulcherrimè consedissemus, recitatæ fuere litteræ tuæ, Princeps Illustrissime, & tuus Orator coram auditus, cui, quantam significasti, fides est habita, & quidem omnium Patrum tanta erga te pietas & reverentia animadversa est, ut communem fidem atque eloquium ipsa res superet. Nam quibus sermo in consessu debetur, cum verba de te facere cœpissent, vidisses cæteros omnes pendere in eos intentione mirabili, & effusâ lætitiâ junctis manibus gratias Deo gestire, qui tàm nos charos amplitudini effecerit tuæ, ut de nobis præficiendis Pontificali Eugubinensi Ecclesiæ tuæ, cui adjacentem curiam habitas,*

cogitaveris. Rem nulli Principum, nullique Rerum-publicarum hoc tempore procuratam perſpectamve, ut planè ſolus extes qui præcipuâ Religione ac bonitate remiſſam Cathedralium Eccleſiarum veterem ſanctitatem, & in communi vitam & ſub præpoſito uno patre ſinceram obedientiam extinctam cogitaveris in lucem revocare, & ad priſtinum Apoſtolorum & ſanctiſſimorum ſacerdotum ſtatum excitare, qui primitùs hac lege vixerunt, Deoque poſthabitis curis ſecularibus militarunt. Deus bone! quantum diſſentiunt hic Auctor & D. Bellotus, in antiquarum Cathedralium genere vitæ deſcribendo, quod hic non abſimile arbitratur, recentiorum ſecularitati.

CAPUT XII.

Inductione probatur Canonicos antiquos vitam in communi & de communi inſtituiſſe, & non ſingulariter, ut nunc ab ipſis Canonicis vivitur.

LIbro primo ſatis ſuperque probavimus veriorem Canonicorum inſtitutionem & originem petendam eſſe à Clericis Cathedralibus, quos in ſuum Epiſcopium adſcivere Epiſcopi ſecum in communi domo & de communibus Eccleſiæ bonis convicturos. Et illud eſt quod hîc inductione brevi probandum incumbit, ut Adverſariis quorum D. Bellotus Anteſignanus eſt, nobis os oblinere volentibus, dum ſecularitatem antiquo Clero obtrudunt, ſilentium imponamus.

Primus omnium Patrum qui Canonicos memoret, Divus est Basilius, qui statim à se institutis tractatum edidit, qui est cap. 19. inter Ascetica τοῖς ἐν κοινοβίῳ Κανονικοῖς, ubi postquam ipsis *Canonem vitæ communis* præscripsit, hujus vitæ commoda, dignitatemque tantâ eloquentiâ prosequitur, ut in eo opere, si attentè legatur, Basilius seipsum superare planè videatur.

De Eusebio Episcopo Vercellensi scribit Ambrosius, *illud quàm mirabile est quod in sua Ecclesia eosdem Monachos esse voluit quos Clericos, atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conservatur, ut esset in ipsis viris contemptus rerum & accuratio Levitarum, versantesque intra urbem Clericos, abdicaret usu urbis & conversatione.*

Similia de Athanasio ex antiquis Auctoribus profert Baronius *tom. 3. ad an.* 328.

Eadem de Epiphanio Salaminæ Cypri Episcopo tradit Joannes ejus Discipulus in Actis apud Simeonem Metaphrastem, ex quibus colligitur secundùm interpretationem Dionysii Petavii, *Clerum illius fuisse simul comedentium, & audientium sacram lectionem inter prandendum, habentium etiam commune cum Episcopo peculium, quod pro arbitrio dispensabat Episcopus, erat exercentium cœlibem & religiosam vitam.*

De Clero Rinocureræ in Syria scribit Sozomenus *lib. 6. cap.* 31. ipsi *communem fuisse habitationem, communem mensam & reliqua omnia communia.*

Non segnior fuit instaurando Clero D. Augustinus, imo omnes facilè superavit, dum *factus*

Episcopus Monasterium instituit Clericorum, quibuscum victu communi, eodemque cultu utens (verba sunt Possidii ejus Discipuli) *eos ad Apostolicæ vitæ perfectionem adduxit.*

Divus Prosper, vel potiùs Julianus Pomerius, *anno* 480. *lib.* 2. *de vita contemplativa cap.* 9. docet *sacerdotes nil proprii habere debere, & Ecclesiæ facultates quasi communes.* Meminit *Clericorum in Congregatione nil habentium proprii, & quibus sub unius ordinatione viventibus omnia omnium communia erant.* Et *cap.* 12. miseret ipsum, illorum *Clericorum qui tam infirmi erant, ut suis possessionibus renuntiare non possent.*

Gregorius magnus, pro virili vitam communem inter Clericos restituere conatur, dum hanc Augustino Cantuariensi Episcopo præscribit instituendam, ita ut nullus eorum ex his, quæ possidebat, proprium diceret, ut legitur *cap. Quia tua fraternitas* 12. *qu.* 1. Facem in ea re prætulit toti Ecclesiæ Gregorius; scribit enim Joannes Diaconus, *talem fuisse penes urbem Romam Ecclesiam* sub eo Pontifice, *qualem sub Apostolis Lucas, & sub Marco penes Alexandriam Philo commemorat.*

Notatu dignissimum est illud Concilii Toletani 4. *anni* 633. *Canone* 22. *Quia spectaculum hominibus facti sumus, ideo ut deinceps excludatur omnis nefanda suspicio aut casus, oportet Episcopos testimonium probabilium personarum in conclavi suo habere, & ut Deo placeant per conscientiam puram, & Ecclesiæ per optimam famam.* Supra quod Binius ait, inde *Ordinem Canonicorum* & Regulam in Ecclesiis Cathedralibus

& Collegiatis jam pridem ab Augustino instauratam refloruisse.

Circa annum Domini 697. sancti *Villibroxdus & Suvibertus*, referente *Marcellino* eorum Discipulo apud Baronium, *Trajectum pergentes, construxerunt Ecclesiam Canonicorum Cœnobitarum in honorem sancti Martini, in quâ fuerunt Canonici egregii prædicatores &c.* Addit Guillelmus Heda auctor haud recens, laudatus à Barbosa libro de Canonicis, Canonicos Cœnobitales Trajectenses olim, nunc Ultrajectenses, Clericos religiosos fuisse secundùm institutionem Divi Augustini. Trajectum ad Rhenum, Gallicè *Utrect*, ad distinctionem Trajecti ad Mosam, quod Gallicè dicitur *Maestrict*.

Ad annum circiter 700. S. Rigobertus Archiepiscopus Remensis dedit Canonicis suis commune ærarium, ex quo in communi & de communi viverent; sic habent Acta manuscripta illius Ecclesiæ, & referunt Flodoardus & Surius. Perseverabat autem vita communis anno 1088. apud illam Ecclesiam teste Onuphrio Panuino. Imo adhuc perdurasse anno 1195. patet ex sequenti instrumento illius Ecclesiæ ab amico qui tabularia illius lustraverat mihi communicato. *Baltinus Præpositus, Radulphus Decanus, Haimo Cantor, cæterique Remensis Ecclesiæ fratres, omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint in Domino salutem. Noverit universitas quod ad preces bonæ memoriæ Alexandri Ecclesiæ nostræ Archidiaconi concessimus duobus Presbyteris ad altare Beati Jacobi perpetuò servituris, quod ipsi in anniversario ejus, & in festivitate S. Jacobi, de redditibus quos idem Archidiaconus in*

remedium animæ suæ contulit, æquam nobiscum recipiant portiunculam, & in refectorio in his diebus nobiscum comedant. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, præsens scriptum sigilli nostri appensione fecimus roborari. Actum ab Incarnatione Domini anno 1195.

Ledradus Episcopus Lugdunensis scribit in hunc modum Carolo Magno. *Claustrum quoque Clericorum construxi, in quo omnes nunc sub uno conclavi manere noscuntur.* Anonymus Auctor *lib. de Restitutione Nobilium.*

Godegrandus Metensis Antistes, instaurandis Canonicis suis sedulam navavit operam, circa annum 765. & de eo Paulus Varnefridus in Chronico scribit. *Hic Clerum adunavit, & ad instar Cœnobii intra Claustrorum septa conversari fecit, normamque instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent. Quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodò officiis excubarent.* Hanc Regulam seu normam sinceram, nullisque adscititiis accessionibus interpolatam luci dedit nuperrimè Philippus Labbæus, cum antea adulterata & spuria prodiisset in lucem.

Anno salutis 813. habita sunt Concilia Moguntinum & Turonense, ubi fit mentio *Canonicorum in Episcopiis conversantium, & sub Abbatibus in Monasteriis degentium.* Quibus præcipitur, *ut simul manducent & dormiant, & in suis Claustris maneant, & ad mensam lectionem audiant.*

Eugenius II. in Romano Concilio 63. Episcoporum decrevit, *ut juxta Ecclesiam constituan-*

qui carthas illius Ecclesiæ lustraverat; quarum prima est Innocentii tertii ad Decanum & Capitulum Remense sub data 7. Idus Decembris Pontificatûs anno 3. in Laterano; cujus meminit Dominus Bellotus. Secunda est Stephani Episcopi Tornacensis ad Magistrum R. Rhemensem Decanum, quæ paucis immutatis eadem est, quæ inter editas legitur numero 160. Tertia est Hugonis S. Victoris Parisiensis de Refectorio Remensi. Quarta est Alexandri quarti, data Anagniæ 3. Idus Julii. Qui omnes quasi uno ore miris encomiis extollunt morem antiquum & quotidianum apud illos vigentem, convescendi scilicet in communi mensa; ubi dum fauces sumebant cibum, aures esuriebant verbum Dei, quo per lectorem sonante cibi mira suavitate condiebantur. Quem morem cæteris vehementiùs urget retinendum Stephanus ille Episcopus Tornacensis laudatus, sic autem scribit ad R. Radulphum, ex instrumento illius Ecclesiæ aliàs dando Decanum Stephanus. *Singulari quodam privilegio sedes Remensis inter alias Galliarum Ecclesias eminebat, perseverans cum Apostolis in communione panis & oratione & in sociali communione. Ex reliquiis Regularium institutionum loca sibi duo retinuerat, cœnaculum refectionis, & domum somni; in altero castigatam sequentes abstinentiam, in altero candidatam continentiam observantes; procedentibus unanimiter de Missa ad mensam, de spiritali refectione ad corporalem, præmissa namque invocatione Dominica, & signo benedictionis super cibum extenso reficiebant conviva Domini minus ventr.m quam mentem, sonante eis per ministerium Lectoris*

eloquio divino. O felices epulæ quæ non crapulam provocant ; sed sobrietati deserviunt , & postquam sumptæ fuerunt , gratiarum actione clauduntur, derelinquentes alimoniam corporalem, & convivis suis spiritualem fructum servantes. In his & aliis observantiis regularibus incedebat Remensis Ecclesia terribilis ut castrorum acies ordinata , amabilis suis , admirabilis alienis ; si hæc mutari cœperint , quid dicet germana ejus loco & ordine , Germania ? quæ inter alias institutiones Ecclesiasticas , refectionis adhuc & quietis fraternam communionem sic observat , ut modernam dissolutionem non admittat ; [hem *secularitatem* vocat *modernam dissolutionem.*] *Occurrite pater expansis brachiis & apertis visceribus perniciosæ novitati resistite, virilem animum erigite in certamen , ne juventuti singulariter , & non dicam seculariter vivere volenti Decanus senescens obediat.* Germaniam commendavit Stephanus, quæ quotidianas servaret communes epulas ; cujus exemplum habemus in Trajectensi Ecclesia quæ Germania inferior est ; idque sub Andræa Cuikio Episcopo in tabulis anni 1139. his verbis. *In nomine D. N. I. C. ego Andræas Dei gratiâ minister Ecclesiæ Trajectensis , utile duxi me & mea exhibere his qui à communi hominum conversatione subvolando , sortem suam Jesum benignum dicunt & faciunt. Quapropter Canonicis nostris d cimas &c. Hæcque donativa omnia lege tali præm moratis fratribus assignavi & dedi ad quotidianas refectiones in communi loco communiter accipiendas , ita ut inferioris & superioris , junioris & provectioris in parti-*

cipatione stipendii nulla sit differentia. Sed & qui cum aliis in communi refectionis loco hac donatione uti quacumque causa obmiserit, nullam partem extra prædictam convescionem accipict, nisi manifestè sit infirmus, vel imminutus. Hæc apud Auctores *Galliæ Christianæ.* Et huic tabulæ testamentariæ subscripsere plures viri illustres.

Ex dictis igitur patet contra D. Bellotum quotidianas olim fuisse communes epulas apud Canonicos, & communem somni domum incoluisse majorum Ecclesiarum Clericos, ut mirum sit quomodo asserant Adversarii Canonicos veteres non alio genere vitæ vixisse, quam quo vivunt nostræ ætatis seculares.

Quam quidem Cathedralium Canonicorum antiquam observantiam præ singulari vita quam adstruit Bellotus, elegantibus verbis describit Matthæus Bossus Canonicus Lateranensis *Ep.* 50. *inter editas Romæ*, ad Fredericum Urbini Ducem. *Ferrariæ* (inquit) *in generali Synodo nostra cum pulcherrimè consedissemus, recitatæ fuere litteræ tuæ, Princeps Illustrissime, & tuus Orator coram auditus, cui, quantam significasti, fides est habita, & quidem omnium Patrum tanta erga te pietas & reverentia animadversa est, ut communem fidem atque eloquium ipsa res superet. Nam quibus sermo in consessu debetur, cum verba de te facere cœpissent, vidisses cæteros omnes pendere in eos intentione mirabili, & effusâ lætitiâ junctis manibus gratias Deo gestire, qui tàm nos charos amplitudini effecerit tuæ, ut de nobis præficiendis Pontificali Eugubinsi Ecclesiæ tuæ, cui adjacentem curiam habitas,*

cogitaveris. Rem nulli Principum, nullique Rerum-publicarum hoc tempore procuratam perspectamve, ut planè solus extes qui præcipuâ Religione ac bonitate remissam Cathedralium Ecclesiarum veterem sanctitatem, & in communi vitam & sub præposito uno patre sinceram obedientiam extinctam cogitaveris in lucem revocare, & ad pristinum Apostolorum & sanctissimorum sacerdotum statum excitare, qui primitùs hac lege vixerunt, Deoque posthabitis curis secularibus militarunt. Deus bone! quantum dissentiunt hic Auctor & D. Bellotus, in antiquarum Cathedralium genere vitæ describendo, quod hic non absimile arbitratur, recentiorum secularitati.

CAPUT XII.

Inductione probatur Canonicos antiquos vitam in communi & de communi instituisse, & non singulariter, ut nunc ab ipsis Canonicis vivitur.

LIbro primo satis superque probavimus veriorem Canonicorum institutionem & originem petendam esse à Clericis Cathedralibus, quos in suum Episcopium adscivere Episcopi secum in communi domo & de communibus Ecclesiæ bonis convicturos. Et illud est quod hîc inductione brevi probandum incumbit, ut Adversariis quorum D. Bellotus Antesignanus est, nobis os oblinere volentibus, dum secularitatem antiquo Clero obtrudunt, silentium imponamus.

Primus omnium Patrum qui Canonicos memoret, Divus est Basilius, qui statim à se institutis tractatum edidit, qui est cap. 19. inter Ascetica τοῖς ἐν κοινοβίῳ Κανονικοῖς, ubi postquam ipsis *Canonem vitæ communis* præscripsit, hujus vitæ commoda, dignitatemque tantâ eloquentiâ prosequitur, ut in eo opere, si attentè legatur, Basilius seipsum superare planè videatur.

De Eusebio Episcopo Vercellensi scribit Ambrosius, *illud quàm mirabile est quod in sua Ecclesia eosdem Monachos esse voluit quos Clericos, atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conservatur, ut esset in ipsis viris contemptus rerum & accuratio Levitarum, versantesque intra urbem Clericos, abdicaret usu urbis & conversatione.*

Similia de Athanasio ex antiquis Auctoribus profert Baronius *tom.* 3. *ad an.* 328.

Eadem de Epiphanio Salaminæ Cypri Episcopo tradit Joannes ejus Discipulus in Actis apud Simeonem Metaphrastem, ex quibus colligitur secundùm interpretationem Dionysii Petavii, *Clerum illius fuisse simul comedentium, & audientium sacram lectionem inter prandendum, habentium etiam commune cum Episcopo peculium, quod pro arbitrio dispensabat Episcopus, erat exercentium cœlibem & religiosam vitam.*

De Clero Rinocureræ in Syria scribit Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 31. ipsi *communem fuisse habitationem, communem mensam & reliqua omnia communia.*

Non segnior fuit instaurando Clero D. Augustinus, imò omnes facilè superavit, dum *factus*

Episcopus Monasterium instituit Clericorum, quibuscum victu communi, eodemque cultu utens (verba sunt Possidii ejus Discipuli) *eos ad Apostolicæ vitæ perfectionem adduxit.*

Divus Prosper, vel potiùs Julianus Pomerius, *anno* 480. *lib.* 2. *de vita contemplativa cap.* 9. docet *sacerdotes nil proprii habere debere, & Ecclesiæ facultates quasi communes.* Meminit *Clericorum in Congregatione nil habentium proprii, & quibus sub unius ordinatione viventibus omnia omnium communia erant.* Et *cap.* 12. miseret ipsum, illorum *Clericorum qui tam infirmi erant, ut suis possessionibus renuntiare non possent.*

Gregorius magnus, pro virili vitam communem inter Clericos restituere conatur, dum hanc Augustino Cantuariensi Episcopo præscribit instituendam, ita ut nullus eorum ex his, quæ possidebat, proprium diceret, ut legitur *cap. Quia tua fraternitas* 12. *qu.* 1. Facem in ea re prætulit toti Ecclesiæ Gregorius; scribit enim Joannes Diaconus, *talem fuisse penes urbem Romam Ecclesiam* sub eo Pontifice, *qualem sub Apostolis Lucas, & sub Marco penes Alexandriam Philo commemorat.*

Notatu dignissimum est illud Concilii Toletani 4. *anni* 633. *Canone* 22. *Quia spectaculum hominibus facti sumus, ideo ut deinceps excludatur omnis nefanda suspicio aut casus, oportet Episcopos testimonium probabilium personarum in conclavi suo habere, & ut Deo placeant per conscientiam puram, & Ecclesiæ per optimam famam.* Supra quod Binius ait, inde *Ordinem Canonicorum* & Regulam in Ecclesiis Cathedralibus

& Collegiatis jam pridem ab Augustino instauratam refloruisse.

Circa annum Domini 697. sancti *Villibrordus & Suvibertus*, referente *Marcellino* eorum Discipulo apud Baronium, *Trajectum pergentes, construxerunt Ecclesiam Canonicorum Cœnobitarum in honorem sancti Martini, in quâ fuerunt Canonici egregii prædicatores &c.* Addit Guillelmus Heda auctor haud recens, laudatus à Barbosa libro de Canonicis, Canonicos Cœnobitales Trajectenses olim, nunc Ultrajectenses, Clericos religiosos fuisse secundùm institutionem Divi Augustini. Trajectum ad Rhenum, Gallicè *Utrect*, ad distinctionem Trajecti ad Mosam, quod Gallicè dicitur *Maestrict*.

Ad annum circiter 700. S. Rigobertus Archiepiscopus Remensis dedit Canonicis suis commune ærarium, ex quo in communi & de communi viverent; sic habent Acta manuscripta illius Ecclesiæ, & referunt Flodoardus & Surius. Perseverabat autem vita communis anno 1088. apud illam Ecclesiam teste Onuphrio Panuino. Imo adhuc perdurasse anno 1195. patet ex sequenti instrumento illius Ecclesiæ ab amico qui tabularia illius lustraverat mihi communicato. *Baltinus Præpositus, Radulphus Decanus, Haimo Cantor, cæterique Remensis Ecclesiæ fratres, omnibus ad quos littera ista pervenerint in Domino salutem. Noverit universitas quod ad preces bonæ memoriæ Alexandri Ecclesiæ nostræ Archidiaconi concessimus duobus Presbyteris ad altare Beati Jacobi perpetuò servituris, quod ipsi in anniversario ejus, & in festivitate S. Jacobi, de redditibus quos idem Archidiaconus in*

remedium animæ suæ contulit, æquam nobiscum recipiant portiunculam, & in refectorio in his diebus nobiscum comedant. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, præsens scriptum sigilli nostri appensione fecimus roborari. Actum ab Incarnatione Domini anno 1195.

Ledradus Episcopus Lugdunensis scribit in hunc modum Carolo Magno. *Claustrum quoque Clericorum construxi, in quo omnes nunc sub uno conclavi manere noscuntur.* Anonymus Auctor *lib. de Restitutione Nobilium.*

Godegrandus Metensis Antistes, instaurandis Canonicis suis sedulam navavit operam, circa annum 765. & de eo Paulus Varnefridus in Chronico scribit. *Hic Clerum adunavit, & ad instar Cœnobii intra Claustrorum septa conversari fecit, normamque instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent. Quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodò officiis excubarent.* Hanc Regulam seu normam sinceram, nullisque adscititiis accessionibus interpolatam luci dedit nuperrimè Philippus Labbæus, cum antea adulterata & spuria prodiisset in lucem.

Anno salutis 813. habita sunt Concilia Moguntinum & Turonense, ubi fit mentio *Canonicorum in Episcopiis conversantium, & sub Abbatibus in Monasteriis degentium.* Quibus præcipitur, *ut simul manducent & dormiant, & in suis Claustris maneant, & ad mensam lectionem audiant.*

Eugenius II. in Romano Concilio 63. Episcoporum decrevit, *ut juxta Ecclesiam constituan-*

tur Claustra, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent, quibus esset unum Refectorium, ac Dormitorium, & catera officina ad usus Clericorum necessaria. Quod decretum postea à Leone IV. *anno* 855. fuit innovatum in alio Concilio Romano, & refertur à Gratiano *capite Necessaria.* 12. *quæst.* 1.

Nicolaus Papa I. in Synodo Romana circa annum 870. *relatus in capite Prater* 32. *distinct. pracipiendo statuit, & districtè mandat, ut Religiosi Clerici simul manducent & dormiant, quidquid ab Ecclesiis eis competit hoc communiter habeant.* Glossæ docent *Religiosos Clericos* esse *Canonicos Regulares.* At quales Regulares, cum nulla adhuc fieret mentio votorum solemnium apud ipsos? Erant igitur *Regulares* & *Religiosi* nuncupati sine votis solemnibus. Et id decretum omnes omnino Canonicos spectabat. Quando autem vota solemnia apud Canonicos invecta sint, disces ex cap. 27. lib. 3. & 37. ejusdem libri.

Anno 993. Guido Episcopus Aniciensis, *postquam ei Deus omnipotens, cuncta sibi subjiciens, dedit ei tranquillam ac serenam pacem contra raptores, qui vi abstulerant bona sua Ecclesia, convocavit majores Ecclesia, dicens voluntatem suam esse, ut Clerici ibidem servientes haberent communiter victum & vestitum sufficienter.* Sic Fasti Anicienses apud Actores Galliæ Christianæ.

Anno 1004. S. Adelardus Trecensis Canonicus & Archidiaconus (ut gesta Manassis Episcopi referunt) *religioso suasu & perpeti instantiâ Clericos Matricis Ecclesia secularibus nimio plus*

rebus implicitos, ac vix societatis fraternæ nomen solum retinentes, ad Canonicæ vitæ observantiam & victûs communitatem providè juxta ac piè & fructuosè revocavit.

De Vasone Episcopo Leodiensi 52. narrat Chronicon Leodiense cap. 85. sub hoc titulo, *Invectio Vasonis in Joannem Præpositum.* Quod sic eum Præpositum alloqueretur, *Si Regulare mandatum sit, Canonicos Chorum, Dormitorium, Refectorium frequentare; quare non etiam te? Cum non secernaris ab hac societate; cum sis sanus & validus plerumque otiosus, erubescis esse Religiosus? non debes esse Præpositus, nisi Canonicam Claustri ducas vitam; audes bona fratribus communia pro tuo libitu dispensare.*

Tandem anno 1059. Nicolaus Papa II. in Laterano conventum habuit 113. Episcoporum, ubi ita definitum legimus. *Præcipientes statuimus, ut ii qui castitatem servaverint juxta Ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet Religiosos Clericos, simul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesiis venit communiter habeant. &c.* Quod decretum, ait Baronius ad annum 1063. factum fuit, non pro Monachis, sed *pro Clericis iisque Collegiatis seu Canonicis.*

Denique idem decretum renovavit Alexander II. initio suæ in summum Pontificem inaugurationis in Concilio Lateranensi centum & amplius Episcoporum in Canone 4. edixitque *ne Canonici in Congregatione viventes separatim comedant, dormiant, & propria seu peculiaria bona possideant.* Et refertur à Gratiano *distinct.* 32. *capite Præter.* Id ita suasu Petri Damiani sancitum docet Baronius ad annum 1063. Epistolâ scri-

ptâ sub hac inscriptione, *ut Canonicis in societate viventibus proprietatis habendæ licentia denegetur.*

Cum autem jam tepesceret ejusmodi vita perfectè communis apud Canonicos; eam instauravit Gregorius VII. *anno* 1200. nam *libro* 3. *Decretal. de vita & honestate Clericorum cap.* 9. *Statuimus* (ait) *ut facultatibus Ecclesiarum vestrarum diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum Clericorum, & facere ut bona eorum veniant in commune, in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant & quiescant; si qui verò contradictores extiterint, licitum vobis sit per suspensionem Officii & Beneficii, aut graviori etiam pœnâ, si opus fuerit, ad hanc observationem eos compellere, appellatione non obstante,*

Concludo his aureis Augustini Barbosæ verbis, *lib. de Canonicis. Quàm beati tunc temporis Canonici, quàm felices Clerici intra Ecclesiæ septa habitantes, nec ullam periculosarum discursationum, mundanarum occupationum, celebrandarum compotationum, agitandarum comessationum, conveniendarum mulierculárum, exercendarum grassationum, libidinum, turpitudinum, occasionem habentes; sed divinis laudibus & contemplationibus, precibus, concionibus, Officiis, Cantibus, sacrificiis tantùm vacantes; & tanquam Angeli quidam terrestres, in paupertate, castitate & obedientia degentes, & solam Dei gloriam & suam aliorumque salutem procurantes.*

Ecce igitur, quolibet ferè seculo exempla vitæ communis apud omnes Canonicos, & etiam sine

proprietate apud plures qualibet ætate. Et sic D. Belloto & sequacibus vale dicimus.

CAPUT XIII.

Epistola Petri Damiani ad Canonicos exhortatoria ad vitam sine proprietate communem ducendam, & demum communem incolendam.

DIu est (dilectissimi) quod in his partibus fama vulgavit, non parvæ simultatis inter vos emersisse discordiam; ob id scilicet, quia nonnulli vestrûm aggrederentur in Canonicâ vivere regularitate; plerique autem non acquiescerent, volentes tantùm apud se in suis proprietatibus habitare. Sanè videtur absurdum, ut Clerici quis prætendat in ordine speciem, & secularium in vivendo teneat conversationem, & quem à laïcorum turbis, professionis conditio separat; turpe est si vel domestica conversatio, vel peculii abominanda proprietas laïcum esse convincat. Suaviùs judicant, si cauponum tabernas olfaciant, quàm si divini sacrarii quotidie limen terant; magisque delectat eos textricum gynacea conspicere, quàm cœlestis eloquii paginis incubare. Planè puer Samuel post ablactationem, nequaquam domum cum parentibus remeat, sed circa templi ministerium jugiter perseverat. Joannes, ut innocentis vita munditiam teneat, ad squallentis eremi solitudinem tenerâ adhuc ætate festinat, illicque gratiam prophe-

ticæ prædicationis accepit, quam in turbis popularibus degens promereri non potuit. Nunc autem è contra ii qui divinis sunt ceremoniis mancipati, Ecclesiæ sacraria remoti contemnunt, habitare verò inter forensis strepitus murmura concupiscunt. [Et explicans illud Num. 1. *Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figant tentoria.*] ait: *Si igitur ex præcepto Domini Levitæ castra sua juxta tabernaculum figunt, nec fœderi tabernaculo, vel inter turbas habere hospitium permittuntur; cur nunc Clerici juxta divinæ constitutionis edictum abhorreant apud Ecclesiam degere? ut tantò liberiùs quantò quietiùs in sacri eloquii valeant meditatione vacare. Et saltem hoc præstent Ecclesiæ, quam Evangelicæ gratiæ splendor illustrat, quod illi deferebant tabernaculo, quod sub ignorantiæ tenebris ænigmatum figura velabant. Et certè valde præposterum est, si illa nunc denegetur reverentia veritati, quæ tunc adumbrata deferebatur imagini. Si igitur illi qui ex mandato legis conjugalibus erant copulis obligati, tanta sedulitatis excubias suis sanctuariis exhibebant; quid nunc faciendum est Clericis, qui videlicet castitatis munditiâ præditi à cunctis sunt carnalis commercii vinculis absoluti? Planè quo pacto quis valeat dici Canonicus, nisi sit regularis? volunt si quidem Canonicum, hoc est regulare nomen habere, sed non regulariter vivere: Ambiunt Ecclesiæ bona communia dividere, aspernantur autem apud Ecclesiam communiter habere. Enimvero non est hoc, primitivæ Ecclesiæ forma, satis exorbitat ab institutionis Apostolicæ disciplinâ, quibus nimirum erat cor*

unum & anima una, nec dicebant aliquid proprium, sed illis erant omnia communia. At contra filius prodigus dicit patri, da mihi portionem quæ me contingit, & sic dissipavit omnia bona sua cum meretricibus. Hic profectò electorum reproborumque lineæ discernuntur, quia nimirum illi quæ sibi sunt propria, gaudent cum aliis habere communia, illi autem sicut à charitatis glutino scindunt mentes, ita nihilominus communes à fratribus dividunt facultates; charitas quippe communionem facit, avaritia divisionem. Subinde affert exemplum ductum ab apibus. *Quæ cum coëunt, mellificant, & ex eorum laboribus dulces favi regibus apponuntur; si verò dissiliunt, ac relicto duce, vagæ pervolitant, famis necesse est inopiâ contabescant. Quapropter obsecro sanctitatem vestram, (charissimi) expulso Pharisæorum fermento nativitatis vestræ domos cum Abraham Patriarchâ relinquite, uno in cœnaculo vos cum Apostolis apud Ecclesiam congregate, propria quæque cum Barnaba & Stephano, veris scilicet abrenuntiatoribus in commune conferte, ut in fraterna vos unanimitate viventes Spiritus sanctus meritò dignetur invisere. Enimverò etiamsi mundus quis sit in se, malorum nonnunquam societate polluitur. Quod utique si aliquibus non contingeret, nequaquam Propheta conquerens gemuisset, væ, inquit, mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, quoniam in medio populi polluta labia habentis ego habito. Idipsum planè & Moyses in terra Madian pertulisse cognoscitur, si cur eum occidere voluerit Dominus, subtiliter indagetur. Scriptum quippe est; cum-*

que esset in itinere in diversorio Moses, occurrit ei Dominus & volebat occidere eum. Mirum valde cur eum repente Dominus occidere voluisse describitur, quem a secretis jam & symmystam familiariter fecerat, cui consilii sui arcana panderat, & nunc in executione suæ obedientiæ dirigebat. Sed procul dubio datur intelligi, quia quantamlibet contagii maculam ex diuturna Madianitarum cohabitatione contraxerat, atque idcirco terrore ac negligentiæ correctione purgandus erat, qui corrigendis aliis cœlestium mandatorum bajulus accedebat. Quapropter (charissimi) si vultis animarum lucra conquirere, ad scholam Christi simul convenientes, in communione vitæ & unione spiritûs, concorditer permanete; non inter vos sit divisio domorum, non scissura mentium, non diversitas facultatum. Mementote semper quia de sectis lapidibus altare reprobat Deus; secti quippe lapides sunt qui fraternæ societatis consortium respuunt, qui vivere cum fratribus & conversari concorditer nolunt; tales autem in suo corpore non recipit Christus, quos à membrorum suorum sectos judicat unitate. Hæc Damianus instaurandis Clericis, redivivus planè Augustinus.

CAPUT

CAPUT XIV.

Apologia Canonicorum Secularium quâ se se in sua secularitate tuentur.

POstquam Petrus Damiani Canonicos ad socialem vitam cohortatus est, & à proprietate bonorum dehortatus; sic Canonicos singulares & proprietarios interloquutores, seseque à quadam sua Regula tuentes introducit. *Sed cum hæc illis Canonicis objicimus, ipsi Regulæ suæ librum nobis protinus offerunt, ad Regulæ suæ auctoritatem redeunt, eâque sibi proprietatis peculium concedente pati se præjudicium conqueruntur, quam nimirum nos Regulam, nec funditus improbamus, nec illi auctoritatem omnino tribuimus. Probamus enim, in quantum sanctis Ecclesiæ Doctoribus consonat, abjicimus autem atque conspuimus; in quantum authenticis eorum institutionibus non concordat. Sed jam ipsa eorum Regula deducatur in medium; & utrum indifferenter tota, an cautè atque suspectè ex parte dumtaxat suscipi debeat, in una saltem paginula discernamus. Planè hoc in quadam ejus periocha reperitur.* a *Sanctorum Patrum sententiæ docent Clericos non divitiarum sectatores esse, vel res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere; inde dicit Prosper. Qui Ecclesiæ serviunt, & ea quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt,*

a *Ex cap.* 120. *Concil. Aquisgr.*

proinde tam de suis quàm de Ecclesiæ facultatibus, non plus accipiant aut exigant quàm oportet, & accipientes cibum & potum atque vestimentum, his contenti sint, ne plus accipientes pauperes gravare videantur. Quæ verba Regulæ Canonicæ approbans Damianus subjungit, *Ecce in his verbis hæc Regula, ubi scilicet Clericos cibo & potu ac veste contentos esse debere promulgat, & nobiscum & cum totius Ecclesiæ auctoritate concordat. Quod autem illicò sequitur, prorsus absurdum, ineptum videtur ac frivolum. Ii verò* (verba sunt Regulæ) *qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, & magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt, accipiant in Canonica Congregatione victum & vestimentum & eleemosynarum partes; quia de talibus dicitur in libro Prosperi, Clerici quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in Congregatione viventes necessaria vitæ accipiant. Prius itaque* (ait Damianus) *dat victum & vestitum Regula, deinde divisores constituit eleemosynarum; illud scilicet ad necessarium vitæ subsidium, hoc ad inferciendam congeriem sacculorum; illud ut corporaliter vivant, hoc, ut æternæ morti pabulum nutriant. Considerand sunt ipsa reptantium portenta verborum & ignominiosæ atque confusæ locutionis opprobrium; nam cum præmisisset, ut Clerici susciperent cum victu & vestitu etiam partes eleemosynarum, quasi reddit causam, quia de talibus* (inquit) *in libro Prosperi dicitur, Clerici quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in Congregatione viventes necessaria vitæ accipiant.* Et stomachatus in Regulæ sanctorum Pa-

trum corruptorem, sic eum excipit Damianus. *Dic Tullianæ reformator eloquentiæ, dic nove Demosthenes, quia dicit Prosper, ut Clerici necessaria vitæ accipiant, idcirco præcipit, ut præter victum & vestimenta per singulas etiam personas, eleemosynas dividant; ut juxta tuam interpretationem, necessaria vitæ suscipere, hoc sit victu vesteque perceptis eleemosynas dispertire? Quam bene faciunt Clerici qui te præconiis efferunt, qui tam gravia & importabilia tuæ legis edicta latis visceribus amplectuntur! gravia, inquam, cum hæc Regula præscribat, ut à maximo usque ad minimum, etiamsi duorum vel trium annorum sit in Clero puerulus, quinque sibi libras vini, & quatuor panis, ut non ad vomitum sed ad exenterationem recipiat; præcipitque ut etiamsi semel in die reficitur, hæc panis & vini mensura nullatenus minuatur, ut si refectioni frana laxentur, non jam ructare, sed crepare venter & ilia compellatur.* Tandem concludit Petrus Damiani, & quod de ea Regula ferendum sit judicium, profert in hunc modum. *Planè præter nonnullas sanctorum Patrum sententias, quæ in eodem libello reperiuntur apposita, de cætero sicut in litteris stylus horret incultus, sic in plerisque sententiis devius corrigendus est intellectus: nescivit enim invenire,* (interpolator scilicet Regulæ) *quod scriberet, nescivit scribere si quas etiam ineptias invenisset, istos amant flores eloquentiæ, qui spinosis moribus adversantur Ecclesiasticæ disciplinæ.*

CAPUT XV.

Animadversio in Damianum volentem Regulam quâ se contra ipsum tuebantur Canonici Seculares, fuisse corruptam.

SAnè cum verba Regulæ, quæ *frivola, inepta & absurda, reptantia, horrentia, imò portenta*, suprà nominavit Damianus, ipsissima reperiantur in Concilio Aquisgranensi; & sententiæ quas *ineptias* vocat, sparsæ sint passim in eodem Concilio; Quis prima fronte non crederet solido Damiani calculo & judicio fretus, Concilium Aquisgranense in multis quæ de Canonicis tractat, fuisse adulteratum, idque non ab aliis quàm Pseudo-Canonicis, quos Damianus *Tulliana reformatores eloquentia & novos Demosthenes* appellat. Vel si pura puta sit doctrina Patrum Concilii Aquisgranensis, quis non agnoscat, Petrum Damiani, licet in sacris litteris versatissimũ, in Conciliorum lectione hospitem omnino fuisse, cum non perspiceret Regulam quâ se tuebantur Canonici, ipsummet Concilii Aquisgranensis esse textum, periochasque illas proprietatem Canonicis permittentes, de verbo ad verbum ab eodem Concilio fuisse decerptas. Quod si agnovisset, modestiùs excepisset Canonicos quibus proprietatis indulgentiam tot tantique Concilii Patres licet ad duritiam cordis concessissent; ut eorum indoli se se sancta Synodus attemperaret, quorum, ut ibi dicitur capite 109. tanta erat infirmitas, ut sua non possent contemnere.

Nullatenus autem interpolatam fuisse Regulam Concilii Aquisgranensis pro Canonicis, invictè probatur ex Regula vera & germana celeberrimi Godegrandi Metensis Episcopi, quam ex Codicibus M. S. vetustissimis, publici juris fecit nuper Philippus Labbæus; ea enim annos circiter 40. ante Concilium Aquisgranense scripta Canonicis cap. 31. peculium indulget, & ad eum fermè modum quo Concilium Aquisgranense ex Prospero memorat Clericos propriis bonis utentes, & alios voluntate vel nativitate pauperes: sic igitur jam sanctissimus & prudentissimus legislator Godegrandus edixerat.

Acrior etiam æquo fuit in Canonicos Damianus, nec proprietatem ipsis indultam tanto stomacho carpere debebat ac criminari. Quiquidem etiam latinitatis concinnitatem perperam desiderabat, in Regula quam *pro simplicibus & minus eruditis fuisse compilatam* asserunt Patres ejusdem Concilii in proœmio.

Duriusculè etiam ac hyperbolicè nimium interpretatur Damianus verba illa Regulæ sancientis cibum & potum æqualiter omnibus distribuendum, indeque sequi puerulum duorum annorum quinque libris vini & quatuor panis ad exenterationem replendum. Ubi enim viderat Damianus puerulos duorum annorum in Clerum adscitos? Æqualitas igitur cibi & potûs ibi præscribitur, non habitâ ratione ætatis, sed meriti: ita ut qui majori dignitate cæteros antecellit, non debeat pluris accipere vel secundum quantitatem vel qualitatem alimentorum, quàm qui omnium inferior est. Est enim ibi sensus capitis 121. Adde mensuram quinque librarum vini & quatuor panis, quam cuili-

bet Canonico quotidie præſcribit, non multùm excedere, ſi eadem conferatur cum libris & unciis noſtræ ætatis & provinciæ; nam præter quam quod Germanorum, quibus hæc menſura præſcribebatur, conſtitutio id ſatis ferebat & poſtulabat; etiam arctiores hujus temporis Monachi, maximè qui à carnibus abſtinent, eâdem ferè cibi & potûs menſurâ gaudeant dum bis in die reficiuntur.

Quandoquidem igitur ſola præ omnibus diſplicebat Damiano in ea Regula Canonicorum proprietas, conſultiùs feciſſet, (quod pace tanti viri dixerim) ſi eam regulam admittendo, duo in ea diſtinxiſſet, *non prohibita*, ſcilicet *proprietatem*, & ibi *laudata*, nempe *expropriationem*. Capite enim 115. monet Concilium *non legi à ſacris canonibus eſse Canonicis prohibitum peculium*. Et capite 109. *toleratum fuiſse in his quorum tanta erat infirmitas ut non poſsent ſua contemnere, nec poſseſſionibus ſuis renuntiare*. Quantum verò ad *laudata* & *conſulta* à Concilio, ſufficiebat Damiano non tàm exaſperando Canonicos, oſtendere Regulam illam multùm anteponere expropriationem proprietati, maximè capitibus 35. 107. 108. 109. 110. 112. 113.

CAPUT XVI.

Doctissimi Scriptoris Ioannis Mauburni sententia, de Regula Aquisgranensi proprietatem bonorum Canonicis indulgente.

IS quem Trithemius, *in divinis scripturis & seculari litteratura eruditum, ingenio clarum & comptum eloquio* vocat, & Possevinus in Apparatu summis laudibus attollit, Abbas Livriacensis ad Parisios, vivens anno 1500. in libro inscripto *Venatorium Canonicorum*, quem manuscriptum servat Bibliotheca S. Victoris, simili ferè œstro percitus in Regulâ Aquisgranensem ac suprà Damianus; ait de Ludovico Pio, cujus diligentiâ Concilium regulam illam exararat, quamque ipse per omnes Ecclesiasticas sui Imperii observandam miserat, *quod dum ordinem Canonicum sublimare & reformare voluit, destruxit qui ædificare putavit, unde & vocem hanc cœlitus audivit, venenum Ecclesiæ datum, verè enim* (ait) *venerabiles illi Abbates descriptores miraculorum Beati Bernardi Claravallensis ad Canonicos Colonienses inquiunt, videmus venenum Ecclesiæ additum, sicut dictum est ad Ludovicum, quem vos cognominatis Pium, qui præcipuè ditavit Ecclesias. Legimus enim in historia ejus, quod audierit vocem dicentem sibi, venenum Ecclesiæ addidisti; non enim est absonum venenum interpretari divitias; desperata est plaga Cleri, ditata est Ecclesia possessioni-*

bus, sed virtutibus spoliata; *neque enim longa potuit esse Canonica cohabitatio, ex quo paupertatis est deserta observatio. Nunc autem vos Apostolorum occupatis loca, eorum stipendiis vivitis, potestatem tenetis, auctoritate polletis, cum quibus, ut pace vestra dixerimus, communia vobis sunt omnia præter conversionem & conversationem.* Extat autem hæc Abbatum Epistola integra in lib. 6. vitæ & miraculorum sancti Bernardi cap. 6. editionis Paris. 1658. Et eorum verba usurparat Mauburnus, ut lugeret invectam in Clerum bonorum proprietatem per Ludovicum Pium in Concilio Aquisgranensi.

Minùs igitur rectè sensere qui hanc Regulam Canonicis Regularibus scriptam fuisse docent, Caracciolus, *le Page* in Bibliotheca Præmonstratensi, Busæus, Suarez, Gabriel Pennotus. Nec saniùs qui pro secularibus exaratam scribunt, Clemens Reynerus, Miræus, Joannes Langherrutius, Joannes Trullus, & alii apud Benedictum Haëftenum Monachum Affligeniensem *in Disquisitionibus Monasticis.* Sed rectissimè & prudentissimè censuit noster Mauburnus, dum scripsit, quod *hæc regula æquè pro Regularibus & secularibus est congesta, his in aliquibus condescendens, illos provocans ad celsiora*; *complectitur enim omnes qui Canonica professione censentur*; *unde & eam vidi apud antiqua Monasteria Regularium & etiam secularium Collegia.* Et re verâ occurrit & mihi sæpius lustranti tabularia Canonicarum nostrarum, ita ut expuncta videantur ea quæ sæcularitatem vel proprietatem in ea Regula sapiunt; & è contra lustranti Cartularia secularium Collegiorum occurrit ob

oculos ea Regula, ita ut ea quæ D. Augustinus pro Clericis instaurandis scripsit, oblitterata cernantur.

CAPUT XVII.

Cur Concilium Aquisgranense relaxarit Canonicis communionem facultatum?

NUlla alia causa potior fuit quàm, ut ait idem Concilium, capite 109. *infirmitas* quâ Canônici plerique *sua non possunt contemnere.* Facem in permittendo Canonicis peculio jam prætulerat Aquisgranensibus Patribus Godegrandus Episcopus Metensis, eâ ipsâ ratione petitâ ab *infirmitate* seu defectu charitatis quæ omnia vult habere communia, & concupiscentiâ quæ quærit quæ sua sunt. Ipse namque Godegrandus, in Regula suis Metensibus Canonicis scripta, quam adscititiis accessionibus interpolatam, vel illustrioribus, quæ decent & spectant Canonicos, præceptionibus mutilam ac mancam, genuinæ fidei nuper restituit, ac publici juris fecit Philippus Labbæus; hic, inquam, Godegrandus, capite toto 31. ab interpolatore, expropriationis apud Canonicos, osore & inimico, prætermissa; & causam exponit indultæ proprietatis, & simul medium aliquod proponit, quo Canonici pro viribus perfectionem primævorum Clericorum assequantur. Igitur capitis prædicti 31. titulus hic est. *De eo quod qui ad hunc Canonicum specialem ordinem hujus Congregationis se sociare vult, de rebus quas possidet ad*

Ecclesiam B. Pauli Apostoli solemnem donationem per præsentem faciat, reservato tamen tempore vitæ suæ usufructuario ordine. Et ad marginem ponit Labbæus, integrum caput cum aliis prætermiserat interpolator. Caput autem seu corpus Capituli sic habet. *Licet legamus antiquam Ecclesiam sub tempore Apostolorum ita unanimem concordemque extitisse, & ita omnia reliquisse, ut singuli prædia sua vendentes ad pedes Apostolorum pretia ponerent, ut nullus eorum sibi aliquid proprium dicere auderet, sed erant illis omnia communia, unde & dicebantur habere cor unum & animam unam &c. Sed quia nostris temporibus persuaderi non potest talis vita perfectio, saltem vel hoc consentiamus, ut ad aliquamcumque similitudinem conversationis eorum nostros animos contrahamus. Quia nimis inerter, tepidæque ac remissæ devotionis est, ut quod, sicut diximus, omne vulgus pro rei amore consensit, nos qui peculiariùs Canonicis ordinibus inservire debemus, quantulamcumque in partem, in hanc perfectionem non consentiamus. Et si omnia relinquere non possumus, sic ad usum tantum nostra teneamus, ut dimissa volumus nolumus fuerint, non ad hæredum nostrorum carnalium atque parentum, sed ad Ecclesiam cui Deo auctore in commune deservimus, de cujus rebus stipendia habemus loco hæreditario relinquamus. Ut si cum illis perfectis pro perfecta abrenuntiatione seculique hujus contemptu corona non tribuitur; vel peccatorum venia sicut minimis misericordiâ divinâ concedatur.* Et post pauca decernit. *Ut illi Clerici qui de rebus Ecclesiæ vivere cupiunt,*

res proprias quas habent per instrumenta cartarum Deo & Ecclesiæ cui deserviunt condonent, & sic rebus Ecclesiæ licentiùs absque culpa utantur, ut sicut de rebus Ecclesiæ ipsi Clerici gaudent, ita & Ecclesia de rebus ipsorum Clericorum cum pauperibus suis sic aucta & meliorata gratuletur. Ita tamen ut ipsi Clerici dum advivent, si ita placuerit, res suas usufructuario ordine per beneficium Ecclesiæ accipiant, ut omnia sint communia; & post obitum eorum ad Ecclesiam vel ad Canonicum Ordinem, cui ante data fuerant, revertantur. Deinde additur. *Liceat Canonico de omni mobili ex ipsis rebus donatis, quamdiu vivit, & in ipso Ordine consistit, eleemosynas tam in pauperes quàm ad ipsam Congregationem, quam etiam ubicumque voluerit facere & necessitates suas explere. Et si aliquod de ipso mobili post obitum ejus superfuerit, media pars in eleemosyna in pauperes vel promissas ejus, aut ubi voluerit, ambulet; Archidiacono, vel Primicerio, vel cui ipse vivens rogaverit dispensante. Et alia media pars in ipsius eleemosyna ad Clerum vel ad ipsam Congregationem revertatur.* Tandem post pauca ait. *Quod si quis se Clericis voluerit sociare, & omnia ad integrum perfectionis gratiâ relinquere, Episcopus provideat eis necessaria qualiter opus bonum quod Deo inspirante cœpit adimplere valeat,*

Ex quo quidem sermone Godegrandi colligitur primò causa concessionis peculii; quia (ait) Apostolicæ vitæ & primævorum Christianorum perfectio, nostra ætate Canonicis persuaderi non potest, & eam ipsam, quam laïci nascentis Ecclesiæ sectabantur, Clericos Deo mancipatos pu-

det nunc æmulari perfectionem. Secundò, pro viribus eniti debere Canonicos, ut aliquâ ratione, huic perfectioni, quam ab incunabulis Ecclesiæ profitebantur Clerici & Christiani, accedant, in hac ætate, in quâ multorum refrigescit charitas, cui quidem pro modulo assignandæ perfectioni, media quædam perfectissima adducit & proponit Godegrandus. Tertiò, laudari ab eodem Godegrando eos Canonicos, qui in sua societate Canonica, omnibus facultatibus propriis abdicatis, nomen ei dederant. Conclude lector, quantum in hac seculorum fæce ab illa perfectione remissum est, dum ne per somnium quidem cogitatur, vel de restituendo perfecto genere vivendi veterum Canonicorum, vel de mediis quibus ad eam aliquantulum accederetur. Imò quis non stupeat & doleat ab hinc ducentis annis, etiam eas quæ genus vitæ omnino Regulare profitebantur, Ecclesias, certatim in secularitatem, diplomatibus Pontificiis subreptitiis, & futilibus de causis, deflexisse, vitæ communi, sociali & Apostolicæ, summo cum dedecore, æternum vale dicturas?

CAPUT XVIII.

Παράλληλον *Canonicorum Secularium & Regularium.*

CONvenientiam inter utrosque agnoscit Renatus Chopinus *in Monastico lib. 2. tit.* 3. dum ait. *Quod promiscuè isthic Canonicos seculi cum Regularibus committam, & similia utrimque producam rerum judicatarum exempla, facit utriusque sodalitii affinitas, vetus communio, quam satis apertè indicat Arelatensis quarta Synodi cap.* 8. *de Monasterio Canoni-*

corum, qui votivæ Religionis professoribus adæquantur; specialiùs verò Aquisgranensis Concilii proceres, Canonicis quibusque præscripserunt Cœnobium, id est Cœnobitarum more communem victum cultumque vestium planè religiosum, & à domestica familiarique discretum popularis vulgi consuetudine, quod & graphicè expressum fuit ab Agrippinensi cœtu anni 1536. in hunc modum: Respondeat Canonicorum vita titulo, respondeat nomini, sint reipsa, ut sunt, nomine Canonici, idest Regulares, prima enim eorum institutio Monastica disciplina fuit.

Conveniunt utrique quod Cathedrales Ecclesias occupent, quod eumdem cultum præcipuum servent in habitu, linea veste, rochettis, almutiis, byrretis. Quod utrorum Ecclesiæ sint seminaria Rectorum animarum, à quibus identidem multæ ubique dependent Parochiæ, quibus Pastores nominant. Sed maximè, ut ait idem Chopinus, in hoc quod in Matricibus Ecclesiis plerisque, quasi in Regularium adhuc Canonicorum familia, reservatur hactenus sacra quædam annona vicino Canonicorum Regularium Divi Augustini Collegio; qui præter illam annonam etiam personalibus Canonicatibus potiuntur in plerisque illarum majorum Ecclesiarum, ubi non solùm Præbendatos sed etiam veros Canonicos esse & dici debere definivit Augustissimus Senatus Parisiensis edicto anni 1652. in causa quatuor Præbendatorum Ordinis sancti Augustini in Cathedrali Rhedonensi, contra Canonicos seculares ejusdem Capituli, & in causâ Regularis Præbendati in perillustri Ecclesia Collegiata sancti Quiriaci Pruvinensis, à Domo Dei Pruvinensi dependente, contra eosdem San-Quiriacenses; quos omnes sancivit Senatus,

debere frui & gaudere iisdem stallis in Choro, eodem gradu & ordine in Processionibus, ingressu per portam Episcopalem vel majorem in Chorum, iisdem fulgere honoribus ac distributionibus potiri; imo in Capitulum admitti, ut in favorem Præbendati Domus-Dei Pruvinensis judicatum est contra eosdem San-Quiriacenses.

Denique, ut docet Michaël Francez lib. de Cathedralibus Ecclesiis cap. 31. num. 21. *Conveniunt Regulares cum secularibus in omnibus privilegiis secularium, in eo quod Regulæ non contradicit, quare omnia quæ de secularibus dicuntur, Regularibus profectò applicantur.*

Discrepant autem Canonici Regulares à secularibus, in votis solemnibus quæ Regulares Deo nuncupant, in vita communi & de communi ac in summa abdicatione seculi & intimo recessu à mundo, quamdiu ad salutem animarum procurandam ad Beneficia Curata non vocantur. Quod mirari & suspicere est in Congregatione Gallicana seu sanctæ Genovefæ Parisiensis, ex centum & amplius Ecclesiis conflatâ; tantùm enim à secularibus Canonicis differre gestiunt, quantùm Lateranenses Canonicos Regulares, à vulgari Cathedralium statu, suâ ætate discretos fuisse scribit eleganter Matthæus Bossus Italus isque Canonicus Lateranensis Epistolâ inter varias editas Romæ 50. ad Fredericũ Urbini Ducem. In qua rationes adducit cur sui CõcanoniciRegularesLateranenses oblatam sibi ab eo Principe Cathedralem Eugubinam, ad Regularem statum reducendam recusarint. Parallilon enim utriusque vitæ Canonicorum secularium & Regularium instituens sic scribit. *Nulla res est, mihi crede, Frederice Magnanime, nulla profectò quæ tui causa suscipienda, gloriosa nobis*

atque magnifica non videatur, nedum grata jucundaque factu. Quoniam verò quod modo exigit Excellentia tua, conditionem habet atque naturam, ut fieri minimè possit, aut etiamsi fiat, minus quidem sit permansurum. Hebescimus animo, crutiatuque disrumpimur obtemperare non posse voto sanctissimo tuo; & ego quoque vel erubesco, qui tibi notior & carior esse videor, & ad quem spe potiorem Oratorem direxisti tuum. Ecclesiarũ enim Matricum sic hodie comperta est conditio, sic consuetudo firmata, ut ad regularem & arctam illam quam nos sequimur vitam, jam coaptari minimè possint. Nos Claustrales Canonici, nostris institutis communibusque decretis, solitudine cellaque gaudemus, intenti præclaro legendi, meditandi, orandique otio; illæ verò majores Ecclesiæ, consuetudines, familiaritates, deambulationesq; non respuunt, sed ultrò præveniunt. Nos certis horis silentium non violamus, illæ taciturnitatẽ non didicere. Cum decernuntur supplicationes populares, aut rogationes annuæ concelebrantur, nos urbẽ non collustramus. Sed Cathedralis secularium Canonicorũ Ecclesia prima est semper in acie, quin & cæteras ducit. Nos Curatas Ecclesias inviti suscipimus, Cathedralis verò non unius modo viciniæ, sed totius populi ac Diœcesis curatrix una atque præcipua est. Nos ceremoniis admodum castis, collo oculoque demisso rem nostram gerimus; in incessu illa Cathedralium secularium Ecclesia, habitu, motu rituque omni dispar est nobis. Adde nuptias quas benedicit, puerperia quæ purificat, Chrisma quo admotos omnes in frontibus signat, & hujusmodi cætera à quibus propter frequentiam puellarum & mulierum tanquam à pestifero mortaliq; periculo sic abhorremus. At verò cum Episcopus

proficiſcetur aut deambulabit, cum ſubjectas viſitabit Eccleſias, Monialiumque Cœnobia, quæ omitti non convenit, an illi non oportet nos & miniſtros & comites fieri? Quæ ſingula ita adverſantur profeſſioni noſtræ & ſanctionibus, ut adverſari nil magis poſſit omnino. Sed etiam ſtatim atque nos intuebitur populus ſecularibus Canonicis aſſuetus, in eas voces protinus erumpet, faceſſite obſtipa capita, pannoſique homines, bonorum noſtris nepotibus & conſanguineis debitorum invaſores.

CAPUT XIX.

Coronis libri de Canonicis Secularibus.

SIt quaſi pro libri hujus coronide, Joannis Molani Canonici ſecularis doctiſſimi & piiſſimi concluſio ex libro ſuo de Canonicis. *Porrò* (ait) *non ſic ab antiquis Canonicis defecimus, quin inter hujus temporis Canonicos invenire liceat Canones & Regulam, multas item pias conſtitutiones, ex quarum præſcripto qui vitam inſtituit, Canonici nomen non ſine laude coram Deo & hominibus obtinebit. Quare ut me noſtrorum Canonicorũ indoli quoad licet attemperem, rogatos velim omnes ut in victu & veſtitu atque in omnibus ſuis actionibus medium teneant, & neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinent, virtus enim in medio conſiſtit. Meminerimus quod Divus Auguſtinus in libro de Doctrina Chriſtiana monet, ne rebus prætereuntibus aut reſtrictiùs utamur, aut in earum uſu metas conſuetudinis bonorũ inter quos verſamur, excedamus, & juxta Apoſtolum, oportet nos irreprehenſibiles eſſe, domui noſtræ praeſſe benè, & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.*

Finis Libri ſecundi.

LIBER

LIBER TERTIUS

DE CANONICIS REGVLARIBVS

V B I

EORUM NOMEN IDQUE reduplicatum explicatur, Origo ac Institutio investigantur. Divi Augustini Clericatus adstruitur, ac de ejus Clericis Canonicis multa eaque difficiliora examinantur, & cum nostræ ætatis Canonicis Regularibus conferuntur. Demum, de fine eorumdem Canonicorum Regularium seu curâ animarum disseritur, & de Parochiis ac Beneficiariis ejusdem Canonici Ordinis, singulisque eò spectantibus exactissimè pertractatur. Indeque eorum à Monachis discrimen ostenditur.

CAPUT PRIMUM.

De Origine Canonicorum Regularium opiniones variæ rejectæ.

MYSTICUM est commentum quorumdam qui Canonicorum Regularium ordinem derivant à Nazareis sive Levitis veteris testamenti, quorum Deus erat possessio, quique ex terræ decimis ac primitiis Deo oblatis vescebantur. Ita censuere Durandus, Joannes de Deo, Albertus Trottus, Petrus Ravennas, Joannes de Nigravalle, Augustinus Ticinensis citati à Gabriele Pennoto *cap. 2. lib. 2.* & à Joanne Melegaro Canonico Lateranensi *in Apolog. adversus Cellotium.* Quibus accedit Caccialupus relatus à Michaële Francez *de Cathedral. Ecclesiis cap. 14. num. 63.*

Pium, aliorum, qui ab ipsomet Christo Servatore nostro institutos fuisse Canonicos Regulares tradunt; inter quos celebris est Joannes Gerson Cancellarius Paris. *Alphabeto 42. de Cœna Domini*, ubi docet *Apostolos fuisse Canonicos Regulares sub Abbate Christo, & Judam à Domino triplici honore fuisse decoratum, Procuratoris, Commensalis ac Canonici Regularis.*

Chimericum quod Abbas Joachimus deliravit, Ordinem Canonicorum Regularium circa annum 1100. ortum fuisse in Galliis, à quodam Episcopo nomine Rufo : sed id somniavit Joa-

chimus extasim passus dum exponeret Apocalypsim Joannis Apostoli. Traxit tamen in suum errorem doctos viros Emanuëlem Rodericum & Azorium, ac totam turbam Eremitanorum Augustinensium, Coriolanum, Paulum & Philippum Bergomenses, Joannem Marguesium, Hieronymum Romanum. Erroris tam supini occasio fuit, quod in Galliis orta fuit circa annum 1100. Congregatio celebris Canonicorum Regularium D. Augustini, cujus caput erat Illustris Canonica apud Valentiam sub titulo & nomine S. Rufi Apostolorum coëtanei, qui primus fuit Avenionensium Episcopus; à quo dicti sunt Canonici S. Rufi, sicut nunc dicuntur Canonici S. Genovefæ, qui Congregationem per totam Galliam respersam conflant Canonici Regulares, utpote ab ea Ecclesia denominationem adepti, quæ potior eminet cæteris illius Congregationis.

CAPUT II.

Examinatur sententia eorum qui Canonicorum Regularium originem trahunt ab Apostolis.

VErisimilior est ea sententia, & multorum plausu recepta, qui dicunt Canonicos Regulares fuisse à SS. Apostolis & Discipulis Domini institutos, instauratos tantùm postea ab Augustino. Id inter alios expressis verbis docuit Petrus Blesensis, *serm. de S. Augustino*, *recensionis Joan. Busæi in Bibliotheca Patrum*, Rodulphus

Cupiers, *in Can. Oportebat 79. dist.* Raymundus Fragus *de Religion. pagin.* 104. *versu successit.* Valenzuela *Consil. num.* 46. sed Gabriel Pennotus nubem hîc testium profert, quibus, quasi mille clypeis hanc sententiam tutetur; primæ (ut ait) secundæ ac tertiæ Classis Auctores aggerat, quâ tanti momenti veritatem propugnet. Primæ Classis testes adducit summos Pontifices Paschalem II. Benedictum XII. Eugenium IV. Sixtum IV. Pium IV. & Pium V. in Diplomatis in favorem Canonicorum Regularium ab iis emanatis; ubi omnes, uno quasi ore, Canonicos Regulares ab Apostolis ortos pronuntiant.

Sed attendendum est diligenter quomodo loquantur hi summi Pontifices, *an opinando, an asserendo*, an ἱστορικῶς, an κατηγορικῶς? nam ut docet Catharinus *de Cert. gratiæ, assert.* 13. *non quodcumque Pontifices in suis decretis enuntiativè aut opinativè magis quàm decisivè loquuntur, illud haberi debet quasi decisivum & determinatum.*

Secundæ Classis Auctores refert *Sigebertum, Vincentium Belvacensem, B. Antoninum, Vvernerum Carthusianum*, quorum hi tres *Sigeberti* exscriptores sunt, qui scripserat; *sub Ivone Carnotensi refloruisse Canonicorum Regularium Ordinem, ab Apostolis ortum, & ab Augustino restitutum.* Hos sequuntur *Lucidus Historicus, Raphael Volaterranus, Philippus Bergomensis, Onuphrius Panuinus, Joannes Gerson, Robertus Arboricensis*, ac tandem agmen claudit *Hieronymus Platus*: sed præterquam quod plures ex his nuperrimi sunt, nullâ prorsus ratione aut auctoritate suam tuentur sententiam, & omnium

gravior Joannes Gerson contentus est piè commentari, *Apostolos fuisse Canonicos* Regulares sub Abbate Christo, & Judam triplici fulsisse dignitate *Procuratoris Christi, Commensalis, ac Canonici Regularis.*

Tandem quasi res ad triarios esset redacta, Pennotus profert tertiæ Classis scriptores, *Augustinum* ipsum, *Possidium* ejus S. Patris per 40. annos Clericum Commensalem, D. *Thomam*; sed hi duo narrant tantùm quod asseruerat Augustinus *serm. 1. de Cleric.* ipsum scilicet *vixisse cum Clericis secundùm formam vitæ Apostolicæ quæ describitur in Actibus Apostolorum.* Sed illud quidem probat Canonicos D. Augustini, imitatores fuisse Apostolorum, non autem è contra, Apostolos instituisse Canonicos Regulares. Illa enim imitatio Apostolicæ vitæ, erat quiddam in quo Canonici Regulares conveniunt cum omnibus sequutis postea Religionibus. At quærimus hîc constitutivum Canonicorum Regularium, quod simul sit distinctivum ab aliis omnino Religionibus. Nam vita communis Apostolorum, quiddam genericum & materiale fuit, (ut sic loquar) quod invenitur in institutione omnium Religiosorum Ordinum. Sed hîc in Canonicis Regularibus, præter illud genus vivendi Apostolicum, quærimus aliquid formale & specificum, quod est magis attendendum in quacunque re, ut ejus perfectissimam notitiam assequamur; & petimus à quo Auctore & Institutore habeant illud per quod constituuntur & distinguntur à cæteris omnino Religiosis ac Clericis.

Instat Gabriel Pennotus. *Apostoli qui primi Clerici fuere, vota & substantialia Religionis*

emisere, *ac deinde ab iis nullo medio orti primævi Clerici*, *usque ad Augustinum continuâ serie*, *eadem vota Deo nuncupavere*, *igitur* (ait) *fuere verè & propriè Canonici Regulares*. Quorum institutum ex consequenti Augustinum non invexisse in Ecclesiam, sed provexisse palam est.

Ad primum; licet Augustinus *sermone* 27. *de verbis Apostoli*, *& serm.* 10. aliàs 12. *de diversis in Edit. Lovanii. In Psalm.* 132. *de consensu Evangelist. lib.* 2. *cap.* 17. *scribat Apostolos sequutos fuisse Christum tanquam immobiliter ei adhæsuros & ab eo nunquam recessuros*: & de paupertate quidem, illam vovisse doceat *de Civitate Dei lib.* 17. Castitatis etiam illibatum florem in hortum sponsi detulisse probet Blesensis, seu veriùs, Petrus Comestor *serm.* 42. dum ait, *Principes terrarum uxores suas Eunuchis ad custodiendum solent tradere*, *sic & Dominus sponsam suam Eunuchis tradidit custodiendam*; *Eunuchos autem per gratiam & virtutem hic intelligimus qui se castraverunt propter regnum cœlorum*. Constet etiam voluntatem ad Christi aras obedientiæ voto mactavisse, cum dixere, *& sequuti sumus te*. Ac tandem de tribus votis unico oraculo pronuntiet Augustinus *de sanct. Virginit. cap.* 4. in hunc modum. *Virgo fuit Christus natus è virgine*, *qui quidem Virginitatem vovit & paupertatem*, *atque obedientiam usque ad mortem consecravit in seipso*, *& variis rationibus allectos ad insigne illud vivendi genus discipulos confirmavit*. Licet, inquam, id concedatur Gabrieli Pennotò, reclamantibus licet viris doctis, & inter alios Joanne

Gersone; non propterea sequitur, quod ait Pennotus, Apostolos adegisse Clericos sequaces ad eadem emittenda vota, nec etiam eos sponte illa Deo nuncupasse & continuatâ serie in omnibus Ecclesiis observasse usque ad Augustinum, ut inde concludatur, Augustinum vota in clerum non invexisse, sed ad summum provexisse. Quod tamen Gabriel Pennotus irrefutabilibus argumentis se probaturum spondet, & ut philosophicè loquitur, *demonstrativè*, nempe *primò ratione generali*, deinde *inductione* peculiarium Ecclesiarum usque ad Augustinum, ubi vota viguerint apud Clericos.

Rationem generalem quam palmariam & irrefragabilem existimat, desumit *ex cap. Scimus. & ex capite Dilectissimis* 12. *quæst.* 1. ubi Clemens Romanus, & Urbanus primus anno 224. *vitam sine ulla proprietate communem, & sub obligatione voti inter Clericos* in usu fuisse testantur.

Sed miror Gabrielem Pennotum virum litteratissimum, non legisse vel animadvertisse, hujusmodi Epistolas Clementis & Urbani spuriis ac apocryphis doctissimorum virorum calculo fuisse accensitas. Et de Clementis quidem Epistola, non legerat Joannem de Turrecremata & Possevinum observantes, Auctorem, Epistolam ad Jacobum ante septennium mortuum dirigere; cum ejus Epistolæ initio dicatur Petrus mortuus, & Hieronymo teste, Jacobus obierit an. 7. Neronis & D. Petrus 14. Non legerat Nicolaum de Cusa qui præter rationem adductam à Turrecremata & Possevino, addit aliam, nempe quia Episcoporum Romanorum seriem ita intervertit,

ut Lino Cletove, (quos sedem ante Clementem tenuisse fama est,) nullum locum reliquum faciat. Tertiam addit David Blondellus in censura ad illam Epistolam, quòd scriptor Epistolæ, *Occidentem tenebrosissimam mundi partem ridiculè nuncupet*; *Petrum electionis Domini*, *Clementem Petri primitias falsò vocet. Quod Itinerarium Petri scriptum, nugis ac fabulis refertum, à Congregatione Indicis, libris prohibitis annumeratum comprobat.* Quod autem spectat Urbani I. Epistolam, sic de ea pronuntiat Blondellus. *Impostor vitæ communis necessitatem barbaro stylo prædicat; baptismum imperfectionis accusat, varias vulgatæ versionis Prosperi, Gregorii, Concilii Parisiensis sub Gregorio* IV, *& Theodosiani Codicis sententias commentis suis admiscet, & tandem errante calculo alieni temporis notam apponit.* Et utramque, ac cæteras Anacleto, Evaristo, Alexandro, Telesphoro, Sotero, & aliis summis Pontificibus adscriptas, usque ad Siricium Papam, adulterinis & suppositītiis accenset Baronius tom. 9. an. 865. variis ad eam rem adductis invincibilibus argumentis; ubi & observat earum Epistolarum confictorem fuisse *Isidorum* cognomento *Mercatorem*, alium ab Hispalensi; cujus merces primum in Gallias ex Hispania illatas fuisse operâ Riculphi Moguntini Episcopi tempore Lotharii & Caroli circa annum 800. probat ex Hincmari Remensis ad Laudunensem Epistola. Mitto alia argumenta petita à styli ratione, omnibus Epistolis æquali, licet diversâ ætate vixerint ii Pontifices, falsâ Chronologiâ, & collatione contemporaneorum Scriptorum accurata, tandem Wistakerus

lib. de Pontif. Rom. & David Blondellus in *Pseudo-Isidoro, & Turriano vapulantibus*, larvam ita detraxerunt huic Pseudo-Isidoro, ut nemo sit, nisi qui sponte cæcutiat, qui videre non possit Planum illum imposuisse rudi sæculo.

Eat nunc Gabriel Pennotus & Clementis, ac Urbani toties ab eo laudatorum fidem deposcat, quâ vitam communem ex voto observatam apud primævos Clericos usque ad Augustinum adstruat. Certè hi duo textus Clementis & Urbani ex capitibus *Scimus* & *Dilectissimis* petiti, sunt apud ipsum veluti duo poli, quibus tota ejus validiorum argumentorum tàm in hac materiâ, quàm aliis maximi momenti de Canonicis Regularibus, machina superstruitur, quæ quidem ruit omnino ac dissolvitur, si semel ex ejus libris eradantur.

Sed non majoris roboris erit inductio quâ demonstrare parat, Clericos ab Apostolis usque ad Augustinum, *vovisse fuisseque verè & propriè Canonicos Regulares.* Et primò id ostendere nititur in Ecclesia Alexandrina sub Marco, ex Hieronymo & Eusebio Cæsariensi qui *talem fuisse* scribunt *Christo credentium eam Ecclesiam, quales suâ ætate Monachi esse nitebantur.* Cujus quidem multitudinis credentium, Clerici cum potiores partes obtinerent; sanè, (inquit Pennotus,) Clerici Religiosi & voventes æstimandi erant. Sed pessimè concludit Pennotus: nam Hieronymus & Eusebius ad summum probant vitam communem æquè in usu fuisse apud primos fideles, sicut apud Monachos suæ ætatis, sed votivam apud primos fideles viguisse non intendunt probare. Imo de vitâ etiam communi docet Cassianus *collatione* 18. *capite* 5, *ipsam à Clero & populo fuisse non*

solum relaxatam , sed etiam omnino dimissam ex accessione alienigenarum & gentilium , & à paucis Apostolicum fervorem retinentibus adeoque solitudinem petentibus observatam : verum etiam illi (prosequitur Cassianus) *qui erant Ecclesiæ principes* (Clerum notat) *ab illâ districtione laxati sunt*; vitæ scilicet communis,quæ nec diu perseveravit, sicut votiva nunquam fuit in usu.

Ex his apparet quàm sint flocci rationes Gabrielis Pennoti, dum nititur probare vitam Clericorum, non solùm communem, (qualem non negatim) sed etiam *votivam & Regularem* in Ecclesia Alexandrina sub Marco : sed & per transennam apparet vanum fuisse commentum Collegii Paduani *in Cons.* 2. *post Consilia Zabarellæ ex num. 6. &* 13. ac Valenzuelæ & aliorum, qui D. Marcum Institutorem Canonicorum Regularium fuisse scribunt.

Sed ut redeamus ad inductionem Gabrielis Pennoti *de vitâ votivâ & regulari Clericorum nascentis Ecclesiæ usque ad Augustinum.* De *Alexandrinâ* Ecclesiâ migrat in *Romanam* & *Jerosolymitanam* : at crambem miserè recoquit, dum rursus ingerit testimonia ex eisdem spuriis & nothis Epistolis Clementis & Urbani, ex Capitibus *Dilectissimis* & *Scimus* 12. *q.* 1. Et quamvis vera esset inductio de illis Ecclesiis ac etiam de Alexandrinâ, longa adhuc restaret intercapedo usque ad Augustinum, in qua demonstranda fuisset *votiva vita* apud Clericos, continuata usque ad Augustinum, testimoniis authenticis, quæ omnino desunt Gabrieli Pennoto. Sed hac in re suppetias fert Magistro suo, Discipulus Joannes Baptista Melegarus *lib. de Canonicis Regularibus*

Venetiis edito an. 1648. *in Præfatione* ; qui poſtquam mazam ab Gabriele Pennoto pinſitatam omnino repinſitavit ; iiſdem ſcilicet verbis & argumentis adſtruendo tum inſtitutionem Canonicorum Regularium ab Apoſtolis , tùm primævorum Clericorum votivam uſque ad Auguſtinum , vadimonio adulteratarum Epiſtolarum Clementis & Urbani ; inductionem à Pennoto incœptam proſequitur toto illo interſtitio quod fuit ab Apoſtolis ad Auguſtinum , nullum ferè Diſcipulorum Domini vel eorum ſucceſſorum prætermittendo , nec Eccleſias ubi Epiſcopi miſſi ſunt , quin dicat ibi inſtitutam vitam Regularem & votivam. Sed Deus bone ! quo argumento ? Quia , (inquit) illæ Eccleſiæ vel adhuc illud genus vitæ ſectantur , vel nuper deſeruerunt. At incautus non attendit multas mutationes factas in illis Eccleſiis per varias reformationes Conciliorum ; & vitam illam Regularem & votivam ſub Auguſtini Regula , à quâ defecerunt nuper illæ Eccleſiæ erectæ ab initio à Diſcipulis Domini , fuiſſe introductam in eas ab aliquot tantùm ſeculis ; per varias reformationes Ordini Canonico inductas, juſſu ſummorum Pontificum Nicolai II. Alexandri II. Benedicti XII. & aliorum , qui Conciliis celebratis Canonicos Collegiales & Cathedrales ad votivum vitæ genus & expropriationem bonorum ſervandam , impulere.

Igitur Gabrieli Pennoto ac ſequacibus hîc *hæret aqua* , ut probent Canonicos Regulares voventes eſſe inſtitutos ab Apoſtolis & primævis Clericis.

CAPUT III.

Verior aperitur sententia, de Origine Canonicorum Regularium, scilicet ab Augustino.

POstquam, (divisione Diœceseon & Parochiarum ab Evaristo & Dionysio Pontificibus factâ) Episcopi sedes ac Ecclesias fixas sortiti sunt, cum quibus desponsarentur; quod Cathedralium Ecclesiarum perfectio fuit ac consummatio, ut libro primo probatum est; Episcopi qui superioritatem in administrando tunc adepti sunt, consuevere statim seligere Clericos ad sanctiorem vitam aspirantes, eosque assumpsere, ut secum in communi domo & Episcopio, sine proprietate & sub obedientia remanerent. Ex quo sanè ortum habuisse Canonicorum Ordinem in Cathedralibus Ecclesiis invictè demonstravimus lib. 1. cap. 9.

Hinc est quod *Canonici Regulares* considerari possunt dupliciter, vel ut sunt *Canonici*, vel ut sunt *Regulares & voventes*. Si primo modo; cum verè propriéque Canonici censeantur in jure Canonico & in SS. Patribus ac Conciliis, non alios natales habent quàm cæteri antiqui & veri Canonici, qui tales denominabantur à communi vita præclaraque disciplinæ norma, quâ in majoribus Ecclesiis positi cæteris Clericis inferioribus prælucebant. Si verò considerentur ut *Regulares*, idest Monasticis ac Religiosis institutio-

nibus subjecti, Baronii auctoritate fretus existimo, institutum vitæ regularis in Ecclesiâ Alexandrinâ per D. Athanasium ex Monachis acceptum, Clericis fuisse adjunctum & in Clerum introductum; indeque Romam delatum, & à Romana Ecclesia veluti ex promptuario quodam disciplinæ Ecclesiasticæ, alias omnes Occidentis Ecclesias ejusmodi institutum fuisse mutuatas. Quarum prima fuit Vercellensis sub sancto Eusebio, cujus institutionem Religiosam ordinemque Angelicum apud suos Clericos miris encomiis celebrat D. Ambrosius, in hoc à nobis jam amplè laudatus & relatus lib. 2. Hunc æmulatus Augustinus, non segnior instaurando Clero in sua Hipponensi Ecclesia adlaboravit; & ipse *Regularibus institutis* ab Athanasio & Eusebio in Clerum jam invectis vota insuper addidit & introduxit; unde originem mutuantur ii *Canonici Regulares voventes*, qui simpliciter Canonici Regulares nunc dicuntur. Nulla enim mentio votorum apud Clericos reperitur ante Augustinum, licet Regularibus institutis devinctos ante ipsum legamus. Ex quo existimandum est D. Augustinum primum fuisse qui Clericos proprietatis lethargo graves ac somnolentos suscitaverit provocaveritque ad vitam, moresque Apostolicæ institutioni conformandos, & tale genus vitæ, votis Deo nuncupatis, firmaverit, ut specialiùs & invictè probabitur infra c.24. dum de votis Clericorum Augustini sermo fiet. Cui quidē Augustini institutioni ac bonorū expropriationi obstrepere cœperunt alii Ecclesiæ Africanæ Episcopi, ut novitati; tuérique Clericos Augustiniani instituti desertores; sed generosum Augustini pectus ista impedimenta non retardarunt à proposito,

imo divino aspirante Numine ita Clericos suos Apostolicæ vitæ restituit, ut in Ecclesia Hipponensi, tanquam supra candelabrum positi toti Ecclesiæ Catholicæ præluxerint, variasque Ecclesias Africanas & alias ad sui imitationem provocarint. Ex quo D. Augustinus Canonicorum Regularium institutor audiit apud plerosque cordatiores atque doctiores viros.

CAPUT IV.

An Canonici D. Augustini, verè censeri debeant Canonici?

TAles sanè existimantur & eo nomine donantur, in Conciliis passim, apud Jureconsultos etiam, & doctiores ac graviores Scriptores; imo pluribus id supremorum Senatuum edictis stabilitum fuit & constitutum contra illius Ordinis obtrectatores. Sed ratione confirmatur; quia conditiones requisitæ ad constituendam Canonicatûs dignitatem, reperiuntur in eis, ac etiam clariùs quàm in secularibus. Has conditiones lib. 1. descripsimus. Quarum prima est, quod sint membra Communitatis aut Capituli, subdita capiti Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus, vel Præposito in Collegiatis, vel Abbati in Monasteriis. Verior, inquam, ratio corporis Ecclesiastici reperitur in Canonicis Regularibus quàm in illis, qui Claustralibus observantiis abdicatis, in propriis domibus de proprio viventes, vix coëunt in unitatem corporis nisi per convocationem Capituli,

soluto interim illo vinculo & strictiori animati corporis Ecclesiastici glutino, vitâ scilicet communi; quæ in Regularibus Canonicis, sicut in primævis Clericis, animam unam & cor unum conflare solet.

Secunda etiam conditio Canonicatûs constitutiva, invenitur in Canonicis Regularibus, nempe quod conficiant Corpus aut Communitatem Clericalem; nullus enim apud eos potest admitti sine Tonsurâ Clericali ad minus, juxta Decretum Pii Papæ IV. in magno Bullario Laërtii Cherubini tom. 2. Const. 72. decernentis *Canonicos Regulares, dignitate Clericali, statim ut professionem emittunt, insignitos esse oportere.*

Tertia tandem conditio pro vero Canonicatu asserta, nempe firmitas olim requisita in eo statu semel assumpto, quæque in Canonicis secularibus nostri temporis vix ullum vestigium habet, quasi apud solos Canonicos Regulares remanet, dum adhibuere vota initio simplicia, deinde solemnia, quasi funiculum triplicem qui minimè disrumpi queat.

Nec dicas ea vota destruere veram rationem Canonicatûs, quia Clericatum minus redolent. Audiatur enim, quæso, in eam rem Ivo Carnotensis Epist. ad Episcopum Aurelianensem 213. *Venerunt ad nos de Episcopatu vestro quærentes, utrum Clerici regulariter viventes Parochias regere possint, & animarum habere custodiam? Quibus hoc respondi, quia in primitiva Ecclesia nullus constitutus est rector animarum nisi de communi vitâ assumptus, quia nemo rectiùs custos præponitur vitæ alienæ, quàm qui prius custos est factus vitæ suæ; quod nullo in loco.*

meliùs probatur quàm inter eos in quibus regularis vita vigere videtur, quibus tantùm displicet aliena malitia, quantùm prius displicuit sua. Quod verò illa vita in omnibus Ecclesiis penè defecit, non auctoritati, sed desuetudini & defectui adscribendum est, refrigescente charitate quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate quæ non quærit ea quæ Dei sunt & proximi, sed tantùm ea quæ sunt propria. His rationibus freti constanter asserimus non esse audiendos qui Clericos regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia seculo renuntiarunt, sed ideo potiùs assumendos ad hoc, quia voluptates & pompas seculi contempsere. Clericatum ergo, & proinde Canonicatum, non destruit votiva regularitas Canonicorum Regularium, imo potius adstruit & perficit.

Confirmatur nostra sententia; si metiamur Canonicatum secundùm regulas Jureconsultorum & recentiorum Canonistarum. Nam secundum eos, *Canonia* definitur, *jus quoddam spiritale* & incorporale, ratione cujus aliquis habet stallum in Choro, & vocem in Capitulo, ut colligitur ex cap. *Dilectus*. Quis inde non intelligat *Canonicum*, etsi *Regularis* sit, nomen & spiritale jus Canonici retinere; habere stallum in Choro, vocem in Capitulo, cum jure percipiendi congruam portionem & sustentationem de bonis Ecclesiæ, & ex consequenti esse verè ac plenè Canonicum?

Sed non parvus scrupulus occurrit removendus, circa tertiam conditionem Canonicatûs, *firmitatem* scilicet, quæ in Canonicis Regularibus, in Congregatione v. g. Gallicana viventibus videtur

videtur desiderari; nam de his qui extra eam vel similem Congregationem vivunt, uni Ecclesiæ adscripti, nulla est difficultas. Sed solvitur difficultas, si dicatur, gravibus olim de causis Canonicos uni Ecclesiæ adscriptos, commigrasse de uno loco in alium servato integro Clericatu & Canonicatu, cum scilicet id fieret non levitate animi, vel intuitu pinguioris beneficii, vel sublimioris gradûs appetitu: quæ causæ sunt cur eas translationes antiqua damnarint Concilia; sed cum propter ingentem utilitatem & necessitatem Ecclesiarum, Episcopi ex suis Clericis aliquos aliis Ecclesiis tradebant servituros, à quorum seminario velut ex alveari prodibant, non secus ac examina apum quæ alias suæ sanctitatis melle condirent Ecclesias. Sic factitatum legimus in Clero D. Martini narrante Sulpitio, in Clero S. Eusebii Vercellensis, asserente S. Maximo; & tandem in Clero Augustini referente Possidio *cap.* 2. vitæ Augustini. Cujus rei luculentum extat exemplum in Epist. Augustini ad Alipium 239. in Honorato Presbytero & Clerico Ecclesiæ Tagastensis, translato ad Ecclesiam Thianensem ad preces Clericorum illius Ecclesiæ; qui ob utilitatem & necessitatem multis votis Honoratum expetierunt. In qua quidem præclara sanè Epistola advertere est D. Augustinum multarum Ecclesiarum invicem congregatarum moderatorem, litium compositorem, si quando inter eas natæ essent, & Clericos de una Ecclesia in aliam transferentem, si quando necessitas vel utilitas postulasset: ad quem sanè modum sine præjudicio firmitatis ac stabilitatis Canonicæ locum mutant Canonici Regulares congregati ex diversis Ecclesiis, non pro-

prio nutu, sed arbitrio Præpositi generalis, commoditates variarum Canonicarum illâ Clericorum mutatione temperantis.

CAPUT V.

Cur voci Canonicus *addatur reduplicativa* Regularis, *& an sit* πλεονάσμος *aut* Βαττολογία*?*

SUspicantur aliqui hîc committi πλεονάσμον, qui incurritur, *cum verbis superfluis orationem oneramus*; nonne satis erat, (inquit Erasmus *in Colloquiis, Exorcismus* & *Peregrinatio,*) dixisse *Canonicos* Græcè, nisi simul & Latinè *regulares* diceremus? Ludovicus Vives *super cap.* 15. *lib.* 3. *de Civitate Dei*, puram docet esse Βαττολογίαν, Professoresque Canonicos insimulat ignorantiæ Græcæ dictionis, & etiam ambitiosi nominis accusare videtur, quod ut non semel putentur regulares, strictioresque aliis videantur, bis hoc vocari gestiant. Petrus etiam Abaëlardus Epistolâ ad quemdam Canonicum Regularem Ludovico succinit ut *dignum patellâ operculum.*

Sed nugaces Grammaticulos refutant Covarruvias *in Clementinam Si furiosus*, Cenedo *in quæstionibus Canonicis quæst.* 22. *num.* 18. Joannes Trullus *de Origine Can. Reg. lib.* 1. *c.* 7. postremò Navarrus *in proëmio Commentariorum suorum in cap. Non dicatis.* In hunc modum. *Quia subodoror displicuisse nonnullis egregiâ prudentiâ præditis, quod ego tanta de Canoni-*

cis Regularibus ipse Canonicus Regularis tractans, de nomenclatura ipsorum aptitudine nil tetigerim, ideo quod sentio super hac re paucis resolvam. Et adductâ Ludovici Vivis sententiâ, hanc non satis cautè objectam docet auctoritate Augustini Ticinensis ac dictorum Covarruviæ sui quondam auditoris, Joannis Trulli, ac Baptistæ à Cordona; & proprio marte postea impugnat, imprimisque vocat Ludovicum Vivem parum modestum, quod tot, tanti omniumque Ordinum antiquissimi, viros illustres arguerit ignorantiæ vocis Græcæ Κανὼν. Inde docet non fieri, ut putat Vives, in nomenclatura *Canonici Regularis* ejusdem verbi congeminationem, sed diversorum diversæ linguæ licet idem significantium, quæ non battologiam, ut ipse imprudens existimat, sed clariorem explicationem facit, ut in illo Christi Patrem compellantis *Marci* 14. *Abba pater.* Et *Rom.* 8. in quo clamamus *Abba pater*, & *Galat.* 4. *accepimus spiritum clamantem Abba pater.* Ibi enim Latina vox Hebræam, sicut in nomenclatura *Canonici Regularis* Latina Græcam exponit. Aut igitur Vives (prosequitur Navarrus) battologos non dicat *Canonicos Regulares*, vel oportet ut simul Paulum imò & Christum ejusdem vitii insimularit, qui tamen inter orandum μὴ βαττολογῆζειν jubet. Addit Navarrus, non omnem verbi geminationem seu repetitionem esse battologiam, sed tantùm superfluam quæ nil operatur. Non enim battologus David, cum diceret *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo,* nec Christus in Cruce ingeminans, *Eloy Eloy Lamasabacthani.* Nec Poëta exclamando, *ab Corydon Corydon quæ te dementia capit.* Nec

inutiliter dicitur in sacris Scripturis, *fiat fiat, Amen Amen.* Ad hunc igitur modum monetur Canonicus ad attentiùs expendendam Regulæ suæ servandæ obligationem, dum Græcè & Latinè Regularis reduplicativè dicitur. Præterea Canonici Regulares non sumpsere sibi hanc reduplicationem, ut garriunt Abelardus & Vives, nam Concilia, & Pontifices id nominis eis tribuêre in cap. *Nullus* & cap. *Mandamus* 19. *q.* 3. & in *Rubric. de statu Monach. & Can. Reg.* & in capite *quod Dei timorem.*

Hujus reduplicationis alteram rationem suggerit Azorius *tom.* 1. *Instit. Mor. lib.* 12. *cap.* 21. Quia (inquit) Canonici olim in communi vivebant, ideo dicebantur *Canonici*, id est *Regulares* à Regula vitæ communis, sed alii vota addiderunt, à quibus dicti fuere Regulares; ad distinctionem priorum qui simpliciter dicebantur Canonici. Sed id egregiè refutat Covarruvias *in Clement. Si furiosus.* notando tempore Augustini & pluribus post eum seculis Clericos ab ipso institutos vota quidem emisisse, & tamen nusquam unquam vocatos fuisse *Clericos aut Canonicos* cum additione *Regularis.* Id autem factum diu postea, cum Canonici passim vitæ communi renuntiantes Claustris vale dixerunt, ad quorum distinctionem; qui sive communem, sive votivam vitam retinuere, dicti sunt reduplicativè Regulares. Tertiam rationem eamque solidam, impugnando Ludovicum Vivem, affert Aubertus Miræus libro inscripto *Canonic. Reg. S. Augustini origo &c. Non est* (inquit) *mirum inter Ecclesiasticos hanc loquutionem invaluisse, eo quod in antiquis Conciliis aliud sit*

Regulariter, aliud Canonicè vivere, in Concilio enim Moguntino legitur, [*si Monachi fieri voluerint, Regulariter vivant, sin autem Canonicè vivant omnino.*] *Non quasi Canonici nullam habeant Regulam, sed quia Monasticam non habent, quæ Ecclesiasticâ phrasi per antonomasiam solet Regula dici.* Pro differentia ly *Regulariter*, & ly *Canonicè* vivere, lege ejusdem Concilii Moguntini sub Carolo Magno cap. 13. & 21. & Arelatense Can. 6. & Vernense Can. 2. Ex quibus locis secundum Miræi observationem, supercilium Ludovici Vivis deprimitur.

Consentit Abbas in Caput *Deus qui. de vita & honestate Cleric.* & Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *de Variet. Relig. cap.* 9. ad distinctionem, inquit, faciendam inter duplicis generis Canonicos, quos sic describit: *Postea verò* (ait Suarez) *ipsi etiam Canonici vitam communem relinquere cœperunt, & proprias Prabendas inter se dividere, Canonicorum nihilominus retento nomine; & ideo illi Canonici qui in religiosa & communi vita permanserunt, Canonici Regulares dicti sunt, propter necessitatem determinandi ambiguitatem vocis Canonici.*

CAPUT VI.

De sancti Augustini Canonicorum Regularium instauratoris, ac sodalium ejus tàm in Presbyterio, quàm Episcopio, statu ac titulo.

ETsi jure meritò Erasmus in censura ad Regulam Augustini, scripserit satis ineptum esse de tanti viri titulo, idest Clericatu vel Monachatu, contendere; magisque ad rem pertinere, de pietatis illius & eruditionis æmulatione decertare, ut ii verè dicantur Augustini alumini qui virtutes proximè referunt: Attamen cum gravissimum sit non ferendum prorsus malum, iis qui se se filios credunt, charissimo orbari parente; & maximè injuriosa res nothis ac exteris posthaberi; meritò Canonici Regulares Augustinum parentem agnoscentes ipsumque eo titulo, amore strictissimo depereuntes pati omnino non possunt sibi Monachos, & Eremicolas posthumos velle subrogari, ipsiusque primogenitos præ illis unicis filiis reputari. Quapropter in sequentibus, titulum Augustini ipsiusque convictorum tàm in Presbyterio, quàm in Episcopio investigare operæ pretium duximus, & asserere in nullo prorsus statu ac gradu Monachum fuisse professum, idque singulari methodo, ac selectissimis rationibus, quæ huc usque fugêre ac latuêre illos Auctores, qui tàm è Canonicis Regularibus quàm è Monachis Eremitanis, huic versando argumento, tanto cum ardore desudarunt.

CAPUT VII.

D. Augustinus in Baptismo Monachismum non assumpsit.

DE Divo Augustino Possidius *cap.* 1. *&* 2. *ejus vitæ*, sic loquitur. *Et factum est divina præstante opitulatione, ut per illum talem ac tantum Antistitem Ambrosium, divina Augustinus perciperet sacramenta. Moxque ex intimis cordis medullis ad Deum conversus spem omnem quam habebat in seculo dereliquit, jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores seculi quærens, sed soli Deo cum suis servire statuit, in illo & ex illo pusillo grege esse studens de quo Dominus dicit, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum, vendite quæ possidetis & date eleemosynam. Et illud quod iterum Dominus dicit, idem vir sanctus facere cupiens, Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis & veni sequere me.* Ex his autumant aliqui D. Augustinum in baptismo assumpsisse statum Monasticum, vel saltem in votis & desiderio habuisse: sed nil hîc invictè pro Monachatu concluditur; nam inde tantùm colligi manifestum est, ipsum vitam Apostolicam fuisse æmulatum, & illud genus vitæ perfectioris fuisse sectatum, quod Apostoli, Apostolorum Discipuli, primi Christiani ac etiam matrimonio copulati ab Ec-

clesiæ incunabulis amplexati fuerant; qui vendebant possessiones & pretium ad pedes Apostolorum afferebant. Similis etiam erat Augustinus iis quos Divus Paulus describit, *qui utuntur hoc mundo tanquam non utentes.* Quales fuere præclari multi Christiani laïci, & Clerici, & inter hos (exempli gratiâ) Cyprianus, Ambrosius & alii, qui ne Monachismi pilum in sensu adversariorum habuerunt. Qui quidem Adversarii, Eremitæ scilicet Augustiniani, Monachismum ita Augustino affingunt in baptismo, ut ipsis tantùm non ethnicus sit, qui negarit eum in eo statu Monachum extitisse. Hinc eorum commento quasi Sibyllæ folium obtrudunt, sermonem quemdam D. Ambrosii, ubi describitur Augustinus in baptismo donatus ab Ambrosio cucullo nigro & baltheo coriaceo. Sed quæso te (lector) quid frontis habent qui tales nænias tali adscribunt viro & Doctori Ambrosio? Tam spurius est ille sermo, ut ne micam habeat dictionis & styli Ambrosiani, quin potiùs sordida ibi & demissa sunt omnia, cujus etiam crassissimos errores notavit Baronius in vita Ambrosii præfixa ejus operibus, insuper & in Annalibus circa annum 388. *Fertur* (inquit) *Ambrosii nomine sermo de Baptismo Augustini; sed qui nec apicem habet Ambrosii: multa sanè admiscuit imperitus fictor; nam ut de dissimili stylo taceam, quisquis fuerit, impostura facilè arguitur, cum ait Augustinum Carthaginensem fuisse, atque ex Gentilium cultu factum Christianum, & cum Ambrosio prolixè sæpè disseruisse; cum de se testetur Augustinus, nunquam sibi disputandi cum eo, sed nec sciscitandi datam copiam.* Et unde illud figmen-

tum concinnatori, cum agit de ejus baptismo? novum Christianum novis vestimentis cucullo nigro induimus, *cum moris esset baptisatum quemlibet albis induere vestimentis?*

CAPUT VIII.

Quali affectus fuerit generi vitæ Augustinus, quamdiu post baptismum mansit in Italia.

FAteor Divum Augustinum initio conversionis in solitariorum imitationem exarsisse, sed ita Deo disponente ab eo statu aversum fuisse, ut nusquam amplius de eo amplexando cogitaverit. Ardor hujusmodi Augustini in solitudinem patet ex his ejus verbis *lib.* 8. *Confess. cap.* 6. *Ortus est sermo narrante Potitiano de Antonio Ægyptio Monacho &c.* quæ vide ibi: *& cap.* 7. *ac* 8. *&* 10. *Confess. cap. ultimo. Conterritus peccatis meis & mole peccatorum meorum & miseria mea, agitaveram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem, sed prohibuisti me Deus meus, dicens: Ideoque Christus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Quid est autem ibi, non sibi sed Christo vivere, nisi eremiticâ & Monasticâ vitâ renuntiatâ, Christo, idest fidelibus, qui membra ejus sunt, vivere & immori animabus Christo interlucrandis? Quod fecit egregiè Augustinus prohibitus à petitione eremi.

Baptiſmo autem ſuſcepto, breviſſimo tempore moratus eſt in Italia Auguſtinus; ſtatim enim maturavit reditum ſuum in Africam. Et inde falſum quod dicunt Eremitæ Auguſtiniani, ipſum 30. annos natum cum baptiſmum ſuſcepit, tribus ſequentibus annis in Italia remanſiſſe, & verſatum fuiſſe cum Monachis in Etruria & Centumcellis, nunc Civita-vechia. Obſervandi enim ſunt anni Auguſtini dum baptiſmum ſuſcepit, & tempus quo in Africam relictâ Italiâ repedavit. Obſervo igitur Auguſtinum 33. annos ætatis natum, dum ſalutaribus undis tinctus fuit. Quod probatur ex eo quod *lib.* 3. *contra Academicos* ait, ſe dum hæc ſcriberet, natum eſſe annos 33. *& lib.* 6. *Confeſſ. cap.* 2. *&* 15. ait, ſe in ſuis ſtercoribus computruiſſe triginta annis & amplius. Igitur Auguſtinus dum ſalutari lavacro ablutus eſt trigeſimum annum egreſſus erat. Quod verò trigeſimum tertium attigiſſet, probatur; nam librum contra Academicos ſcripſit ante baptiſmum, ut omnino patet *ex lib.* 1. *Retractat. cap.* 1. idipſum quoque ex libro *Soliloq.* quem etiam ſcripſit ante baptiſmum, ut ex eodem *lib.* 1. *Retract. cap.* 4. conſtat. at *lib.* 2. *Soliloquiorum cap.* 10. ait, ſe dum hæc ſcriberet attigiſſe annos 33.

Obſervare deinde licet, Auguſtinum eodem anno reverſum in Africam quo baptiſatus eſt, & ſic non potuiſſe per triennium in Italia cum Monachis degere. Et hoc patet ex Auguſtino dicente *lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 2. (dum loquitur de morte matris ſuæ Monicæ) *ergo die nono ægritudinis ſuæ 56. ætatis, anno 33. ætatis meæ, anima illa religioſa à corpore ſoluta eſt.* Fuit autem eo tempore Auguſtinus in Oſtiis Tyberinis (ut ait

ipſe) *feſſus & fractus ex longo itinere.* At illi tantam moleſtiam non attuliſſet breviſſima aut Româ aut Centum-cellis peregrinatio, cum ex iſtis locis facillimus ſit, & intra pauciſſimas horas ad Oſtia Tyberina tranſcurſus: ergo aliunde quam Româ aut Centum-cellis. Et certè cum obitus matris, in menſis Maii quartum circiter diem inciderit, & menſe Aprili Sabbatho ante Paſcha Auguſtinus baptiſmum ſuſceperit, apparet exiguum admodum tempus Auguſtinum in Italia demoratum eſſe, antequam Africam repeteret.

Confirmatur collatione factâ ætatis Adeodati cum ætate Auguſtini. Dicitur Adeodatus cum Auguſtino baptiſatus anno 15. ætatis, at anno ætatis 16. erat in Africa cum Auguſtino. Nam librum *de Magiſtro* Auguſtinus in Africa ſcripſit, ut conſtat ex *Retractationibus*, in quo libro interloquutorem inducit Adeodatum, quem tum ait fuiſſe natum annos 16. Quod verò eſſet 15. annorum Adeodatus cum baptiſmum ſuſcepit, vide Confeſſ. *lib. 9. cap. 6.* Igitur anno immediatè ſequenti fuit Auguſtinus in Africa, non verò per tres annos à baptiſmo, Monaſtico indulſit otio in Italia. Nec etiam ex appellatione *Servi Dei* quâ Beata Monica in extremis agens Auguſtinum compellabat, argui & colligi debet ipſum poſt baptiſmum, Monachum fuiſſe profeſſum; *Unum erat*, (ait) *propter quod in hac vita aliquantulùm immorari cupiebam, ut te Chriſtianum Catholicum viderem, priuſquam morerer, cumulatiùs hoc mihi Deus præſtitit ut te etiam contemptâ fœlicitate terrenâ ſervum ejus videam.* Perinde enim ſonat, ac ſi diceret, Cum te videam non ſolum Chriſtianum Catholicum,

sed etiam honorum, voluptatum, divitiarum contemptorem, ac etiam conjugii, quo Christiano uti licet, quodque pristinæ libidinis remedium erat saluberrimum, minimè sitientem. Amplius enim (ait Possidius) de Augustini recens baptisati proposito serviendi Deo, quàm de carnis nepotibus exultabat; id est, de ejus proposito continentiæ, cui non sunt obstricti cæteri Christiani & Catholici. Ex *proposito* autem *continentiæ* & appellatione *servi Dei*, non illicò intelligendum esse *Monachum* pluribus infrà probabimus.

CAPUT IX.

De genere vitæ Augustini reversi in Africam usque ad Sacerdotium.

AD proprios lares reversus Augustinus, jejuniis & orationibus cœpit incumbere, & scribendis libris rudibusque catechisandis sedulam navare operam. Tunc etiam vitam cum *amicis* instituit socialem, sed nusquam Monasticam. Quod sic describit Possidius cap. 3. *Ac placuit ei perceptâ baptismi gratiâ cum aliis amicis & civibus suis Deo pariter servientibus, ad Africam & propriam domum agrosque remeare, ad quos veniens & in quibus constitutus fermè triennio & à se jam alienatis curis secularibus, cum iis qui eidem adhærebant Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus in legem Domini meditans die ac nocte, & de iis quæ sibi*

Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat, & præsentes & absentes sermonibus ac libris docebat. Ex quibus verbis colligitur, Augustinum reversum in Africam vitam quidem in communi vixisse, sed ex qua tantùm abest ut Monachismus ejus inde probetur, ut ne quidem Christianismus aut baptismus inde conjici possit demonstrativè. Nam & ante baptismum cum libidinis & peccati servus esset, ejusmodi vitam in votis habuerat, & cum amicis numero fermè decem condixerat, perfecissetque, nisi mulierculæ illos à proposito disturbassent, ut ex lib. 6. Confess. *cap.* 14. patet & ab ipso Augustino adhuc Cathecumeno, quasi prægustata fuit, & quodammodò inchoata in horto Verecundi, dum ibi cum sociis vacuus à curis rei familiaris, excusâque Rhetoricæ professionis sarcinâ, suaviter in philosophiæ gremio conquiesceret. Et etiam nuper baptisato arriserat Mediolani, nam *lib. 9. Confess. c.* 8. ait, *simul eramus, simul habitabamus placito sancto, matre Monicâ omnium curam gerente.* At in singulis illis statibus non Monachum egit; non quidem ante baptismum, ethnicus enim Monachus non est; non in Cathecumenatu, nam Cathecumenos sacra Monachorum adyta non admittunt; non recens baptisatus cum ejus & sodalium curam gereret S. Monica; apud Monachos autem nullæ fœminæ etiam Religiosæ commanere debent. Igitur Augustinus in penatibus erat laïcus, civilem & communem cum amicis vitam ducens, eo quippe nomine eum compellat, in toto illo triennio, Possidius cap. 4. *Solebat* (ait) *laïcus (ut nobis dicebat) ab eis tantùm Ecclesiis quæ non habebant Episcopos abstinere.* Et

cap. 18. *Ante proximum diem infirmitatis dictatos à se & editos recensuit libros, sive eos quos primo tempore suæ conversionis adhuc laïcus, sive quos Presbyter, sive Episcopus dictaverat.* At quis prudens intelligat per *laïci* nomen statum Monachi? Insignes Eremitæ Coriolanus, Marguesius, Lupus, citati à Gabriele Pennoto, & Petro à S. Trudone, totis nervis ac lacertis clamant & contendunt, Augustinum ante Presbyteratum appellatum laïcum; non quod non esset verè Monachus, sed quia sub nomine laïcorum tunc temporis censebantur Monachi; cum nondum usus in Ecclesia obtinuisset, ut Monachi ad sacros Ordines promoverentur, quam ob caussam dicebantur laïci ut à Clericis discernerentur. Sed falsissimum est, nam eâ ætate erant Monachi simul Clerici, SS. Hieronymus, Paulinus, Vincentius, Eudoxius Abbas Monachorum insulæ Capraria, & plures in Græcia, Palæstina, Ægypto & Gallia. At quis nisi in crasso ludens æquivoco, hos *laïcos* vocasset, quia Monachi erant?

Secunda ratio potior Adversariorum est. D. Augustinus duo genera laïcorum videtur distinguere, *inferioris propositi*, & *sublimioris*, hosque esse Monachos Augustino; sed his occurrunt Gabriel Pennotus & Petrus à S. Trudone, per laïcos inferioris propositi, de quibus Augustinus *cap.* 21. *de opere Monachorum* loquitur, intelligi seculares seu populares infimæ plebeculæ, quos excitantes tumultuosa certamina, dum alii pro otiosis, alii pro laboriosis Monachis erant divisi, compescit. Sed nusquam *sublimioris propositi laïcos*, Monachos vocari apud Augustinum contendunt. Etsi enim Monachi sublimius propositum

amplectantur quàm seculares, nusquam tamen nec unquam absolutè *laïcos* vocat Augustinus, aut *laïcos sublimioris propositi.* Si qui igitur sunt *laici sublimioris propositi*, contradistincti cum *laïcis propositi inferioris*, id est plebeiis, de quibus palam est supra locutum fuisse Augustinum, hi erunt, non *Monachi*, sed *primates* & *optimates*, quorum est infimam plebeculam tumultuantem sedare. Et hos Possidius vocat *eminentes laïcos*; & Augustinus *sublimiores potestates Epist.* 155. 160. 129. 171. 70. & *cap.* 21. *de catechisandis rudibus.* Concludit igitur in hunc modum Gabriel Pennotus, *Proferant Adversarii testimonia fide digna vel ex Augustino, vel ex probatis Auctoribus, illorum, vel superiorum temporum, quibus probent; quod aliquando vel Augustinus, vel alii Patres & Concilia illorum temporum, sub nomine laïcorum intellexerunt Monachos, sanè nos viginti quinque in contrarium adduximus, quibus non poterunt respondere, nec contradicere omnes adversarii nostri.*

Pergunt Monachi Eremitæ, & pro adstruendo Monachismo Augustini, dicunt eum reversum in Africam ante Presbyteratum solitudinem incoluisse apud agros proprios. Sed deditâ operâ obmittunt quod scribit & notat Possidius *cap.* 3. non tantùm *agros proprios*, sed etiam *domum propriam* incoluisse, quæ sita erat in civitate Tagasta, & non in solitudine aut Eremo, ubi Monachum profiteretur. Nam *in Epist.* 114. quæ est Nebridii ad Augustinum, luget Nebridius, quod Augustinus concivium suorum negotiis, ab otio litterarum nimiùm avocaretur; à quibus ut eum expediret, invitat ad ruri secum commoran-

dum, quò litterario genio, ut optabat, indulgeret; si autem ruri jam, non ad rus invitaret. *Itane est* (ait) *mi Augustine, fortitudinem ac tolerantiam negotiis civium præstas? necdum tibi redditur illa exoptata cessatio! Quæso qui te interpellant, credo, qui nesciunt quid ames, quid concupiscas, nullusne est tibi amicorum qui eis amores referat tuos? Nec Romanianus, nec Lucinianus, me certè audiant, ego clamabo, ego testabor te Deum amare, illi servire atque inhærere cupere, vellem ego te in rus mecum vocare, non enim timebo me seductorem tui dici à civibus tuis, quos nimium amas & à quibus nimiùm amaris:* & *Ep.* 116. respondet Augustinus *se ruri ex sententia degere non posse, habereque secum qui ad rus illud Nebridii venire non potuissent, & quos deserere nefas putaret.* Illud ipsum rus est, de quo loquitur Augustinus in Confess. Ubi de eodem Nebridio, *relicto* (inquit) *Nebridius rure paterno optimo, relicta domo & non secutura matre, nullam aliam ob causam Mediolanum venerat, nisi ut mecum viveret in flagrantissimo studio veritatis.* Igitur in civitate & domo propria agens Augustinus, isque reversus in Africam & ante Presbyteratum, Monachum non profitebatur. Confirmatur; nam certum est ejusmodi Epistolam fuisse à Nebridio scriptam intra illud triennium demorationis Augustini in propriis laribus ante Presbyteratum, quia Nebridius fatis concessit non multò post suam & Augustini conversionem, idque in Africa; sic enim testatur Augustinus *lib.* 9. *Confess. cap.* 3. *quem* (Nebridium) *non multò post conversionem*

versionem nostram & regenerationem per baptismum tuum, ipsum etiam fidelem Catholicum castitate perfectâ atque continentiâ tibi servientem in Africa apud suos, cum tota domus ejus per eum Christiana facta esset, carne solvisti. Hîc autem per transennam notet lector, Nebridium hunc unum fuisse quem Augustinenses, recèns baptisati Augustini commonachum in Italia faciunt, ac postea in Africa, qui tamen in sinu matris in propria domo æger expiravit, ut scribit Augustinus de eo *in Epist.* 116. quasi verò id sit esse Monachum.

Nec audiendus est Baronius, cui suum dogma de Augustini Monachatu Monachi affricuerant, dum vim facit in his verbis Possidii *cap.* 3. Augustinum apud ágros proprios remeasse; in agris enim morari, proprium dicit esse Monachorum. Sed Baronius non præterire debebat illa verba Possidii, *domum propriam* & agros proprios repetiisse; quæ quidem domus erat paterna & præcipuum domicilium, quod in urbe situm erat, ut dictum est, cuique vicini erant agri, ex quibus victitabat Augustinus.

Instant Eremitani Patres, dicuntque Augustinum ante Presbyteratum jam domo agrisque propriis renuntiasse, idque colligi ex Epist. ad Albinam 223. ubi dicit Augustinus. *Hipponenses cives dilexisse* (in se Augustino ad Sacerdotium assumpto) *quod audierant ipsum paucis agellulis paternis contemptis ad Dei liberam servitutem fuisse conversum, neque invidisse Ecclesiæ Tagastensi, quæ carnalis ejus erat patria, quæque ei Clericatum non imposuerat, quod eam hæredem instituisset.* Sed pergratam rem nobis

fecissent Adversarii, si probassent formale & specificum (ut aiunt) Monachismi discrimen in facultatum abdicatione consistere; invictissimis enim rationibus evincere parati sumus, ejusmodi bonorum renuntiationem desiderari quidem in Monachis,& esse velut proprietatem inseparabilem, sed non puram Monachismi essentiam; nam & insignes Episcopi, Clerici & laïci ejusmodi bonis propriis cessere, qui nusquam Monachi audiere, Ambrosius, Hilarius, & nascentis Ecclesiæ viri & mulieres, etiam conjugati, qui bona ad pedes Apostolorum afferebant in commune distribuenda. Ex quo irrefutabili fundamento Ilias illa contentionum & simultatum sopitur, quibus Canonicos Regulares inter & Eremitanos Patres utrimque decertatum est; an Augustinus paternâ hæreditate se spoliarit ante Presbyteratum,vel statim à susceptione Sacerdotii; idque ex locis obscuris apud Possidium Scriptorem vitæ Augustini, & in sermonibus ejusdem S. Patris ad Clericos.

Præterea cum Monachi vita sistat præcipuè secundum Hieronymum in planctu, oratione suique solius curâ; quomodo Monachus Augustinus in domo agrisque propriis præsentes & absentes quà sermonibus, quà libris docens? ut de ipso loquitur Possidius in ejus vita. Quâ etiam ratione Monachus Augustinus de seipso sic scribens ad Valeriū Episcopum Epist. 1. 48. *Tunc ordinatus sum, cum de ipso actionis tempore ad cognoscendas divinas scripturas cogitaremus, & sic nos disponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse.* Non igitur eremum, non cucullum, non vitam otiosam idest Monasticam meditabatur.

Denique Monachi illius ævi cultu aliquo peculiari notabiles erant, & in Ecclesia locum occupabant à cæteris secularibus discretum. At Augustinus mox inaugurandus Presbyter, cum promiscua plebecula sedebat, ex qua media tractus, invitus & reluctans ordinatus fuit. Si igitur Monachus fuisset, cultuque seu schemate usus fuisset Monastico, inter laïcos & infimam plebem non stetisset in Ecclesia, ante suam promotionem ad sacerdotium.

CAPUT X.

Augustinus à Presbyteratu usque ad Episcopatum, nec Monachus, nec inter Monachos vixit.

TAlis tantusque vir fuit Augustinus, moribus, doctrinâ, ingenio, ut certatim omnes ipsum vel Magistrum, vel parentem, habere totis votis ambierint. Docti quique ipsius se Discipulos, Clerici ac Monachi filios ac æmulatores profitentur. Unde sicut olim ac nuper inter doctos quosque viros orta sunt tumultuosa certamina, utrimque ad se trahentium Augustinum: Sic dudum, ac etiam non ita pridem zelo prorsus incredibili certatum est, Clericos inter ac Monachos pro dignoscendo instituto D. Augustini, quod Clericale clamant Canonici, Monasticum verò reclamant Monachi; utrique Augustinum sui cultûs, aut vitæ generis, vel Auctorem vel sectatorem autumantes. Longior essem, si hîc referre vellem tra-

gœdias quas eâ de re excitavit nimius partium ſuarum amor. Has legere eſt apud Gabrielem Pennotum, Petrum à ſancto Trudone & Joannem Melegarum, quorum prior jam pridem, alii verò duo poſtremi nuper, doctas concinnavere Apologias Romæ & Lovanii editas pro vindicando Auguſtini Clericatu & ejurando ipſius Monachiſmo, contra novos propugnatores ejuſcemodi Monachiſmi, Rivium, Lupum Eremitas Auguſtinenſes, & Cellotium Jeſuitam, quos à laudatis ſcriptoribus penitùs exarmatos, nemo non ſentiet, qui illas Apologias legerit. Quorum argumenta hîc repetere ſuperſedemus, ne labore alieno paginas noſtras impleamus; contentus hîc novâ & ſelectâ methodo rationibuſque à nemine quod ſciam adductis Monachiſmum ablegare à ſtatu Auguſtini Preſbyteri & ab ejus in Preſbyterio convictoribus; idem poſtea conglobatis rationibus de omni ſtatu vitæ ejus aſſerturus. Quapropter ſit hîc cap. undecimum.

CAPUT XI.

Idea Monachiſmi ad amuſſim depicta, ut à Clericali caractere diſtinguitur, quò dignoſcatur ſtatus tùm Auguſtini, cùm ſodalium, in ejus Monaſterio Presbyterali.

POſſidius vitæ Auguſtini *cap.* 5. ſcribit ipſum ordinatum Preſbyterum ſtatim excitaſſe Monaſterium, in quo cum ſervis Dei cœpit vivere ſecundùm Regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Ex quibus verbis anſam arripuere plu-

res sentiendi & scribendi Divum Augustinum instituisse Monachos in Presbyterio, & cum ipsis Monasticè vixisse. Cui quidem errori occurrendum duxi, primùm explicando rem maximè intricatam, scilicet essentiam Monachatûs; deinde ostendendo nusquam Augustino Presbytero & ejus Convictoribus adaptari potuisse: denique objecta solvendo quæ adversarii in medium adducunt, pro adstruendo & obtrudendo nobis ejuscemodi imaginario tùm Augustini tùm sodalium Monachismo.

Hæc autem ideo congessimus, non ut Monastico statui in quoquam detrahatur, quem tantis laudibus celebrarunt, & etiam certatim æmulati fuere sanctissimi quique Proceres ac Patres Ecclesiæ; cujus etiam obtrectatores severiùs castigat libro ad id scripto Chrysostomus. Scio equidem in ea nos infœlicia prolapsos esse tempora, quibus deflendum sit quod suo tempore dolebat Hieronymus Epist. 16. ad Principiam, *ignominiosum & vile in populis haberi Monachorum nomen.* Sed sycophantarum sit perversum illud de sanctissimo nomine & statu judicium; *insectentur Monachos* (ait Salvianus lib. 8. de Provid.) *qui in iis sibi omnia æmula & inimica cernunt*, discantque ab Augustino in Psalmum 99. & 132. *omnem conditionem includere bonos & malos, esseque Clericos perinde falsos ac Monachos. Sunt & Monachi falsi, & nos novimus tales, sed non periit fraternitas pia propter eos qui profitentur quod non sunt, tàm sunt enim Monachi falsi, quàm Clerici falsi & fideles falsi.* Quis autem sanus ex aliquorum inquinamento, inclytum Monachorum ordinem criminetur?

Mens etiam fuit in hac Monachiſmi inveſtigatione præpoſterum plurimorum judicium, modumque loquendi ſupinam prorſus oſcitantiam redolentem corrigere; qui Monachiſmum nominant, vel æſtimant ex vita communi, ex Religioſis ac regularibus quibuſdam inſtitutionibus, ex continentia, & ſeceſſu à turba, Monaſticumque clamant quidquid ſeculo, libertatique repugnat. Sed hîc ſapiendum eſt cum paucis; illudque dogma notum tantùm quoad ſapientes amplecti, nempe, quidquid Religioſum & à ſeculi moribus abhorrens non propterea Monachiſmum redolere; Clericos Religioſos eſſe fuiſſeque in Eccleſiâ, ac laïcos ſublimioris meriti ac continentiæ ſingularis, à Monachis purè & ſimpliciter conſideratis omnino diſcretos. Quales ſanè extitiſſe Clericos Auguſtino Epiſcopo, & laïcos ſeu ſervos Dei ipſimet Preſbytero conviventes, ex aſſerendis de eſſentia Monachatûs, cuilibet acutæ naris palam fiet.

CAPUT XII.

Vocabuli Monachi *interpretatio.*

ETſi nomen ac vocabulum *Monachi* Latinis Græciſque ſcriptoribus familiare ſit; attamen non unam interpretationem ab omnibus ſortitur. Alii ab *unione* vel *unitate* Monachos dictos volunt, & inter alios D. Auguſtinus in Pſalmum 132. *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Iſta* (inquit) *verba pſalterii, iſte dulcis ſonus, iſta ſuavis melodia Monaſteria peperit, ad hunc ſonum exci-*

tati sunt fratres, qui in unum habitare concupierunt &c. Et infra. *Quare non appellemus Monachos cum dicat Psalmus, Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum? μόνος enim unus dicitur, & non unus quomodocũque; nam & in turba est unus, sed unà cum multis unus dici potest: μόνος non potest idest solus, μόνος enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum ut unum, hominem faciant, & sit illis verè una anima & unum cor, multa corpora, sed non multæ animæ, multa corpora, sed non multa corda, rectè dicitur μόνος idest unus solus; unde & ille unus sanabatur in piscina, unus solus unitatem Ecclesiæ figurabat. Meritò insultant nomini unitatis, qui se ab unitate præciderunt; meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus.* Sed quamquam præclarissima sit hæc *Monachi* interpretatio, non tamen omnino adæquata videtur, cum solis Cœnobitis seu communem vitam agentibus, imo omnibus Christianis tantùm convenire videatur; non verò Anachoretis aut Eremicolis, quos tamen Monachorum albo inscribunt Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium, & Cassianus Collat. 18. cap. 4. Unde alii vocem *Monachi* à μόνος, ut *solum* vel *solitarium* significat, desumptam existimant; cui quidem sententiæ favet D. Hieronymus ad Paulinum *relatus etiam ab Ivone cap. 2. p. 7. Decreti. Si cupis esse quod diceris Monachus idest solus, quid facis in urbibus quæ utique non sunt solorum habitacula sed multorum?* Et ad Heliodorum, *interpretare vocabulum Monachi, hoc est nomen tuum, quid facis in turba qui so-*

lus es ? quid agis frater in seculo qui maior es mundo ? Quamdiu te fumosarum urbium carcer includet ? Et ad Rust cum. *Quid desideramus urbium frequentiam qui de singularitate censemur ? mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus.* Alludit Petrus Damiani, dum invehitur in *urbicos Eremitas, forenses Solitarios, & Monachos universales.* Eò pertinet illud Cassiani, *Collatione* 18. *cap.* 5. *Qui paulatim tempore procedente segregati à fidelium turbis, ab eo quod à conjugiis abstinerent, & à parentum se consortio mundique istius conversatione secernerent, Monachi sive Monazontes singularis ac solitaria vita districtione nominati sunt.* Accedit & illud Concilii Nicæni, relatum 16. *quæst.* 1. *c.* 1. *Placuit ut Monachorum conversatio & vita secundùm etymologiam nominis ab omnibus discrepet ; Monachus enim Græcè Latinè singularis dicitur, unde Monachum per omnia singulariter agere oportet.* Sed nec completa aut perfecta videtur adhuc Hieronymi ac ipsi consentientium interpretatio vocabuli *Monachi*, à solitudine deducta ; hac enim ratione nomen Monachi solis Eremitis aut Anachoretis conveniret ; quod tamen idem Hieronymus Cœnobitis etiam quadrare docet *Epist.* 22. *ad Eustochium.* Tertiam suppeditat Dionysius *cap.* 6. *Eccles. Hierarch.* à *Monade* derivatam. *Quia* (ait) *rebus divisibilibus relictis Monadi idest Divinitati soli placere atque uniri contendunt, inde sancti Præceptores nostri Monachos appellarunt ab individua & singulari vita, ut quæ illos per sanctas divisibilium affectuum in unum complicationes & collectiones*

in deiformem Monadem singularemque perfectionem promoveat. Conforme est illud Clementis Alexandrini *stromatum lib.* 4. *pag.* 390. εἰς δὲ τὴν ἀπάθειαν θεούμενος ἄνθρωπος ἀχράντως μοναδικὸς γίνεται. Quæ quidem explicatio cum Cœnobitæ juxta ac Anachoretæ conveniat, omnium perfectissima videtur, tantoque pluris facienda, quod à Dionysio rerum Monasticarum egregio depictore suppeditatur; qui quidem Areopagita non fuisse convincitur; cum hîc *præceptores suos* memoret, à quibus *Monachi* appellationem didicerit; qui sanè *Apostoli* non fuerunt, cum hi nusquam unquam de Monachis locuti fuerint; sed alii Apostolorum, satis longa temporis intercapedine, sequaces; à quibus Dionysius ille, non tantùm nominis *Monachi* interpretamentum, sed & vestes, tonsuram, ceremoniasque receptionis seu institutionis Monachorum, edoctus fuit, quæ postea tam graphicè descripsit, ita ut non nascentem Ecclesiam, sed ferè adolescentem omnino sapiant.

Porro ne sibi contrarius videatur Hieronymus, dum vocabulum *Monachi* à solitudine desumit uno loco, & in altero *Cœnobitas* eo nomine comprehendit, observare licet, Cœnobitas, de quibus loquitur, solitudines incoluisse, & in desertis locis habitasse ab invicem separatos, licet junctis cellulis; quod & tradit D. Augustinus libro de moribus Ecclesiæ; quæ quidem ab invicem separatio solitudo rectè vocari potest, sicque denominatio *Monachi* à solitudine petita ipsis competere, quemadmodum nostris Carthusianis, qui licet junctas habeant cellulas & mansiunculas, tamen perfecti audiunt Monachi & solitarii. Nec

etiam à corporis solitudine, interiorem secessum ac unionem cum Deo seu Monade, excludit Hieronymus, imo exteriorem illam nauci non faceret, nisi interioris secessûs singulare adminiculum existimaret, dum multis locis docet, Monachi proprium esse flere, orare, non docere, sed propriæ tantùm saluti invigilare, ut penitus soli Deo per contemplationem adhæreatur.

CAPUT XIII.

Definitio Monachi *traditur.*

EX dictis sic definiri potest *Monachus. Vir divino cultui, bonorum abdicatione, & continentia proposito specialiter mancipatus, qui in sancto secessu degens propria saluti totus incumbit; ac curis omnibus exutus & exemptus, uni Deo per amorem & contemplationem adhæret.* In qua quidem definitione, *mancipatio divino cultui, continentia professio, bonorum abdicatio, secessio à turbis* tenent locum generis; quia aliis quàm *Monachis* hæ dotes convenire possunt. Sed differentiæ specificæ locum tenent ea verba, *sibi soli studere, ac curis omnibus exterioribus eximi, ut uni Deo adhæreatur.* Per quæ *Monachus* constituitur in esse Monachali, & distinguitur ex una parte à perfectione *Clericali*, ex alia verò, à *laïcali*. Quarum illa, curas & sollicitudines animarum & Ecclesiæ suscipit, per actionem; hæc verò, scilicet laïcalis perfectio continentium bonisque renuntiantium, rebus quidem temporalibus cedit, sed nondum cu-

ris Ecclesiasticis nuntium remisit; sed in meditullio constituta vocantem Deum expectat, cui nempe generi vitæ se dedat, an contemplationi & solitudini, id est *Monachatui*, an vitæ activæ & erga proximum occupatæ, idest *Clericatui*. Duo igitur infert conceptus formalis Monachatûs; *renuntiationem negotiis secularibus* quam secessus exterior indicat; & *abdicationem curæ ac sollicitudinis Ecclesiæ, seu Clericalis ac pastoralis oneris*; nam licet Deum hæc cura respiciat, orationis tamen quietem sæpius disturbat; sicut Marthæ negotium licet circa Christum occupatum, Mariæ tamen otium interturbare videbatur.

CAPUT XIV.

Genus definitionis Monachi *explicatur.*

CUm genus illud sit apud Philosophos, quod est commune multis specie differentibus; ita in definitione *Monachi* genericum quid invenitur, in quo convenit cum pluribus Christianis singularem sanctitatem sectantibus, qui tamen à Monacho specie & essentiâ differunt.

Diximus imprimis, Monachum eum esse, *qui divino cultui specialiter mancipatur, bonis renuntiat, & continentiam profitetur.* A *cultu Dei* θεραπευταὶ, id est *cultores Dei Monachi* vocati sunt à Dionysio *cap. 6. Eccles. Hierarchiæ*, vel ἱκέται, id est *supplices*, seu orantes à Philone *de vita contemplativa.* Quod autem spectat *bonorum expropriationem*, & *continentiam* quam Monachi profitentur, utramque am-

plexos fuisse ejusmodi Therapeutas vel Supplices; describit idem Philo *pag.* 565. *Editionis Basiliensis*, his verbis. *Huic vitæ instituto qui se addicunt, id faciunt amore correpti cælestium, & præ immortalis beatæque vitæ cupidine, quasi jam huic mortali defuncti, facultates suas relinquunt; fœminæ quoque, anus pleræque & virgines non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quædam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cujus studio per totam vitam contempsere voluptates corporis, nimirum divinæ non mortalis prolis cupidæ.* Et hæc à Philone dicta fuisse de Essenis Christianis apud Alexandriam sub Marco, censent Eusebius, Epiphanius, Hieronymus & alii, maximè Serarius in Trihæresco, cap. 29. 30. & 31. contra Centuriatores, & Josephum Scaligerum aliter sentientes. Sed est procul ab omni dubio primos Christianos primitias divini spiritûs habentes, propriis renuntiasse bonis, quorum pretium ad pedes Apostolorum afferebant. Et præterea plures addidisse continentiam liquet ex Justino *Apologia 2. ad Antoninum*, & Tertulliano *Apolog. cap.* 39. 42. 43. 44. & *lib. de cultu fœminarum cap* 9. Taciano *orat. contra Græcos p.* 167. & 169. 170. Ignatio *Epist. ad Philipp.* Athenagora *legat. pro Christianis p.* 37. Quâ quidem bonorum abdicatione, & professione castitatis tùm laïci tum Clerici nascentis Ecclesiæ secuturis Monachis præluxere, unde Hieronymus observat in Philone, *primos Christianos tales extitisse, quales postea Monachi esse conati sunt.*

Hanc autem vitæ sanctimoniam quam postea æmulati sunt Monachi, variis nominibus expres-

fere vetusti Ecclesiæ Patres ac Doctores; nam præter θεραπευτὰς & ἱκέτας, de quibus mox diximus, gradus *Continentium* apud ipsos vocabatur εὐνουχία & *spadonatus*. Gradus aspirantium ad virtutem, ἄσκησις. Propositum solitariæ vitæ ducendæ, μονάζον: ita tamen ut sæpe ἄσκησις omnes perfectæ vitæ conditiones & gradus exprimeret. De Eunuchismo Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pædag. cap.* 4. *pag.* 168. ait. *Verus Eunuchus est, non qui non potest, sed qui non vult dare operam voluptati*: & *Stromat. lib.* 3. *pag.* 334. εὐνοῦχισον, illum qui pro Christo conjugio renuntiat. Item Athenagoras *Oratione pro Christianis post medium*, meminit εὐνουχίας, pro *proposito continentiæ*. De spadonatu Tertullianus loquitur, dicitque, *multos se spadonatui assignare propter regnum Dei, tam fortem & utique permissam voluptatem sponte ponentes, de cultu fœmin. cap.* 9. De *Exercitatione* seu Ἀσκήσει plura egregia tradit Concilium Gangrense, & Clemens Alexandrinus passim. Eusebius etiam *lib.* 2. *Histor. cap.* 17. Ascetas memorat, & Ruffinus Interpres eo nomine comprehendit tam Laïcos quàm Clericos; & pro Clericis eo nomine donatis vide Concilium Ancyranum *an.* 314. Sic Philo *libro, in ea verba, Et resipuit Noë*, vocat ἀσκητὴν, pietati deditum virum. Cyrillus Jerosol. *Cath.* 10. vocat Annam Prophetissam ἀσκητρίαν, Isaacus Casaubonus dicit non rectè ab interprete dici Monialem, ac Baronium Interpretis fidem temerè secutum non mediocriter hallucinatum fuisse; quia, ait, si Ἀσκεῖν, & ab eo deducta in solis Monachis & Monialibus locum habent, sequeretur inde omnes

Christianos esse Monachos & Moniales, de omnibus enim id verbum promiscuè usurpatur apud Patres. Qui sanctum Athanasium Latinum fecit, ἀσκητὰς interpretatur *devotarios*. Alii vocaverunt *Abstinentes*; sic idem Philo; de quo Eusebius interprete Ruffino, ait, sed & *Abstinentium vitas eorum qui nunc in Ecclesiis vel Monasteriis degunt*, describit ad liquidum. Professionem continentiæ & renuntiationis seculo vocavere θεοσοφίαν seu *philosophiam divinam* Patres Concilii Gangrensis *Can.* 3. & hujus Professores *Philosophos* vocat Chrysostomus *lib. de differ. Regis & Monachi*, sicut & Gregorius Naz. *Oratione* 9. & 21. *Conversionem* dixere Patres Concilii Arelatensis II. *Can.* 2. & Divus Benedictus. Unde extat titulus 32. de *Conversione conjugatorum* lib. 3. decret. *Renuntiationem* Cassianus, & *servitutem Dei* Augustinus. Qui autem ad hujus perfectionis apicem tendere non potuerunt, vocati sunt in Concilio Gangrensi *Can.* 21. ἀφελέστερον βιῶντες, id est *simpliciùs viventes*; & apud Augustinum *lib.* 2. *Retract. inferioris propositi laïci, cap. scilicet* 21. Et apud Hieronymum *Ep.* 3. *ad Heliodorum de morte Nepotiani*, id vocatur, *imperfecta servitus Dei.*

Hæc porro ideo congesta sunt, ut pateat *propositum continentiæ*, & *abdicationem rerum omnium ac mancipationem specialem cultui divino*, commune quid fuisse olim Monachos inter & Laïcos, ac Clericos, indeque genericum esse in definitione *Monachi* superiùs traditâ. De Clericis quidem clarus est supra Ruffinus, & patet ex

Ancyrano Concilio laudato, propter exempla quæ habemus in Ambrosio & Cypriano. De Virginibus Deo per continentiam sacratis, & viris continentibus sole clariorem mentionem faciunt Tertullianus, Tacianus, & Ignatius locis suprà relatis; de conjugatis continentibus exemplum suppeditat Hieronymus in Rustico & ejus uxore ante ipsius Monachatum *Epist.* 10. *lib.* 2. Igitur aliud investigandum est in Monacho, per quod differat ab Ascetis, Eunuchis, Spadonibus, Conversis, Renuntiantibus, Abstinentibus & aliis Evangelicam perfectionem sectantibus, & per quod in esse Monastico constituatur, eòque differat ab aliis, cum quibus genere seu per aliquod commune conveniebat.

CAPUT XV.

Differentia specifica definitionis Monachi *statuitur & explicatur.*

NAscentis ac etiam adolescentis Ecclesiæ temporibus, laïci perfectionem Evangelicam sectantes, continentes, ac bonis propriis renuntiantes, cum aliis laïcis inferioris propositi permixti convivebant, sive privatim in ædibus suis morarentur, vel in Collegiis. Sed cum maximam salutis aleam sibi subeundam esse mediis in urbibus & plebis frequentiâ animadverterent, saluti consulendum duxerunt, duplici modo; alii fugiendo in solitudines, ut solitarii viverent; alii verò secedendo à turba, ita tamen ut plures in eisdem

ædibus morarentur. Priores dicti sunt *Monachi*, & fuere in duplici discrimine, Anachoritæ nempe & Eremitæ. Posteriores verò fuere triplicis generis, quorum primum erat, Laïcorum plurium in civitate simul viventium, tamen à vulgi vita remotissimorum. Secundum genus erat Cœnobitarum in desertis locis habitantium procul ab hominum consortio; de utrisque disertè loquitur Augustinus *lib. de Moribus Ecclesiæ cap.* 31. 32. & 33. Tertium genus erat Cœnobitarum in civitate constitutorum, qui licet à turba essent discreti, tamen erant actuosi & aliis utiles; de quibus insignem edidit Basilius tractatum περὶ τῶν ἐν κοινοβίῳ Κανονικῶν, ubi ad eos convertit sermonem, postquam de Monachis dixerat, sicque eos ab his secernit, nimirum quia Cœnobitæ illi, quos à *Canone* vitæ Apostolicæ *Canonicos* ibi vocat, eo fine ab eo instituti fuerant, ut vicinæ plebi, cum necessitas urgeret, mutua charitatis impenderent officia. Contra verò Monachi ab ipso instituti, remotas incolebant solitudines, de sua tantùm privata salute solliciti, & nil amplius curantes, quam ne curarent, ita ut contemplationis otium, unicum illorum esset negotium.

Per hunc Divum Patrem, *Monachi* vocabulum maximè vulgari cœpit, ita ut *Ascetarum* nomine relicto continentibus vel laïcis perfectis sive congregatis, sive singulariter agentibus, vel etiam aliquibus Clericis sanctiorem vitam sectantibus; cæteris autem nominibus ac titulis *Eunuchismi*, *spadonatûs*, *Abstinentium*, & aliis hujusmodi antiquatis, *Monachorum* nomen à Græcis & Latinis tribueretur iis, qui solitariè degentes, curis

curis omnibus renuntiabant, tam ſecularibus quàm Eccleſiaſticis, ut uni Deo ſervirent, & propriæ ſaluti unicam darent operam; indeque Antonius, Paulus, Hilarion, Pacomius, cæterique ſolitudinis incolæ, Monachorum nomen antea ſubobſcurum celeberrimum reddidere.

Nec obeſt quod Caſſianus *collat.* 18. *cap.* 5. ducit originem Monachorum à tempore Apoſtolorum, & dicit perduraſſe in quibuſdam ferventioribus, qui vitam communem abrogatam cernentes, hanc in locis ſuburbanis ac ſecretioribus exercuerunt, uſque ad Paulum & Antonium. Fateor equidem DD. Baſilium *in Conſtitutionibus* Monaſticis *cap.* 10. Chryſoſtomum *Homilia* 11. *in Acta, lib.* 3. *contra vituperatores vitæ Monaſticæ*, eumdem Caſſianum *lib.* 2. *Inſtit. cap.* 5. docuiſſe Chriſtum Monachiſmi Auctorem & Inſtauratorem, & Monachos ab Apoſtolorum vita communi trahere ſuos natales; ſed potiori jure, etiam Clerici Religioſi à Chriſto & Apoſtolis orti ſunt, habitâ ratione tùm ſacerdotii ſibi à Chriſto communicati, cùm vitæ communis, quam in eiſdem Apoſtolis æmulantur. Quia tamen Clericalis Religio ſeu Ordo Canonicus, non omnino & completè eſt ab Apoſtolis, ut dictum & probatum eſt initio hujus libri, ſic nec Monaſtica inſtitutio. Quia vita communis quam in ea prædicant laudati Patres, juncta cum abdicatione proprietatis, nequidem ſit differentia (ut aiunt) ſpecifica Monachatûs; cùm per eam vitam communem, & abdicationem bonorum non diſtinguatur Monachatus, vel à Clericali ſtatu naſcentis vel provectæ Eccleſiæ, vel etiam laïcali perfecto. Unde Monachatus non eſt ab Apoſtolis,

nisi secundum aliquod genericum, proindeque commune, ac cæteris statibus conveniente, non verò secundùm specificum quid & ab aliis statibus discretum; quod tamen esse deberet, ut propriè & completè Monachismus ab Apostolis manasse & institutus fuisse diceretur. Et sic intelligendus est Cassianus, dum originem Monachorum, cum aliis quibusdam Patribus mutuatur ab Apostolis. Hinc est quod ipse D. Chrysostomus vitæ Monasticæ contra obtrectatores acerrimus propugnator, docet *Homil.* 25. *in caput* 11. *Epistola ad Hebræos* circa finem; *tempore Divi Pauli ne vestigium quidem Monachi extitisse in Ecclesia.* Imo Josephus Scaliger observat ante Paulum Eremitam nullos in Ecclesia extitisse Monachos. *Nam* (ait) *hos non tacuissent quotquot à Justino Martyre viri Ecclesiastici ad Cyprianum usque scripsêre.* Neque tot examina Monachorum potuerunt esse, quin (ut Tertullianus loquitur) aliquam contesserationem cum Ecclesiis atque Episcopis haberent. Denique multa de illis apud Scriptores Ecclesiasticos extarent testimonia, at nulla extant. Monachatus igitur ignotum vitæ propositum prisco Christianismo. Adde tot inter procellas persecutionum, quibus tandiu vexata est Ecclesia, nullos memorari Monachos Martyrii palmam adeptos; qui si fuissent, sanè in confessione fidei primas inter alios tenuissent. Meminit quidem Eusebius Ascetarum quorumdam Martyrum *lib.* 8. *cap.* 20. & 22. quos suo more impropriè, ut ex Casaubono suprà notavimus, Monachos vocat Baronius ad annum 229. Ex quibus colligitur seriùs Monachi nomen tributum fuisse Ascetis aut perfectioribus

viris, iis maximè, qui, ut ait Dionysius, divisibilibus renuntiando, Monadi seu Divinitati unicè adhærere cœperunt. Divisibilibus, inquam, id est secularibus ac etiam Hierarchicis sollicitudinibus. Utræque enim, licet ratione diversa, mentem ab otio & quiete contemplationis avocare & dividere solent.

His ita prælibatis, discrimen specificum Monachismi figimus, in eo quod præter continentiam, vitam communem, & facultatum contemptum, quæ sunt quid genericum æquè conveniens statui Clericali & laïcali; addat insuper propositum renuntiandi, non solùm negotiis secularibus, sed etiam muniis illis spiritualibus & Hierarchicis; ut uni Deo in contemplationis otio adhæreatur, salutisque propriæ sola provincia suscipiatur; arte illa artium, regimine scilicet animarum, penes Clericos & Hierarchas derelictâ.

CAPUT XVI.

Asserta differentia specifica Monachatus adstruitur auctoritate Patrum ac Conciliorum.

ANtequam hujusmodi discrimen statuatur, operæ pretium est ostendere *Monachi* nomen Ascetis non fuisse tributum ob continentiæ professionem, vel propriarum facultatum abdicationem; sed ob aliud specificum & Monacho proprium, quod hîc inquirimus.

Divus Hieronymus Epistolâ ad Nepotianum,

loquitur de illa renuntiatione propriis facultatibus, sicut de dispositione æqualiter communi Clericali & Monasticæ vitæ, cùm ait, *Epistolâ 2. Qui seculi militiâ derelictâ, vel Monachus esse cœperit vel Clericus.* Et hortatur Heliodorum avunculum illius Nepotiani, qui seculo & conjugio renuntiarat, ad Monasticam vitam potiùs quàm Clericalem. *Derelictâ* (inquit) *militiâ te castrasti propter regnum cœlorum; & si te ad Clericatûs ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.*

In corpore Juris Pontificii Bonifacius IV. 16. *quæst.* 1. *cap. Sunt nonnulli.* loquens de renuntiatione rebus secularibus, docet hanc *Apostolicis documentis & omnium Patrum institutis, non solùm Monachis, sed etiam Canonicis maximoperè imperari.*

Sed mirè rem probat Chrysostomus superiori capite laudatus, dum scribit tempore Pauli vestigium non fuisse Monachi: quo tamen tempore erant continentes & bonorum abdicationem profitentes, ut apertè colligitur ex Actis Apostolicis, quo patet, Monachatum Chrysostomi sensu in iis rebus consistere non posse.

Sistere autem specificè & essentialiter in renuntiando curis secularibus, & sollicitudinibus ac muniis Ecclesiasticis; quorum primo Monachus differt à vulgaribus laïcis, & secundo distinguitur à Clericis, illud est quod impræsentiarum ostendimus.

Imprimisque ex Conciliis. Quorum vetustissimum, & quod primario vocabulum *Monachi* usurpavit (quod legam) est Chalcedonense Oecumenicum, unum ex quatuor celeberrimis, habi-

tum contra Eutichem anno 451. Ubi postquam declaravit sancta Synodus Canone 4. *Eos qui verè Monachi sunt convenienti honore dignos esse*; accingit se ad descriptionem eorum qui eo nomine prorsus indigni sunt; nimirum qui cultu Monastico abutentes civitatum & Monasteriorum negotiis se se intricabant; quod eis postea prohibet, utpote contrarium nomini & professioni Monasticæ, jubetque τοὺς δὲ κατ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας, *quietem amplecti, jejunio & orationi tantummodò vacare, neque communicare Ecclesiasticas, neque seculares attrectare actiones.* Veros autem *Monachos*, quos sanctam Synodum venerabiles dixisse notavimus, Græca sic describunt, οἱ ἀληθῶς καὶ εἰλικρινῶς τὸν μονήρη μετιόντες βίον. Id est *qui syncerè & verè Monasticam vitam sectantur.* Ex quo colligitur vera & germana, imo unica characteristica Monachatûs, *abdicatio scilicet secularium negotiorum, & curarum ac sollicitudinum Hierarchicarum seu Ecclesiasticarum.* Ubi nota hunc Canonem tanti fuisse momenti tamque notabilem fuisse ad designandam Monachalis statûs proprietatem, ut illud idem renovaverint summi Pontifices Paschalis II. & Alexander II. 16. *quæst.* 1. *cap.* 9. & 11. Cui conforme est *caput Placuit* supra relatum, quod iterum legere est *causa* 16. *quæst.* 2.

Concilium sextum Parisiense anni 829. *c.* 46. *libro* 1. ait *cum Canonica auctoritas doceat Monachos quietem debere diligere, & intentos esse tantummodò jejunio & orationi, in locis quibus renuntiaverunt seculo permanentes, ut nec Ecclesiasticis nec secularibus negotiis communi-*

cent &c. Et in hoc ſuccinit Pariſienſe cum Chalcedonenſi mox laudato.

Ex Patribus eadem veritas confirmatur, & præter ea quæ ex Hieronymo ſuprà retulimus, de interpretatione Monachi à ſolitudine & ſui ſolius cura, per quam etiam curis Eccleſiaſticis renuntiatur, idem probat Dionyſius dum ait, ubi de ceremoniis profeſſionis Monachi, τὴν μοναχικὴν τάξιν οὐκ εἶναι προσαγωγικὴν ἑτέρων, ἀλλὰ, &c. *Monachorum ordinis non eſſe alios deducere, ſed in ſe ac per ſe ſtare in ſingulari ſtatu ſanctorum.*

Sanctus Epiphanius Epiſt. ad Joannem Hieroſolymitanum inter Epiſtolas Hieronymi, obſervat, quod ſi quis Monachus Preſbyter fieret, non defungebatur muniis Eccleſiaſticis, imo à ſacrificio celebrando abſtinebat, & exemplum ibi ponitur de Hieronymo & Vincentio Monachis ad ſacerdotium inauguratis, *qui propter humilitatem ſui Monachatûs nolebant debita muneri ſuo ſacrificia exercere, & laborare in hac exercitatione, in qua ſiſtit omnium ſalus.* Unde & Clerici deputabantur de Parochia vel Eccleſia Cathedrali, ut ſacrificia apud eos peragerent, & Sacramenta eis miniſtrarent, quiquidem vocabantur κληρικοὶ μοναστηρίων in Concilio Chalcedonenſi Can. 8. cum antea Monachi ad Parochialem Eccleſiam convenirent, oblatioaem etiam ad altare deportaturi ad modum laïcorum, ut patet ex Hieronymo ad Heliodorum.

Si autem labente tempore, Ordo Monaſticus ſacerdotio inſignitus eſt, id factum ex diſpenſatione, deputatione & ex privilegio, idque rarò. Hinc eſt quod Divus Benedictus in Regulæ cap.

60. receptum Presbyterum in Monasterium & in Monachum, jubet sedere post Abbatem; ex quo apparet nullos Presbyteros fuisse in Ordine S. Benedicti ab initio. Aliquando etiam ita ordinabatur Monachus, ut tantùm sacra faceret, sed non ministraret cæteris; qui quidem *Missalis* Sacerdos dici poterat secundum distinctionem traditam in Concilio Anglicano *anni* 967. *Can.* 46. sub Edgaro Rege, ubi celebris fit mentio *Missalis Sacerdotis*, & *Parochialis*, quorum ille tantùm rem sacram faciebat, hic verò etiam plebis curam habebat.

Sed ad intentum nostrum probandum, sufficere potest locus unicus Hieronymi *Epist.* 61. *ad Pammachium adversus errores Joannis*: ubi testatur ita sibi & ea conditione à Paulino Antiocheno *Presbyterium fuisse tributum, ut Monachum non auferret.* Quasi sentiret Hieronymus, Monachismum auferri ei, qui, cum propriæ & privatæ saluti operam dare proposuisset, eamque ob causam Monachismo nomen dedisset, postea curam animarum suscipere & pastorem agere compelleretur. Tam enim pugnantia invicem hæc arbitrabatur, hominem otiosum & negotiosum simul esse; flere, orare & sedere, & Dominicum gregem pascere, uno verbo, Monachum profiteri & Clericum agere; ut justè timeret, sacerdotii promotione Monachismum avulsum & destructum iri. Unde Hieronymus extraordinario modo voluit in Presbyterum sic inaugurari, ut Monachismus in ipso servaretur illæsus. Cui si eâ lege sacerdotium impositum fuisset, ut quemadmodum illius temporis mores ferebant, Hierarchicis functionibus defungi debuisset, ablatum prorsus

à se Monachismum facilè existimasset. Ex quo eruitur discrimen specificum, quo Monachatus à Clericatu distinguitur, otio scilicet, quo ille ab hujus negotio formaliter distinguitur. Ubi nota ad confirmationem sententiæ quam supra explicuimus, de natura & essentia Monachismi; Hieronymum assumptione Presbyteratûs & Clericatûs non timuisse ut auferrentur à se contemptus rerum, consiliorum divinorum observatio, propositum paupertatis, continentiæ professio, obedientia Majoribus suis, & si qua vota Deo nuncupasset, non ea, inquam, omnia verebatur à se auferenda, quæ proinde ex ipsius doctrina *Monachum non constituunt*. Quid ergo timebat sibi auferri Hieronymus? Unicum & firmum propositum uni Deo & sibi soli vacandi repudiatis publicis tam secularibus quàm Ecclesiasticis muniis. Quibus si addicendus fuisset, Monachatui assumpto æternum vale seu nuntium omnino dicendum ac remittendum prorsus existimasset. Fateor quidem D. Hieronymum aliquando Monachismum in contemptu mundi collocasse; veluti cum loquitur de Matronis Romanis, quæ pompas seculi contempserant; tunc enim tantùm Monachismum à suis proprietatibus metitur; sed nullibi suam mentem aperit clariùs de Monachismi essentia, quàm cum opponit Clericatui, tunc enim, formalem (ut aiunt) differentiam unius præ alio apprimè discriminat, dum utriusque finem omnino diversum docet.

S. Paulinus Epist. 40. confert vitam Monachorum, vitæ Joannis in deserto, & Clericorum, vitæ Christi in templo. *Clericus* (ait) *in servitutem ministerii vocatus est*, *Monachus in Mo-*

nachi libertatem; ille audivit ut dicat, Introibo ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam, & hic, ab eodem Propheta didicit dicere, Singulariter sum ego donec transeam.

Hanc Monachatûs contra Clericatûs essentiam & definitionem mirè explicat Ambrosius *lib. 3. Ep.* 25. his mellitis verbis. *Hæc duo in attentiore Christianorum devotione præstantia esse quis ambigat? Clericorum officia & Monachorum instituta? ista ad comitatem & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta; hæc velut in theatro, illa in secreto; spectatur ista, illa abscondituт; hæc in stadio, illa in spelunca; hæc adversus confusionem mundi; illa adversus carnis appetentiam; hæc subjiciens, illa refugiens corporis voluptates; huic mundus crucifigitur vel ipsa mundo, illi ignoratur; hæc gratior, illa tutior; hæc seipsam regens, illa coërcens; hæc dimicat, illa se removet; hæc illecebras vincit, illa refugit; huic triumphatur mundus, illi exulat; huic denique plura tentamenta, & ideo major victoria, illi facilior custodia.* Suffragatur Augustinus qui in Psalmum 132. Clericos in agro laborantibus, Monachos verò in lecto jacentibus, comparat, sicut & laïcos in molendino versantibus; primos more Pauli plantantes, & more Apollinis rigantes; secundos in otio Deo servientes describit. Item ibidem Clericos Noë Gubernatori arcæ assimilat, Danieli Monachos ob quietem & castimoniam, & Jobo viros laïcos conjugatos.

Ivo Carnotensis septimam partem sui Decreti intitulavit *de Monachorum singularitate &*

quiete. Cui favet quod ait Epist. ad Monachos Majoris-Monasterii tomo 2. operum pag. 123. ex Bernardo, *Tutius est omni Christiano & maximè Monacho possidere quippiam minus in pace quàm cum lite amplius, sic quippe canitis, melius est modicum justo super divitias peccatorum multas; quid quod de altari contenditur, & hoc adversus filios Levi, idest adversus Clericos; Clericorum est altari deservire & de altario vivere; vobis vestra professio & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis prascribunt laboribus & non ex sanctuario Dei. Huc accedit quod eidem Ecclesia, de qua prasens disceptatio est, Clerici soli deserviunt, vosque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obsequium. Paulus clamat pro Clericis, imo antè ipsum Moyses: Non alligabis os bovi trituranti. Item. Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit, aut quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat? vos autem per contrarium convenimus. Quâ audaciâ, ô Monachi, prasumitis seu vinum de vinea quam non plantastis, seu lac de grege quem non pascitis? Certè in medio Ecclesia non aperiat os suum Monachus, cujus officium est sedere & tacere.*

Hinc si Monacho cura animarum imponitur, id dispensando agitur, & ex privilegio. Primus autem qui cum Monachis dispensavit, fuit Siricius Papa in penuria sacerdotum cap. *Monachos* 16. *quast.* 1. Et postea Gelasius *cap. Priscis.* Illa autem dispensatione ita derogari Monachatui censuere plures, ut reluctantes illud onus susciperent, ita ut aliquorum ora teneri oportuerit ne

recusarent, alii inter manus rapientium & ordinantium expirarint, alii à suscepto per vim onere semper abstinuerint, ut exempla produnt Sozomenus & alii. Quod si Epiphanius μοναζόντες memorat Ordinatos, *in compendio Exposit. fidei. pag.* 1103. 1104. *num.* 21. intellige ad tempus secedentes ut orationi & studio incumberent, quò postea meditata ad plebem eructarent, & sub modio aliquandiu latitantes; supra candelabrum postea toti Ecclesiæ præficiendos, sicque de eodem Epiphanio, Gregorio Naz. Basilio, Chrysostomo, & similibus existimandum est, quos multi perperam ex temporaneo solitudinis incolatu *Monachos* fuisse autumant. Tandem ultimis temporibus Ecclesia Ordines Monasticos integros dispensavit circa Ordinum sacrorum receptionem; sed id fecit (ut dixi) ex privilegio & circa peculiaria quædam munia, verbi gratiâ, ad Missandum tantùm, ut in Ordine sancti Benedicti & Carthusiensium. Pro quo redit distinctio supra tradita de *Presbyteris Missalibus* & *Parochialibus*. Vel si ad aliud, verbi gratiâ, ad *prædicandum*, audiendum Confessiones & alia id genus; id factum, non ut ex officio, & in titulum, sed ut per accidens, & ut auxiliares Parochorum copiæ, id facerent.

CAPUT XVII.

Quo modo & cur nomen Monachi *fuit aliquando & ab aliquibus Auctoribus tributum continentibus, sæculo renuntiantibus, & etiam Clericis Religiosis.*

EX dictis & probatis meridianâ luce clarius est, definitionem & essentiam Monachatûs, propriè, specificè & in rigore, non competere nisi iis, qui tàm temporalibus ac secularibus negotiis nuntium remitterent, quàm qui curis Ecclesiasticis, & Hierarchicis muneribus vale dicerent. Ex quo consequitur, quòd si aliquando nomen *Monachi* tributum fuit huic duplici sollicitudini non renuntiantibus; id factum fuit impropriè & per aliquod accidens, ut re verâ contigit, continentes, propriis bonis renuntiantes, imo etiam Clericos ac Canonicos Religiosos sæpius Monachos appellari.

Id autem maximè duplici ratione contigit, quarum prima est, ob venerationem quæ olim Monachatui cœpit haberi; nam cùm ante Hieronymum, (ut ipse notat Epist. 6. ad Marcellam.) Nulla Romanarum fœminarum ausa fuisset ignominiosum & vile in populis, ut tunc putabatur, nomen Monachorum assumere; illudque genus vitæ ipsa Marcella, Sophronia, Eustochium, Principia & aliæ fuissent amplexæ; tunc Roma facta est alia Jerusalem: & quod nomen prius fuerat ignominiæ, fuit postea gloriæ, ut ibidem

ſcribit Hieronymus. Eâ ratione factum eſt, ut omnes illuſtres ſanctitate viri ac fœminæ, continentes, ſeculumque contemptui habentes, ſe ſe eo nomine certatim conſalutarent invicem; quia honorificum & illuſtre decus illud arbitrarentur, licet in rigore & ſecundùm exactam definitionem minimè conveniret.

Secunda ratio eſt, quia continentes, mundo renuntiantes, & Clerici Religioſi, in aliquibus inſtitutionibus conveniebant, & participabant Monachis; ſcilicet caſtitate, expropriatione, clauſtri cuſtodiâ, obedientiâ majoribus; quæ licet eſſentialiter Monachis conveniant, tamen illud genericè iis convenit, ſeu ut commune cum aliis: & cum hæc reperiantur in Clericis Religioſis, ideo *Monachorum* nomine aliquando veniunt. Interim ſalvâ Monachis ſuâ differentiâ ſpecificâ, & Clericis etiam ſuâ, quâ formaliter differunt; licet in generico eſſentiali quodam conveniant. Ex qua quidem formali differentia reſtat, ut impropriè tantùm Clerici Religioſi *Monachi* vocentur.

Eo ſenſu improprio, Clerici Vercellenſes ab Euſebio inſtituti, cum eximiam continentiam vitæque communitatem ſectarentur, vocantur à beato Ambroſio *Monachi*, ſermone 15. de S. Euſebio *tom.* 5. *& Epiſt.* 25. *lib.* 3. *tom.* 5.

Sic ſanctus Valerius Clericos ſuæ Cathedralis Aquileenſis inſtituerat, ut eos S. Hieronymus Monachos vocitet, ut notat Baronius ad annum 372. nemero 42. his verbis. *Sed & quod qui ibi erant Clerici, eſſent & Monachi.*

Sic S. Ambroſius vocat ſuam Eccleſiam *Monaſterium*; *quia ibi poſiti jejunabant, intra Mo-*

nasterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdictæ ludibriosæ disputationes, licentia, &c. tom. 5. lib. 3. Epist. 25.

Sic denique Basilius refert de Neocæsariensibus, quod suos Cathedrales Clericos, *Monachos* nuncuparent. *Accusamur verò* (ait) *& hujus quod homines habeamus pietatis studiosos, qui mundo renuntiarunt & universis sæculi curis.* Sed ea de re obstrepentes compescit.

Attamen cum exactè & rigorosè loquendum fuit, laïci continentes & Clerici Religiosi, non fuerunt *Monachi* nomine vocati, sed suo nomine proprio, *laïci perfecti*, vel *Clerici.* Sic Sozomenus non vocat Monachorum nomine Clericos Ecclesiæ Rhinocureræ *lib. 6. cap.* 31. sed *Clericos* simpliciter, licet ibi essent omnia communia, vigeretque eadem institutio quæ cernitur apud nostræ ætatis Clericos religiosores: sic enim de ea Ecclesia loquitur. *Ecclesia Rhinocurerensis ejusmodi ab initio nacta Antistites ex eo tempore ad nostram usque ætatem eorum institutis uti, & bonos & pios viros efferre non destitit, quin etiam Clericis illius Ecclesiæ, ædes communes, communis mensa, alia denique communia omnia.* Sed hos nostri temporis Canonici seculares, & alii ore patulo *Monachos* vocarent.

CAPUT XVIII.

Superiorum conclusio & applicatio Clericis D. Augustini, & ejus in Presbyterio sodalibus.

HÆc undique defloravimus, & ex antiquitatis promptuariis exhausimus, ut tandem natura Monachismi & essentia elucidaretur, dediscerentque impropriè loqui, qui omnia Religiosa, seculoque ac libertati contraria, Monastica mentiuntur, & *Monachi* nomen, cuique modesto seculi adversario, ac etiam saniorem & sanctiorem de moribus doctrinam tuenti, etiam Clerico, insulsè & perperam affingunt. Sed maximè ut status & conditio Clericorum Augustini in ejus Episcopio, & sodalium in Presbyterio earum rerum curiosis, innotescant.

Imprimis igitur operæ pretium est investigare, quod genus vitæ fuerit, Convictorum Augustini Presbyteri, quos Possidius vocat *servos Dei.* Quod quidem existimo fuisse *laicale perfectum, idest virorum laïcorum, continentium, facultatibus renuntiantium in communi viventium sub uno Presbytero omnium curam gerente*; sed nullo modo Monasticum. Quod ut pateat, observandum est D. Augustinum *lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ, capitibus* 31. 32. & 33. quatuor genera hominum Deo peculiariter servientium describere. Eremitas primò, in hunc modum, *secretissimi penitus ab omni hominum conspectu,*

pane solo & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, quorum vita prodest ad exemplum, dum eorum corpora non videntur. Quales cum audis Eremitas, nonne rides eos qui tales fingunt socios Augustino Presbytero & Parocho civitatis Hipponensis? Prosequitur Augustinus, & depingit secundum genus vivendi in Ecclesia, quod est *Cœnobitarum*, quos ait *vixisse in communi vita castissima & sanctissima, in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nullâ superbiâ tumidos, nullâ pervicaciâ turbulentos, operantes manibus & opus suum Decanis tradentes, convenientes diei tempore extremo de suis habitaculis, terna ut minimùm hominum millia ad audiendum patrem sanctissimum moribus, & divinâ doctrinâ excellentissimum.* Nec etiam tales instituit secum victuros Augustinus Presbyter, cum in Presbyterio nec Decanos haberet, hique Cœnobitæ, ut patet, morarentur in solitudinibus, non verò in civitate. Pergit & describit tertium genus, *Clericorum* nempe, *quorum virtus* (ait) *eo mihi mirabilior & majore prædicatione dignior videtur, quo difficiliùs est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore servare; non enim sanatis magis quàm sanandis hominibus præsunt, perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur, & priùs toleranda, quæ sedanda est pestilentia.* Nec etiam tales habuit socios Augustinus Presbyter; nam Clericos se se instituisse tradit, cum factus fuisset Episcopus, non verò in Presbyterio; ubi ejus sodales vivebant in sancto otio & non in ista vita turbulentiore, cui Clericos assuevisse tradit.

tradit. Unde inauguratus Episcopus, Clericos habere voluit excipiendis hospitibus in Monasterio Episcopali; ne priorum convictorum quies peregrinantium tumultu turbaretur. Præterea Possidius in vita Augustini cap. 2. tradit hos sodales Augustini Presbyteri, postea urgente Ecclesiæ necessitate *ordinari cœpisse Clericos*: quo sanè convincitur tales antea non fuisse. Restat adeo quartum genus hominum, quod fuit sociorum Augustini, dum esset in civitate & civitatis Presbyter. Quod sic depingit ultimo loco Augustinus post Eremitas, Cœnobitas, & Clericos. *Nec ideo laudabile Christianorum genus contempserim, eorum scilicet qui in civitatibus degunt à vulgari vita remotissimi; vidi ego diversoria sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter praeerat vir optimus & doctissimus, Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentiâ & divinâ scientiâ præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt.* Quod sanè institutum, laïcorum nempe perfectissimorum, tamque Augustino arridens & frequentatum suâ ætate suisque laudibus celebre æmulatus videtur in suo Presbyterio, ipse in civitate degens, multitudini laïcorum pastor institutus, cui ipse Presbyter doctissimus & sanctissimus præerat. Id etiam censet Erasmus Censurâ ad Regulam S. Augustini.

Baronius etiam consentit tomo 4. sub annum 391. num. 23. referens *D. Augustinum illud vitæ genus in Africam invexisse, quod in Italia præsertim Romæ ac Mediolani viderat.* At illud sanè à Monachis, Eremitis ac Cœnobitis omnino distinctum erat, ut colligere est ex locis, ubi

O

Divus Augustinus describit, illa, ut vocat, diversoria sanctorum hominum, quæ Romæ & Mediolani viderat. Quamquam Baronius sibi parum constans *eodem numero* 23. *& tomo* 6. *num.* 34. *ad annum* 504. confundat genus vitæ, quod Augustinus Romæ & Mediolani contuitus fuerat, cum Monastico, adeoque scribat Augustinum instituisse vitam Monasticam in suo Presbyterio eamque professum cum sodalibus.

Cujus hallucinationem acutè detexit Gabriel Pennotus *cap.* 42. & sugillat; simul decem lapsûs Baronii corrigens, in quos ex uno illo absurdo Monachatûs Augustini fœdè impegerat *toto tomo* 4. *anno* 391. *& seqq.* quibus abstergendis doctè & præclarè argumentatur Pennotus eodem loco cap. 42. toto, omnino videndus pro variis maximi momenti Augustinum spectantibus.

Qui quidem Pennotus in rem nostram præclarè docet *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. genus vitæ convictorum Augustini Presbyteri fuisse quale Romæ & Mediolani viderat, laïcorum scilicet in mediis civitatibus degentium, quibus Clericatus nec omnino competebat, nec etiam repugnabat, fuisseque statum ad utrumque indifferentem, vel, ut repetit *capite* 15. *num.* 5. talium qui ad Clericatum pro locorum & temporum indigentiis eligibiles essent, ob singularem scientiam & alias dotes, quas etiam in iis agnoscit Possidius *capite* 11. *vitæ Augustini.*

Consentit Gabrieli Pennoto Petrus à S. Trudone, in *examine* testamenti D. Augustini, scribens, eos fuisse *potentiâ Clericos*, id est laïcos perfectos, *qui ad sacros Ordines, & Clericales functiones citra ullam dispensationem assumi poterant.*

Ex his igitur habemus laïcos continentes, in communi viventes, idque mediis in urbibus, sub uno Presbytero doctissimo Augustino, parantes se, aut etiam paratos, pro necessitatibus Ecclesiæ ad suscipiendum Clericatum; ut reverâ postea postulante Ecclesiæ utilitate electi sunt. Quales procul dubio nemo Monachos existimaverit, positâ definitione Monachi superiùs explicatâ & probatâ, quâ constat, Monachos temporalibus negotiis & etiam functionibus Ecclesiasticis renuntiasse ex vi sui statûs Monastici.

Enimverò cùm Augustinus ad Presbyteratum evectus esset, ut civitatis Hipponensis curam gereret, idest Parochum ac Pastorem ageret; ut quid Monachos in suo contubernio adscivisset, quieti tantùm, otio & lacrymis ex officio deditos, idque in Presbyterio intra Ecclesiam constituto? Sanè vir Reipublicæ Christianæ natus, non alios quàm Apostolicos viros seligere debebat, futuros sibi in Pastorali munere Coadjutores, maximè cùm esset à Deo electus ad hæreticos confutandos, ad debellanda Africæ monstra vitiorum & pro virili instaurandum mores, & Ecclesiæ disciplinam.

Et extra rem omnino fuisset adsciscere sibi Presbytero & Pastori civitatis subsidiarios Monachos pro ea ætate, illiteratos fiscellarios, luti laterisve figulos, viminum & scirporum textores ac tortores, & ut Augustinus ipse depingit *lib. de Opere Monachorum cap. 22. Ex conditione servili venientes, libertos, & ex vita rusticana, & opificum exercitatione, & plebeïo labore.* Non hos elegit vir prudens, & ad maxima natus Ecclesiæ negotia; sed viros perfectos, *doctissimos,*

continentesque: sic enim eos vocat Possidius *cap.* 11. qui vocante Deo & postulante Ecclesiæ necessitate Clericalibus & Hierarchicis ordinibus initiarentur, postquam in Augustini Presbyterio, velut in seminario & schola exercitati & educati fuissent, ut reipsâ accidit; nam Possidius tradit eos ad Clericatum & sacerdotium ab Augustino inauguratos tanquam lucidissima astra, non solùm Hipponensi, sed & universæ ferè Ecclesiæ præluxisse, suæque tam doctrinæ sale quàm sanctitatis odore Africam & transmarinas regiones condiisse & respersisse.

CAPUT XIX.

Conglobatis rationibus probatur Augustinum in quocumque statu nusquam fuisse Monachum.

OStendimus suprà Divum Augustinum, nec in susceptione baptismi, nec reversum ad proprios lares, nec ante Presbyteratum, Monachi professionem emisisse; nunc verò, nec in Episcopatu, aut quacunque ex prædictis conditionibus, Monachum extitisse invictis argumentis demonstramus.

Primum est. Divus Augustinus in libris Retractationum, scripta sua secundum diversas vitæ suæ conditiones recensens, nullam prorsus Monachismi facit mentionem: sed partitur ac distribuit in ea quæ exaravit *nondum baptisatus, seu Cathecumenus: in ea* quæ scripsit *baptisatus ad-*

huc in Italia constitutus : in ea quæ scripsit *in Africâ constitutus* : in ea quæ scripsit, *apud Hipponem regium Presbyter* : denique in ea quæ scripsit *Episcopus*. Eodem modo Possidius, de Augustino scribit in vitâ ejus cap. 28. *ante proximam ferè diem obitûs sui à se dictatos & editos recensuit libros, sive eos quos primo tempore conversionis suæ adhuc laïcus, sive quos Presbyter, sive quos Episcopus dictaverat.* Item. *Vixit annis 76. in Clericatu autem & Episcopatu fermè* 40. ubi hîc Monachismus ?

Secundum. Augustinus sæpissimè se vocat *Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Clericum*, sed nusquam Monachum. Igitur &c. Scribens Episcopis vocat eos Coëpiscopos aut Consacerdotes; ita vocat Bonifacium Episcopum *Epist.* 23. Paulinum *Epist.* 59. Deuterium *Epist.* 74. Possidium *Epist.* 73. Auxilium *Epist.* 75. Aurelium *Epist.* 76. Esychium *Epist.* 80. Memorium *Epist.* 131. Scribens Presbyteris vocat Compresbyteros, ita vocat Presbyterum Deogratias *Epist.* 49. Cornutum *Epist.* 78. Casulanum *Epist.* 86. Sixtum *Epist.* 104. & 105. Victorianum *Epist.* 122. Scribens Diaconis vocat Condiaconos, ita vocat Cælestinum *Epist.* 62. & QuodvultDeum *in Epist. præfixa Catalogo Hæresium tom.* 6. Scribens Clericis vocat Conclericos *Epist.* 138. & *Epist.* 68. Scribens Monachis non se vocat eorum Commonachum : imò cum Monachatum in se non agnoscat, quo se eorum æqualem conditione posset intitulare, aliis titulis honorat Monachos quibus scribit ; nam scribens Hieronymo Presbytero & Monacho, vocat eum Compresbyterum & non Commonachum, *Epist.* 8. 9. 10.

12. 15. 19. Eudoxium Abbatem Monachorum similiter Compresbyterum vocat *Epist.* 81. cùm tamen non erubuisset Augustinus sibi tribuere *Monachi* nomen, aut scribens Monachis, Commonachi, si Monachus fuisset; sed de eo nomine potius gloriatus esset exemplo Hieronymi, qui licet Presbyter esset, tamen se & Joannem Hierosolymitanum Episcopum, Monachos vocat *Epist. ad Theophilum adversus errores Joannis Hierosol. Monachus proh dolor! (* ait, *) Monachis & minatur & impetrat exilium: & hoc Monachus Apostolicam Cathedram habere se jactans.*

Tertium. Nullus coævorum Patrum in scriptis suis Augustinum vocat Monachum, sed vel Papam, ut Hieronymus inter Augustinianas *Epist.* 11. 13. 17. 18. 25. 33. vel Episcopum *Epist.* 24. & 37. vel Coëpiscopum *Epist.* 79. vel simpliciter Augustinum *Epist.* 114. Et de Hieronymo mirum est, nam tanti faciebat Monachismum, ut non tacuisset in Augustino, si agnovisset. In simili enim dum laudes Heliodori celebrat *Epist.* 2. *ad Nepotianum*, sic ait. *Plura tibi in eodem viro observanda sunt nomina, Monachus, Pontifex, avunculus*; ut quid igitur in tot Epistolis Augustinum non laudasset à Monachismo si hunc professus fuisset? S. Paulinus scribens Augustino ante ipsius Presbyteratum, & agentem in Monasterio cum servis Dei, nusquam ipsum vel suos *Monachi* nomine salutat. Sed valde notandum est, quod antequam esset consecratus Presbyter, quo tempore Monachum profiteri debuerat, (si unquam professus fuit) non se aliter intitulat quàm *Augustinum*,

Quartum. Loquens Monachis aut de Monachis, dicit de eorum Monachismo, *vestrum propositum*, nunquam, *nostrum*; de opere Monachorum *cap.* 8. & 28. *Epist.* 34. *ad Paulinum & Therasiam Epist.* ad Eudoxium, aut, *illam professionem. Videndum quid dicant illius professionis homines qui operari nolunt. de opere Monach. cap.* 1. ostendens eo modo loquendi vitæ suæ propositum aliud esse à Monastico. In Epistola verò 76. ad Aurelium se signanter ponit *in numero Clericorum*, & secernit à Monachis.

CAPUT XX.

Solvuntur objectiones.

VAlidior adversariorum objectio petitur ex illo loco Augustini in lib. 3. adversus Petilianum. *Deinceps perrexit ore maledico Petilianus in vituperationem Monasteriorum ac Monachorum, arguens etiam me quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Videtur enim Augustinus fateri à se institutum fuisse Monachorum genus, cum id non negarit, nec refutarit. Pro cujus argumenti solutione notandum est, Augustinum suosque potuisse dici Monachos. Primò, quâ ratione Clerici & Canonici Religiosi à minus peritis sæpius vocantur *Monachi*, ratione quarumdam institutionum regularium, Clericatui eorum accedentium, quæ, tantùm abest ut destruant ejusmodi Clericatum aut Canonicatum, quin potius perficiant; quas quidem cum suorum Cathe-

dralium Clericorum ſtatui adjunxiſſet Auguſtinus, id Petilianus Monachiſmum perperam vocabat; unde dicit idem Auguſtinus, *Petilianum ignorare quale ſit genus vitæ, Monachiſmus*; quod ſi benè noſſet, & in quo ſiſtat, illud generi vitæ ſuorum Clericorum Religioſorum non affinxiſſet. Secundo modo, non abhorret Auguſtinus à Monachiſmo, ut ſignificat *unitatem, unum ſolum, vivere in unum & habere animam unam & cor unum in Deo* à voce μόνος, ut eam explicat in Pſalmum 132. & cenſet etiam omnibus verè Catholicis in unitate Eccleſiæ conſtitutis convenire poſſe. Convitiatori igitur Petiliano annuit Auguſtinus, ſe hoc duplici ſenſu vocari poſſe Monachum & Monachorum inſtitutorem: ſed non ad ſenſum Petiliani, qui Clericos Religioſos, vel laïcos perfectam vitam in communi ducentes, Monachis in rigore conſideratis per ſummam oſcitantiam accenſebat. Chriſtum Dominum in hac re imitabatur Auguſtin. de quo talia refert *tractatu 43. in Joann. Quamvis maledictum maledicto non reddiderit, quamvis convitium convitio non refutaverit, pertinuit tamen ad eum negare unam rem, ſcilicet quod dæmonium non haberet, alteram non negare, ſcilicet quod Samaritanus eſſet. Non fruſtra fratres; Samaritanus enim interpretatur cuſtos; noverat ſe ille noſtrum eſſe cuſtodem, non enim dormit, neque dormitat qui cuſtodit Iſraël. Eſt ergo ille Cuſtos noſter, qui Creator noſter, quia Samaritanus ſignificat Cuſtodem.* Eodem planè modo S. Auguſtinus, non eo ſenſu ſe ſuoſque Monachos fatebatur, quo volebat Petilianus, quo ſcilicet iſta vox ſignificat viros ſolitarios, ſibi ſolis natos, propriæ ſaluti

tantùm vacantes, luctui & otio solùm deditos, sed alio sensu, nimirum, quo fratres in unum habitantes denotat; vel tolerabat id nominis sibi suisque minus propriè tribui ob institutiones quasdam religiosas cum Monachis communes à se in suum Clerum invectas, à quibus Monachismi potior ratio non desumitur. Denique nil repugnat dicere & fateri, Augustinū instituisse alibi quàm in Presbyterio vel Episcopio Monachos. Quales forte ii de quibus loquitur Epist. ad Aurelium 76. à quorum instituto se ibi secernit; & ii de quibus Epist. 27. ad eumdem & 28. ubi quosdam Monachos vocat suos fratres & filios (in tract. de opere Monachorum.) Fateri igitur potest Augustinus Petiliano se instituisse Monachos; sed, Deus immortalis! quid non improperasset Augustino Petilianus, si ipsemet Augustinus Monachum professus fuisset; quod quia tacet, argumentum est validissimum, talem non fuisse.

Altera objectio petitur ex his verbis Possidii, scribentis c. 5. vitæ Augustini, *ipsum Presbyterum ordinatum cœpisse vivere in Monasterio intra Ecclesiam ædificato, cum Dei servis secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam.* At verò (aiunt Adversarii) *servi Dei* Augustino sunt Monachi, igitur Augustinus Presbyter convictores habuit Monachos. Fateor epitheton *servi Dei* Divo Augustino tribui, & ab ipso sibi, sicut & aliis, & maximè sodalibus suis; sed ex eo sequi eum fuisse Monachum, aut id solùm Monachis ab eodem tribui, justè nego. Fateor etiam varia testimonia depromi posse ex Augustini libris, ubi Monachi vocantur *servi Dei*, & Monachismus, *servitus Dei*, veluti ex *Epist. ad Ecdiciam*, & *ad Aurelium* & *de opere Mo-*

nach. cap. 22. Sed non desunt varia eáque clara & luculenta testimonia, quibus probetur Augustinum, intelligere per *servos Dei* alios prorsus quàm Monachos. Imprimis se Episcopum vocat *servum Dei* Epist. 98. & 107. *servum* itidem *Christi*, *servorumque Christi*, 121. Eodem modo, *servos Dei* vocat S. Ambrosium lib. 9. Confess. cap. 7. qui nusquam fuerat Monachus; & Simplicianum qui fuit Presbyter, *lib.* 8. *cap.* 1. omnes Sacerdotes & ministros altaris *lib.* 9. *cap.* 13. & Clericos suos Religiosos *sermone* 49. *&* 50. *de diversis*, ac præterea solemnibus etiam verbis eosdem suos Clericos, *servos Dei* vocat Epistolâ ad Hipponenses. Adde istud nominis dare Augustinum *laïcis continentibus*, Epistolâ 70. ad Bonifacium Comitem, ubi de utroque genere *servorum Dei* meminit, qui scilicet erant Monachi, & dicuntur cum addito, *servi Dei Monachi*, & qui solùm erant *continentes laïci*. Quod testimonium sufficit ad dirimendam difficultatem, quam movent Adversarii de illis *servis Dei* Augustino Presbytero conviventibus, quos *laïcos continentes*, & non *Monachos* fuisse probavimus. Nebridium etiam *servum Dei* vocat Augustinus *lib.* 9. *Confess. cap.* 3. quia laïcus continentissimus erat, degens tamen in propriis laribus cum sua matre & familia. Argumentum itaque ex nomine *servi Dei* ad probandum Augustinum, & à se institutos Religiosos, fuisse Monachos omnino est levidense, cum pluribus aliis, & alterius conditionis quàm Monachalis conveniat, apud Augustinum.

Tertia objectio. Augustinus suum Presbyterium vocat Monasterium: igitur, &c. Respondeo, Monasterium ibi esse eâdem ratione sumen-

dum, quâ superiùs *Monachi* vox, ut sit domus habitantium in unum: secundò idem Augustinus vocat domum Episcopalem Monasterium Clericorum: igitur ex ea voce nil venari hîc possunt adversarii. Adde Ecclesias Cathedrales olim vocatas fuisse Monasteria. Instar sit omnium Concilium Aquisgranense anni 816. *cap.* 138. ubi sæpius Ecclesia Cathedralis dicitur *Monasterium*, cum tamen incoleretur à veris Canonicis.

CAPUT XXI.

Elogium Augustini Episcopi, ubi ejus præclaræ virtutes describuntur, quaque ratione Clericos Religiosos instituerit, & cum illis in communi vita Apostolicè vixerit, ex Erasmo & Possidio enarratur.

POstquam Erasmus præfatus est aliqua in Epistola ad Alphonsum Archiepiscopum Toletanum, de correctione & recensione à se factâ librorum Augustini; sic postea in tanti Patris celebrandas laudes se se Discipulus non tantùm, sed & instituti Canonici professor accingit. Non « equidem arbitror alium esse Doctorem, in quem « opulentus ille juxta ac benignus spiritus dotes « suas omnes largiùs effuderit, quàm in Augu- « stinum, quasi voluerit in una tabula vividum « quoddam exemplar Episcopi repræsentare om- « nibus virtutum numeris absolutum, quas post « Christum Episcoporum Principem Paulus & Pe- « trus requirunt in his, qui pascendum Domini «

„ gregem susceperunt. Et ut à sobrietatis laude
„ exordiar, quam in Episcopo Paulus singulari-
„ ter desiderat; quamquam erat corpore delicato,
„ quemadmodum rarò solent ingenia insigniter
„ fœlicia robusta sortiri corpora, sic dispensante
„ naturâ ut quod animi viribus additum est, cor-
„ poris detrahatur : tamen illius mensa ferè nil
„ habebat præter olera & legumina; nisi quod
„ interdum nonnihil etiam carnium admiscebatur,
„ idque vel propter hospites vel ob imbecillio-
„ res; ut agnoscas sobrietatis studium cum huma-
„ nitate conjunctum. Semper autem habebat vi-
„ num, quia noverat & docebat, ut Apostolus
„ dicit, quod omnis creatura Dei bona sit, &
„ nil abjiciendum quod cum gratiarum actione
„ percipitur. Et ut idem Augustinus in suis li-
„ bris Confessionum posuit, Non ego immundi-
„ tiam obsonii timeo, sed immunditiam cupidi-
„ tatis : ut facilè perspicias non Pharisaïcam ju-
„ stitiam, sed verè Christianam pietatem summo
„ judicio conditam & temperatam. Hæc est illa
„ sobrietas quam Apostolus cumprimis requirit
„ in Episcopo, cui comes est vigilantia, quam
„ & ipsam singularem quamdam in hoc mirari li-
„ ceat. Diem totum precationibus, sacrificio, do-
„ ctrinæ disputationibus, audiendis causis, liti-
„ bus componendis, confutandis hæreticis dabat;
„ noctis bonam partem sacris lucubrationibus de-
„ cidebat. Itaque factum est, ut non solùm obe-
„ undis Ecclesiæ suæ negotiis sufficeret, verum
„ etiam alias Ecclesias vel oratione præsens, vel
„ scripto absens, moneret, doceret, institueret,
„ confirmaret. Jam vigilantiæ & sobrietatis co-
„ mes est castitas, quæ præcipuum est Episcopo-

rum decus & ornamentum. Hujus illi tanta cura fuit, ut nec sororem licet Deo dicatam, nec propinquo gradu cognatas fœminas ad domesticum admitteret contubernium, & Collegia mulierum quæ instituerat, raro admodum invisseret, nec omnino cum ulla fœmina misceret colloquium, nisi præsentibus Clericis, aut aliis matronis, nisi fortè quid esset arcani quod unius auribus esset committendum. Hîc charitas admonuit maledicorum sibila contemnere, nec enim usque adeo putabat serviendum improborum linguis, ut necessarium officium hac gratiâ prætermitteretur: ubi non urgebat necessitas, ad cautionem suam redibat: non quod sibi metueret, sed quod parum esse judicaret, Episcopi pudicitiam esse integram, nisi & famam haberet illibatam. Rursus, non satis habebat si suam unius famam intactam à sinistris rumoribus præstitisset, nisi Clericos etiam haberet integri nominis. Porro linguam habebat in tantum ab omni petulantia puram, ut etiam cum procacissimis hæreticis vel scripto, vel sermone disputans mirè temperet à convitiis, sed Scripturarum modo testimoniis & argumentis veritatem asserit, impietatem refellit, adeo ut ne lacessitus quidem regerat maledicta. Eandem moderationem obtinuit in castigandis improborum moribus, ut lenitate sanaret potius, quàm austeritate exasperaret. Proin Episcopum Africæ quemdam natione Italum litteris adhortans, ut populum suum à vernaculo more temulentiæ revocaret, & ad Italicæ sobrietatis exemplum provocaret, illud diligenter admonuit ne id faceret acerbiùs objurgando, sed le-

,, nibus monitis paulatim inveterato morbo me-
,, deretur. Hoc est quod Paulus non vult Epis-
,, copum esse πλήκτην, quemadmodum inter-
,, pretantur Græci, & hos sequutus Hieronymus.
,, Alioqui quid laudis habeat in Episcopo, si non
,, sit percussor, hoc est si neminem ferro vulneret,
,, aut occidat, aut manu depalmet? Adde quod
,, mensam habebat perquam frugalem quidem, ut
,, diximus, sed hospitibus expositam, magis fru-
,, giferis sermonibus quàm exquisitis eduliis opi-
,, param. Ad hanc pendebat distichon, seu lex
,, quædam detestans maledicentiam, & obtrecta-
,, tionem in absentes, qui morbus ferè peculia-
,, ris est eis, qui alioqui pietatem profitentur, cum
,, nihil sit alienius à vera pietate; obrepit enim
,, hæc pestis probitatis imagine, dum videri vult
,, vitiorum odium ac virtutis zelus. A quo malo
,, sic penitus abhorruit vir sanctissimus, ut in-
,, terdum nec Episcoporum auctoritati cesserit,
,, quin se minaretur è convivio surrecturum, ni-
,, si à talibus fabulis temperarent. Eóque ferè
,, vel sacram lectionem adhibebat mensæ, vel de
,, re quapiam frugifera commentabatur, ut non
,, minus animi convivarum reficerentur quàm
,, corpora. Jam quod Apostolus vult Episcopum
,, ἄμαχον esse ϗ μὴ αἰσχροκερδῆ, hoc est non
,, pugnacem sive litigiosum, nec turpiter lucro
,, deditum, id adeo præstitit, ut sæpenumero cau-
,, sam totam cesserit adversario, pro magno lucro
,, ducens si quietem animi rei dispendio redemis-
,, set. Multas hæreditates ultrò delatas Ecclesiæ
,, recusavit, unde suspicabatur ab hæredibus ali-
,, quid exoriturum vel litis vel querimoniæ. Cui-
,, dam qui possessionē volens donarat Ecclesiæ, ac

pòst liberalitatis pœnitens repoſcebat quod dederat, Auguſtinus & tabulas & rem reſtituit, cùm optimo jure ſummoque omnium applauſu poſſet ſubmovere improbum repetitorem. Interdum & ſacris vaſis divenditis pauperum inopiam ſublevabat. Quin aliquoties tentaſſe legitur, ut univerſum Eccleſiæ cenſum populo reſignaret, ſibique ac ſuis nil faceret reliquum ad victum, niſi quod ſpontanea plebis liberalitas quotidie deferret. Cumque annos quadraginta aut amplius Epiſcopi munere ſumma cum laude functus eſſet, adeo nullum theſaurum ſibi congeſſerat, ut deceſſerit inteſtatus. Præcipuè verò τὸ διδακτικόν, quæ potiſſima functio Præſulum eſt, ſic in illo mòdis omnibus enituit, ut neminem habeamus nec ex Græcis, nec ex Latinis, quem hac ſanè in parte cum hoc conferre poſſimus. Ingenii fœlicitas prorſus erat incomparabilis, ſive ſpectes acumen vel obſcuriſſima facilè penetrans, ſive capacis memoriæ fidem, ſive vim quamdam mentis indefatigabilem. Difficultatibus quæſtionum alebatur, huc quiſquis provocabat, prorſus equum, ut habet proverbium, in planitiem invitabat, nec ullis materiis lubentiùs indulſit, quàm quæ ſubtilitate torquerent, nec conquieſcebat donec modos omnes explicuiſſet. Ad docendum ſemper erat paratus, non aliter quàm avidus negotiator ad lucrum. Aderat interim admiranda quædam animi lenitas, quam Paulus vocat μακροθυμίαν, atque adeo manſuetudo quædam invincibilis, hanc Petrus appellat πραότητα, quam Plato putat non ita frequenter deprehendi in his quibus contigit acrius ingenium. Id perſpicuum eſt

„ ex conflictationibus quas plurimas habuit cum
„ hæreticis, quorum alii miris technis studebant
„ eludere pondus invictæ veritatis; alii superfluis
„ & alienis tergiversationibus tempus eximere;
„ alii conviciis à disputatione ad jurgium pro-
„ vocare; alii stolidissimis responsis fatigare ve-
„ xareque contrà differentem. Nil horum unquam
„ potuit efficere quo minus ille rem urgeret, re-
„ petens, iterans, inculcans, quæ utrinque dicta
„ fuerant, idque tam dilucidè, tam explanatè, ut
„ imperita quoque multitudo perspiceret hæreti-
„ cis nil esse reliquum præter impudentiam. Hac
„ mansuetudine cum instantia pertinaci conjunctâ,
„ plurimos sanavit hæreticos, devicit omnes:
„ nam quemadmodum, juxta vetus proverbium,
„ Africa semper aliquid novi mali solet gignere,
„ ita tum variis hæreseon monstris infestabatur.
„ Et erat ea gens nec sobria nec satis firmæ fi-
„ dei, novarumque rerum supra modum avida,
„ alioqui vafra & arguta; adversus hæc portenta
„ dictu mirum quam strenuum pugilem egerit
„ Augustinus. Dejecit Pascentium Arianum, li-
„ cet authoritate potestateque publicâ formida-
„ bilem. Traduxit Manichæorum prodigiosas fa-
„ bulas, & obscœna mysteria protraxit in lucem;
„ nam hæc prodidisse erat vicisse. Donatistas &
„ Circumcelliones pertinax malum multis confli-
„ ctibus tandem fudit, profligavit, delevit. Po-
„ strema lucta fuit cum Pelagianis. Denique pa-
„ ganorum reliquias magna ex parte delevit in
„ Africa. Et ad tantas res conficiendas, non
„ vi, non armis, non copiis, non carceribus, aut
„ incendiis usus est, sed solo gladio spiritûs, quod
„ est verbum Dei; atque armis Apostolicis, tot
victorias

victorias, tot triumphos paravit Ecclesiæ Chri- «
sti, licet adversus Donatistas & Circumcellio- «
nes, quoniam ipsi ferro rem gerebant, adhibi- «
ta sit tandem Cæsaris auctoritas, refragante «
primùm Augustino, mox Cæsaris edictum sic «
intercessione suâ moderante, ut plerisque mul- «
ta auraria redderetur iis qui persolverant. Sum- «
mâ verò curâ intercessit apud Cæsareos Magi- «
stratus, ne quis hæreticorum occideretur. Cu- «
piebat amicus Medicus superesse quos arte suâ «
sanaret. Imo, quod est majoris clementiæ, his «
etiam vitam impetravit, à quibus Orthodoxi «
quidam fuerant nefariè trucidati. Hæc sanctis- «
simi Præsulis clementia non eò commemoratur «
à nobis, ut animum addamus impiis qui falsis «
dogmatibus scindunt ac labefactant Ecclesiam «
Christi, sed ut ostendamus quanta mansuetudo «
deceat Doctorem Ecclesiasticum; tam insignis «
autem erat in Augustino, ut hostis & idololatra «
non vereretur ab hoc petere, quod vix amicus «
ab amico auderet flagitare. Quo impudentior «
est postulatio, hoc magis arguit vix credibilem «
Augustini mansuetudinem. Eadem mansuetudi- «
ne moderatus est Collegia virorum ac mulie- «
rum, quæ juxta Regulam Apostolicam aliquot «
instituit. Leviter delinquentium pœna erat ad- «
monitio, graviùs peccantium objurgatio, despe- «
ratorum & insanabilium, veluti capitale suppli- «
cium erat è contubernio piorum ejectio. En «
aliud in hoc Episcopo miraculum; in tam mul- «
tis, tam eximiis virtutibus quam nullum om- «
nino supercilium? dicas illum paterna materna- «
que viscera erga cunctos gerere, malos parturi- «
re ut renascantur in Christo, imbecilles veluti «

»gallinam sub alis fovere ne pereant, bonos pro-»vehere ut adolescant. Nullus erat tam deplora-»tus hæreticus, aut alioqui flagitiosus, de quo »spem prorsus abjiceret, donec ille spiraret. Sic »in libris suis agit cum hæreticis, non solùm ut »revincat, verum etiam ut quod quidem in ipso »est, sanet. Sic objurgat improbos, ut semper vi-»no severitatis admisceat oleum levitatis. Nil est »usquam tam austerum, quod non interim spiret »Christianæ charitatis dulcedinem, quæ juxta »Paulum Apostolum omnia suffert, omnia sperat, »omnia credit. Erat unius civitatis Episcopus: »sed omnium Ecclesiarum sollicitudinem in se re-»cepit. Episcopos earum vel coram vel missis »voluminibus & Epistolis instruens ad Evangelii »prædicationem armans adversus hæreticos. Por-»ro quoniam vir prudens perspiciebat librorum »usum patere multò latiùs, quàm vocis, in hanc »operam quidquid potuit temporis suffurabatur. »Ad hoc quo plus haberet otii, discutiebat humi-»liora negotia, quæ tametsi non adversabantur »pietati, tamen ab optima parte Mariæ nonnun-»quam avocabant. Itaque conciliandis matrimo-»niis auctor esse recusabat, junctâ tamen suâ be-»nedictione confirmabat, nec ædificandi curâ su-»stinebat occupari, licet alios id agentes non re-»prehenderet. Nec omnium Epistolis responde-»bat, nisi si quid tractarent ad Religionis per-»tinens negotium. Postremò jam ingravescente »ætate successorem sibi designavit, ad quem le-»vioris momenti causæ deferrentur, ipse vacaret »melioribus; quo tempore libros omnes suos col-»legit, recognovit, & in ordinem digessit, ne »vel interirent complures, quod Ambrosianis scri-

ptis accidisse videmus, aut mendosi depravati- «
que versarentur in manibus hominum. O virum «
ad totius Ecclesiæ publicam utilitatem natum, «
factum, datumque divinitùs, quam ubi conspi- «
ceret Wandalorum, Gothorum, aliorumque Bar- «
barorum qui ex Hispaniis in Africam eruperant, «
incursione turbari, jam hujus vitæ cœpit tæde- «
re, quodque solum potuit consolatus suos & hor- «
tatus ad tolerantiam è vivis excessit. Tanto ar- «
dore vir spiritu Christi plenus amabat, atque, ut «
ita loquar, deperibat decorem, profectum, ac «
tranquillitatem domûs Dei, hoc nimirum erat «
summum illum Ecclesiæ sponsum imitari. Hæc «
pietas, hæc charitas, hic ardor pectoris facit, «
ut omnia illius scripta non minus inflamment ad «
pios affectus, quàm doceant intellectum. Sunt «
enim qui frivolis argutiis utcumque delectent «
otiosos, sunt qui subtiliter doceant necessaria, «
sed non efficiunt ut quod intelligitur ametur. «
Sunt rursus qui excitent ad studium pietatis, sed «
excitatos doctrinâ non provehunt. Frustra intel- «
ligas nisi diligas quod percepisti. Ad quid au- «
tem conducit cœcus amor? scientia, si absit cha- «
ritas, inflat: charitas absque scientiâ nonnun- «
quam perniciosa pro salutiferis amplectitur, sed «
utraque res alterius opem poscit & conjurat ami- «
cæ. At hic incomparabilis Doctor simul atque «
maturuit in Christo, neglectis sophistarum ineptis «
argutationibus, ingenii plusquam aquilinam aciem «
ad necessariæ veritatis investigationem intendit. «
Ita subtilis in disputando, si res postulet acu- «
men dialecticum, ut semper dimittat lectorem «
non tantùm eruditiorem, verùm etiam ad bene «
vivendum inflammatiorem. Quid enim aliud «

»poteſt ignis, ubicumque ponas, quàm urere?
»amabat vehementer quod docebat, docebat ar-
»gutè quod amabat; utrumque gignit in eo qui
»ſcriptis illius propiùs intendit animum. Rhe-
»torum libros ad plenum imbiberat. Platonicâ
»philoſophiâ, quoniam Rhetorica quadam ſuavi-
»loquentiâ multa tradit de rebus à corpore ſe-
»paratis, & his quæ ſenſibus deprehendi non poſ-
»ſunt, ſed animi cernuntur oculis, non pauca
»miſcens Chriſtianorum placitis conſentanea, vi-
»detur immenſiùs delectatus. Ex Ariſtotelica
»Philoſophia, vel quia jejuniore ſtylo tractat res
»ſubtiles, vel quia nondum in publicum uſum ve-
»nerat apud Latinos, nihil deguſtaſſe videtur præ-
»ter libros de enuntiatione, de categoriis ſive
»de decem generibus generaliſſimis, & de quin-
»que vocibus prædicabilibus. Et tamen hic ipſe
»qualiſcumque Ariſtotelicæ logicæ guſtus, Dia-
»lectici non ſolùm opinionem illi conciliavit, ve-
»rùm etiam magnam apud hæreticos conflavit
»invidiam; qui cum veritatis pondere premeren-
»tur, clamarent ſe artificio dialectices circumve-
»niri. Multa non ſcripſit, ſed dictavit, pleraque
»per notarios ex ore loquentis excepta ſunt, cu-
»juſmodi fermè ſunt enarrationes ſcripturarum ad
»populum, quos ipſe tractatus appellat, aut con-
»flictationes cum hæreticis, quæ olim publicitùs
»apud plebem fieri conſueverunt. Nec alibi mi-
»hi videtur admirabilior. Quibus mediocre con-
»tigit ingenium, ſi lucubrandi curam adhibeant,
»excudunt aliquid interdum non contemnendum.
»Cæterum in extemporali dictione tantam ad-
»eſſe mentis perſpicaciam, tantam memoriæ præ-
»ſentiam, tam paratam orationis copiam, non

ſine perpetua quadam jucunditate, quis non mi-« retur? Quis hoc hodie præſtare queat, vel ex« iſtis qui ſtudium omne collocant in paranda di-« ctionis facultate? Sed quò dilabor? non enim« inſtitueram encomium Auguſtini, quod ſi ſuſce-« piſſem hæc quota portio laudum illius erat? Quid« enim habet orbis Chriſtianus hoc ſcriptore, vel« magis aureum, vel auguſtius? ut ipſa vocabu-« la Aurelii Auguſtini nequaquam fortuitò, ſed« numinis providentiâ videantur indita viro. Au-« ro eloquentiæ nil pretioſius, fulgore eloquentiæ« cum ſapientiâ conjunctæ nihil mirabilius. Sunt« aliis aliæ dotes prout viſum eſt τῷ δωροδότῃ « ſpiritui, qui pro ſuo arbitratu partitur ſingulis« juxta menſuram fidei. In Athanaſio ſuſpicimus« ſeriam ac ſedulam docendi perſpicuitatem; in« Baſilio præter ſubtilitatem, exoſculamur piam ac« mitem ſuaviloquentiam; in hujus ſodali Chry-« ſoſtomo ſponte profluentem orationis copiam« amplectimur; in Cypriano ſpiritum veneramur« Martyrio dignum; in Hilario grandi materiæ, pa-« rem grandiloquentiam, atque, ut ita loquar, « cothurnum admiramur; in Ambroſio dulces« quoſdam aculeos, & Epiſcopo dignam amamus« verecundiam; in Hieronymo divitem ſcriptu-« rarum penum optimo jure laudamus; in Grego-« rio puram nulloque fuco picturatam ſanctimo-« niam agnoſcimus; ac ne longum faciam, habet« itidem & cæterorum quiſque ex ejuſdem ſpiri-« tûs munificentiâ virtutes ſuas, quibus ſe ſe prio-« rum hominum affectibus variè commendant; at« non exiſtimaverim alterum eſſe Doctorem, in« quem munificus ille ſpiritus divitias ac dotes« ſuas omnes liberaliùs communicarit quàm in Au-« guſtinum.

Hæc (paucissimis tamen hinc inde detractis, & ferè nil immutatis) ex Erasmo tibi collegimus, lector; pergratissimam rem fecisse rati omnibus Augustini amatoribus, maximè iis qui Epistolæ copiam non habent, unde hoc encomium desumptum est. Nec insulsè nos hîc digressos fuisse quisquam putaverit, si dum Clericorum instauratorem, in medium adducimus Augustinum, præcipuas illius dotes, ex tam eleganti calamo, delibavimus. Sed cum idem Erasmus ferè nulla interseruerit de Clericis ab Augustino institutis, propterea eorum institutionem, Regulas, institutionis etiam causas damus ex vita Augustini exarata per Possidium Episcopum per 40. annos ipsius discipulum & convictorem; ac etiam ex ipsomet Augustino in sermone duplici de communi vita suorum Clericorum. Sic autem ait in priore. *Perveni ad Episcopatum, vidi necesse habere Episcopum humanitatem assiduam exhibere quibuscumque venientibus seu transeuntibus; quod si non fecissem, Episcopus inhumanus dicerer, & ideo volui habere mecum in domo Episcopi Monasterium Clericorum.* Ecce rationem ac causam cur Augustinus convictores voluerit habere Clericos. Sed aliam suppeditat Possidius, necessitatem scilicet aut utilitatem Ecclesiæ, his verbis. *Proficiente verò doctrinâ divinâ sub sancto & cum sancto Augustino, in Monasterio Deo servientes Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt: nam innotescente ac clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, continentiâ & paupertate profundâ, ex Monasterio quod per illum venerabilem virum & esse*

& crescere cœperat, magno desiderio poscere & accipere Episcopos & Clericos pax Ecclesiæ atque unitas, & cœpit primò, & postea consecuta est. Nam fermè decem quos ipse novi sanctos ac venerabiles viros continentes ac doctissimos, beatus Augustinus diversis Ecclesiis nonnullisque eminentioribus rogatus dedit, similiterque & ipsi, ex illorum sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesiis propagatis & Monasteria instituerunt, & studio ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos fratres, ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. Unde per multos & in multis salubris fidei, spei & charitatis Ecclesiæ innotescente doctrinâ, non solùm per omnes Africanas partes, verùm etiam in transmarinis, & per libros editos atque in græcum sermonem translatos, ab illo uno homine & per illum multis favente Deo innotescere meruerunt. Atque hinc, ut scriptum est, peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat & tabescebat; servi autem Christi cum iis qui oderunt pacem, erant pacifici, & cum loquerentur, debellabantur gratis ab eis. En & quomodo ex seminario Clericorum Augustini tanquam ex alveari, Clericorum Regularium examen prodiit, quod universam penè Ecclesiam sui mellis suavitate condiret. Quam verò cum convictoribus Clericis Regulam modumque vivendi ac consuetudinem servaret ex his Augustini ac Possidii defloratiunculis cape. Augustinus in eodem priori sermone de suis Clericis sic scribit. *Nostis omnes sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur Episcopi, ut quantum possum imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum*

Apostolorum, nemo dicebat aliquid proprium. sed erant illis omnia communia. Et postea. *Ecce quomodo vivimus, nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium, sed si fortè aliqui habent, nulli licet, & qui habuerint, faciunt quod non licet.* Cultum verò quo uteretur cum suis Clericis describit, his verbis. *Nemo dat birrum vel lineam tunicam nisi de communi, qualem decenter gestare potest Presbyter, Diaconus aut Subdiaconus.* Ex quo qui postea sequuti sunt ducem Augustinum Clerici, vestem lineam exteriorem, cum birris seu almutiis pro habitu suscepere: vitam verò communem Augustini & Conclericorum sic depingit Possidius. *Cum ipso semper Clerici, una etiam domo ac mensa, sumptibusque communibus alebantur & vestiebantur.* Testes etiam vitæ adhibebat: nam ait idem Possidius. *Si fortè ab aliquibus fœminis, ut videretur vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat.* Oeconomiam familiæ hanc fuisse testatur. *Domus Ecclesiæ curam, omnemque substantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat & credebat, à quibus accepta & erogata notabantur, quæ anno completo eidem recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quidquid indispensatum vel dispensandum remansisset: & in multis titulis magis illius præpositi domus fidem sequens quam probatum manifestatumque cognoscens.* Denique regimen Augustini quàm suave quàm charitate refertum describit idem Possidius. *Indisciplinationes quoque & transgressiones suorum à Regula recta & honestate, & arguebat & tolera-*

bat, quantum decebat & oportebat. Ita ut (inquit Erasmus) *leviter delinquentium pœna erat admonitio, graviùs peccantium objurgatio, desperatorum & insanabilium veluti capitale supplicium, erat è contubernio piorum ejectio.*

CAPUT XXII.

An D. Augustinus Regulam Clericis præscripserit.

JActatur vulgaris Regula Augustini, conversa ex Epistola 109. ad fœminas, quam verum Augustini fœtum agnoscunt Theologi Lovanienses, Bernardus, Bellarminus, ac tandem in discriminandis ac repurgandis Augustini ac cæterorum Patrum scriptis acutissimus Erasmus. Qui de ea scribit in hunc modum. *Hæc Regula & sententiis & dictionis figurâ refert Augustinum, quin & piâ civilitate humanitatis præfert Auctorem suum.* De hac quæritur, an fuerit Clericis ab Augustino scripta, sicut patet illam in Epist. 109. fœminis fuisse traditam. Affirmat, & totis nervis probare conatur Gabriel Pennotus Hist. tripart. *lib.* 1. *cap.* 18. miratus quod inter Catholicos nonnulli cum primis pii & docti, ob Erasmi id negantis ratiunculas, in ejus sententiam siverint se adduci. Facem sibi præferentem secutus fuit Pennotus, *Richardum* quemdam Cœnomanum Franciscanum, in Antidoto ad censuram Erasmi *relatâ ad calcem* 1. *tomi oper. Divi August. Edit. Venetianæ* 1552. sic loquen-

tem. *Cum tot retro seculis tam multi doctores & præclari viri hanc crediderint Regulam Augustini traditam viris, quin & commentariis illustraverint; nescio si tot Ecclesiæ proceribus neglectis quisquam inveniatur usque adeo insani cordis, ut uni Erasmo adhæreat.* Negant tamen hanc Regulam scriptam viris aut Clericis, Simon Verlinus Canonicus Regularis Præpositus S. Mariæ in Diestein vir doctissimus, qui datâ operâ suam tuetur sententiam in emendatione Regulæ D. Augustini excusâ Monachii 1618. *apud Nicolaum Henricum.* Quem sequitur Bernardus Vindirigus in Critico castigato excuso Vellameriæ 1621. *per Georgium Medellanum.* Idem sentit Prosper Stellartius Eremitanus in libro cui Titulus *fundamina Religionum*, & addit. *Neque verò absurdum est Monasterium à D. Augustino conditum sine peculiari forma vivendi scripta dirigi. Quâ namque Regulâ olim in Ægypto & Palæstina Cœnobitæ simul & Eremitæ fuerunt usi sub Antonio & Hilarione? Quibus legibus subditi Turonenses Martino? Mediolanenses Simpliciano, & Ambrosio? Bethleemitici Hieronymo; nullane viris tam Regularibus Regula? nulla quod legatur præter vel Evangelium vel Apostolicos Actus.* In eorum sententiam pedibus it Nebridius à Mundelheim Canonicus Regularis Claustroneoburgensis in *Antiquario Monastico editionis* 1649. infra citandus. Horum ratio generalis est, quia Regulæ pro Clericis non meminit Augustinus in libris Retractationum, nec Possidius in Indiculo operum Augustini. Specialem & ut aiunt, ex visceribus causæ, profert Desiderius Erasmus. *Nam* (ait) *con-*

textus Regulæ arguit solis fœminis esse scriptam, nonnullis enim immutatis accommodarunt viris, quæ pro fœminis tantùm scribebantur. Velut ubi de modestia cultûs præcipit fœminis, non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere sed moribus. Et alibi quod sic pro fœminis dicebatur, *in omnibus motibus vestris non fiat quod cujusquam illiciat libidinem*, pro viris sic accomodatum est. *Quod cujusquam offendat aspectum.* Item quod præcipitur, *ut duo vel tres simul procedant*; *de lavandis propriis vestibus, de operando in commune, aliaque permulta, maximè conveniunt fœminis, parum autem congruunt Clericis illius temporis, quorum tum major erat & libertas & dignitas.* Erasmo consentit Nebridius à Mundelheim his verbis Antiquarii Monastici, *quid verò Canonicis in Regulâ Augustini cum faciendis indumentis, stramentis, operimentis & cingulis? Quid cum lavandis vestibus?*

Adde D. Augustinum vim maximam facere in hac Regula, ut sine expressa Præpositæ licentia Epistolæ non accipiantur, quodque si aliqua sororum deprehensa fuisset aliud agens, graviter deberet puniri à Præposita ac orationes fieri pro illa delinquente. Præclarè quidem pro mulierculis ac puellis quarum semper magnum imminet castitatis periculum, periclitaturque sæpius per litteras amoris obsides pudicitia, ut hujus rei stupendum refert exemplum D. Hieronymus in Epist. ad Sabinianum Diaconum. Sed pro viris, non video tantam integritatis aleam, nec tam imminens ex Epistolis periculum, maximè Clericis, quibus ex muniis quæ circa plebem obeunt, multæ aliæ ad

salutis jacturam patent viæ.

Succurrit aliud Argumentum desumptum ex verbis & terminis Regulæ D. Augustini, quæ quidem dum de fœminis agitur perbellè explicantur, ad Clericos autem nullo modo detorqueri possunt, veluti cum dicitur. *Præposito tanquam patri obediatur, multo magis Presbytero qui omnium vestrum curam gerit.* Quî enim quadraret id Clericis? apud quos nullus unquam Præpositus fuit, qui non esset Presbyter? at quàm benè fœminis conveniunt hæc verba Epistolæ ad fœminas. *Præposita tanquam Matri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Nec valet effugium Humberti, Cellotii & aliorum, qui censent ibi per Presbyterum intelligi Episcopum vel Abbatem. Enimverò nusquam Augustinus Episcopos simplici nomine Presbyteri indigitat; nec vivente Augustino Abbates præerant Clericis, imo nec ejus ætate Abbates sacerdotio insigniebantur.

Denique in calce illius Regulæ alludens Augustinus ad formæ studium, speculum, odores, quibus fœminarum genus peculiariter delectatur, concludit. *Donet Dominus ut observetis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conversatione fragrantes.* Et. *Vos autem in hoc libello tanquam in speculo potestis inspicere.* Quæ verba non perinde quadrant in viros. *Certe* (ait Erasmus) *nihil est in hac Regula pro viris, quod cum fœminis non possit esse commune. At* (prosequitur) *quàm multa erant præscribenda, de Presbyterorum, Diaconorum, Concionatorum officiis, si Regulam Clericis scribere voluisset Augustinus?*

Quapropter mihi plurimùm arridet sententia Nebridii à Mundelheim laudati, qui docet, Divum Augustinum vitæ Apostolicæ cum suis Clericis ducendæ, adjecisse Canones Concilii Carthanensis IV. anni Domini 398. ab ipsomet Augustino cum aliis Patribus Concilii confectos; quos enumerat Nebridius *ab* 14. *usque ad* 67. & addit: *Confer jam istos Canones cum nostra Regula, & judica in utronam vita Clericalis melius ordinetur; dic sodes, quid his Canonibus (quos omnes Augustinum adimplesse, possem vel ex ipsomet vel ex Possidio ostendere) ad vitam Clericalem ordinandam magis conducit, adjunctis Apostolicis Actibus?*

Nec hilum valent, quæ in contrarium afferunt Gabriel Pennotus & Richardus Cœnomanus citati. Nam quantum ad Pennotum, ubi notat Possidium in vita Augustini scribere, *ipsum arguisse indisciplinationes suorum & transgressiones à Regula*; cavillatur. Possidius enim non habet simpliciter *à Regula*, ut intelligat Regulam Monasterii in sensu Pennoti; nam addit Possidius *indisciplinationes à Regula recta & honestate*. Cætera ejus argumenta sanè nullius ponderis sunt, & objectiones ex Erasmo petitas frigidè diluit. Nec satis est, in Erasmi personam invehi, expugnandæ sunt illius rationes. In eum modum Richardi Cœnomani audax sarcasmus aërem tantùm verberat, cum illi quos nominat Ecclesiæ proceres & Regulæ Augustini commentatores, sunt Bernardus, Hugo Victorinus, Humbertus & alii, respectu ævi Augustini, nuperrimi, qui de hac controversia non disputarunt, nec quæstionem unquam moverunt; sed opus quod verè erat Augustini,

ſub nomine Regulæ Clericorum jam vulgatum laudarunt.

CAPUT XXIII.

Quo tempore & quo Auctore Epiſtola Auguſtini 109. *Sanctimonialibus exarata in Regulam Clericorum emerſerit?*

HÆc difficultas multorum exercuit ingenia, dum alii Jvonem Carnotenſem (quo auctore Canonici obſervantiæ regulari, à qua deciderant, redditi ſunt) hanc Auguſtini Epiſtolam viris accommodaſſe cenſuerunt, anno circiter 1060. cum ante hunc obſcuram aut nullam mentionem hujus Rugulæ fieri agnoſcat inter alios Abbas Cajetanus in Præfatione ad Regulam Petri de honeſtis ad calcem operum Damiani, ſuæ recenſionis. Alii poſt Eraſmum ſuſpicantur aliquem ex Eremitis Auguſtinianis hujus Regulæ conſarcinatorem, ut ſuos orbi commendaret; nam re verâ quiſquis Epiſtolam illam 109. viris accommodavit, rudiùs omnia conſuit, multa detruncavit, quæ ſuo inſtituto non favebant; & quæ fœminis optimè quadrabant, duriuſculè ad Clericos detorſit. Sed cum neutri valido argumento ſuam probent conjecturam; imo cum ante Ivonem & Eremitanos Patres hujus Regulæ non una celebris mentio occurrat apud varios Auctores, ut Deo dante infrà demonſtraturi ſumus; quæſtioni hactenus tam obſcuræ lucem affert Hugo Menardus præfatione in *Auctorem Concordiæ Regularum*,

dum scribit *Benedictum Aniana, sancti Salvatoris Abbatem* in Diœcesi quondam Magalonensi, nunc Montis-pessulani, qui sub Ludovico Pio floruit, & obiit septuagenarius anno 821. hanc Epistolam 109. Augustini ad Sanctimoniales scriptam, ut suo proposito accommodaret, viris adaptasse; quod ut faceret nomina fœminina in masculina mutavit, uti factitarat in Regulis SS. Cæsarii, & Aureliani Episcoporum Arelatensium, quas ab his SS. Episcopis ad Sanctimonialium usum scriptas eodem modo viris adaptavit, mutatis terminis fœmineis in masculeos. Quas quidem Regulas tum sancti Augustini, tum alias refert in suo opere intitulato *Concordia Regularum*, idem Benedictus, cujus elogium tum sanctitatis tum doctrinæ multis tradit idem Menardus in Notis ad illam Concordiam, quam nuper ex MM. SS. Floriacensi & Vindocinensi luci dedit. Porro ejusmodi Regula Augustini à schedis Benedicti Anianæ petita, & passim in variis Monasteriis exscripta, cum latuisset aliquanto tempore, tandem ab Instauratoribus Ordinis Clericalis inventa, hanc ipsis præscripsere circa annum 1100. ut infrà ostensuri sumus, dum de Jvone Carnotensi Episcopo, & Gervasio Rhemensi Archiepiscopo sermo erit, qui suâ ætate Canonicam disciplinam collapsam restituêre, & pristino splendori reddidere.

CAPUT XXIV.

An Clerici D. Augustini vota emiserint; nec ne?

VItam communem & sine ulla bonorum proprietate, non solùm duxisse Clericos Augustini, sed & hanc votis Deo nuncupatis stabiliisse, extra controversiam est cuique studioso operum Augustini indagatori, præterquam unico Erasmo in tanta luce cæcutire volenti.

Imprimis Augustinus vota apud suos Clericos adstruit, in Psalm. 99. his verbis. *In illa vita communi fratrum, quæ est in Monasterio, sunt magni viri & sancti, cum lectione illis res est, nemo sibi usurpat aliquid quod alter non habeat. Omnes se diligunt. Hos laudat qui nescit quid interiùs agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naves in portu colliduntur. Intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus; invenit ibi fratres malos, & paucorum hominum molestiâ irritatus, dum non perseverereverit implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Jam verò cum inde exierit, fit vituperator & maledicus, ille illud ibi fecit, & ille illud ibi fecit, ô male quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti jactas, qui te malum toleraverunt taces; duo in agro, unus assumetur & alter relinquetur; Clerici sunt, assumetur bonus, relinquetur malus.*

Sed

Sed clariùs vota memorat apud Clericos in suo Episcopio secum manentes, in *sermonibus de communi vitâ Cleric.* in quorum priore sic legimus. *Nostis omnes sic nos vivere in ea domo quæ dicitur Episcopi, ut quantum possum imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum, nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Ecce quomodo vivimus, nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium, sed si fortè aliqui habent, nulli licet, & qui habuerint, faciunt quod non licet.* Et in eodem sermone plangit Januarium Presbyterum, qui reservatam pecuniam moriens Ecclesiæ legaverat. *Testamentum* (inquit) *fecit Presbyter socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, hæredes instituit, ô dolor illius societatis, ô fructus natus non de arbore quam plantavit Dominus; sed Ecclesiam scripsit hæredem, nolo numerare ista, non amo amaritudinis fructum.* Et postea. *Qui societatem vitæ jam susceptam deserit à voto suo cadit, & à professione sancta cadit, observet Deum judicem non me, ego ei non aufero Clericatum, sed quantum sit periculum ante oculos ejus posui.* Et paulò post. *Ego scio quantum malum sit profiteri sanctum aliquid, nec implere, Vovete (inquit ille) & reddite Domino; &, Melius est non vovere, quàm vovere & non reddere.*

Sed forsan; quis acutæ naris subodorari posset, istos sermones non esse legitimos fœtus Augustini, cum non omnino phrasim ejus redolere videantur; esseque ejusdem farinæ cum ser-

monibus spuriis ad fratres in Eremo, proinde ut parum firmiter vota adstrui ex ipsis apud Clericos Augustini. Verum hos duos sermones legitimum esse partum Augustini probat, quòd ipsorum meminerint Patres Concilii Aquisgranensis anni 816. & in tantum vitam Clericalem exprimere, & Canonicorum mores referre existimaverint, ut eos integros & de verbo ad verbum exscribi voluerint. Præterea à venerabili Beda (quod valde notandum) Petro Damiani, D. Thoma, Gratiano, Bellarmino, Suare laudantur, & ab ipsomet Erasmo, qui eorum sermonum testimonio utitur in censura sua ad Regulam D. Augustini; & in elogio hujus S. Doctoris ex Epistola ad Fonsecam Archiepiscopum Toletanum, ubi sermonem facit de ejus Clericis; unde mirer ipsum nolle admittere vota apud Clerum Augustini.

Instare posset aliquis; sed unde rudis contextus ille, & aspersa multa minus Augustini genium, methodum, ac ordinem redolentia? Sed hunc scrupulum tollit Erasmus, in Augustino sicut & cæteris Patribus versatissimus. Is enim in præfatione ad Arnobium *seu Epistola ad Adrianum* VI. *lib.* 29. *Epist.* 10. *& Epist. ad Petrum Canonicum Anderlacensem lib.* 17. prudenter æquè ac sapienter advertit, *doctos viros variè scripsisse, prout doctis vel indoctis loquerentur; imo etiam quæ loquerentur ad plebem, ab exscriptoribus fuisse vitiata*; & de Augustino id seriò monens observandum, ait, *declarare hoc, conciones ac disputationes quasdã illius S. Patris apud populum habitas, quas ex ipsa re, non ab Augustino scriptas esse constat, sed à Notariis exce-*

ptas esse, qui non solùm retulerunt in scriptum quod dicebatur, sed etiam quod agebatur. Quod si quis (ait) *postulet sibi ceu digito id commonstrari, legat disputationem Augustini cum Maximino*, LEGAT DUAS CONCIONES QUIBUS EXPURGAT FAMAM DE CLERICIS SUIS SPARSAM IN POPULO. *Hæc si quis conferat cum his quæ scripsit eruditis, facilè colliget quantum interfuerit inter sermonem eruditorum, & imperitæ multitudinis. A Notariis quippe habemus plerosque sermones Augustini, qui verè ab eo prognati sunt, licet alicubi rudiuscula quædam inveniantur à Notariis aspersa.* Hæc Erasmus, fidem sanè concilians duobus sermonibus de communi vita Clericorum; ex quibus indubitata manebunt jam asserta, & posthac asserenda, tam de votis Clericorum, quàm aliis maximi momenti Augustini Clerum spectantibus.

CAPUT XXV.

Solvuntur objecta Erasmi contra vota Clericorum D. Augustini.

PRimum est. D. Augustinus in sermonibus illis de communi vita Clericorum, vocat recedentes à sua societate Clericos, *cæcos & claudos*, hypocritas verò secum manentes & simulantes propositum, vocat *mortuos*. Item exeuntes à societate & à proposito resilientes, ait *dimidios ruere, si servent sanctitatem*; si verò in societate

viventes hypocritæ fuerint, *totos ruisse* scribit. Atqui Apostata, non dimidius ruit sed totus, non est claudus tantùm aut cæcus, sed mortuus: igitur qui à convictu Augustini discedebat, non judicabatur tanquam voti transgressor. Objectioni occurro & dico, Augustinum asserere ejusmodi *Clericum desertorem, a voto & professione sancta cadere*, quod satis est adstruendis votis apud ejus Clericos. Nunc autem videndum est quomodo talis desertor voti, *dimidius tantùm rueret, essetque cæcus & claudus tantùm*. Quia scilicet accedebat Augustini dispensatio à voto, quod jus dispensandi tunc penes Episcopum manens, causæ erat, cur desertor societatis non censeretur Apostata, proindeque non totus ruebat, sed dimidius, quia si non peccaminosè saltem imperfectissimè se se gerebat, ob statûs perfectissimi desertionem, & inconstantiam animi; & erat *cæcus*, quia talis desertor, quadam mentis caligine judicabat & sperabat se alibi commodiùs acturum; & erat *claudus*, ex *infirmitate quâ non poterat propria contemnere*; sic enim loquitur D. Prosper seu Julianus Pomerius, relatus à Patribus Concilii Aquisg. cap. 109. & Erasmus *cæcitatem illam & claudicationem*, de qua hîc Augustinus, vocat *infirmitatem*, in Ecclesiaste suo. Et sanè talem dispensationem Episcopi eximere desertorem ab apostasi satis indicant illa verba Augustini, asserentis, *illum dimidium ruere, si foris servet sanctitatem*; nam Apostata utpote lethali peccato infectus, sanctitatem servare non potest. Dispensabat autem Episcopus Augustinus à votis, quia tunc nulla mentio voti solemnis & indispensabilis, quale postea invexit

Ecclesia; & id quod hîc dissimulat Erasmus, luculenter observavit & agnovit alibi, scilicet *in Epist. ad Fonsecam Archiepiscopum Toletanum*, his verbis: *Clericos suos quos tædebat juxta Episcopi institutum vivere, patiebatur ad alios Episcopos demigrare, qui Clericos suos non adigebant ad domûs & vitæ communionem; nam amabat perfectam pietatem, sed spontaneam non extortam.* Et illud Erasmus hausit ex his Augustini verbis, ex sermone de Clericis. *Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua, maneant ubi volunt & ubi possunt: habeant libertatem, & habeant si possunt fœlicitatis æternitatem; malim enim habere cæcos & claudos extra, quàm plangere mortuos intrà; mortuos* (inquit) ob hypocrisim lethalem quâ fingebant se servare expropriationem quam voverant.

Secundum Erasmi objectum. Liberum erat ab Clericali societate pro arbitrio discedere. *Incorrigibiles enim* vult Augustinus, *ut si non abcesserint de societate projiciantur.* Secedere igitur poterat qui volebat, vel projectus absolvebatur à voto, aut saltem nullum erat votum. Respondeo. Ista verba desumi ex Epist. 109. scripta pro fœminis; at hîc inquirimus votivos Clericos. Deinde si etiam Clericis Augustini convenire vult Erasmus; scire debet duo esse genera deterrimorum Regularium, *fugitivorum*, & *ejectorum. Fugitivi* sunt, de quibus dicit Augustinus, *si ipsi non abscesserint*; quos certum est fugâ voluntariâ (non petitâ licentiâ & absolutione à voto, qualem tunc poterat largiri Augustinus) damnationem acquirere. *Ejecti*, de quibus idem

Augustinus, *de vestra societate projiciatur, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Quod non est absolvi à voto emisso, manet enim semper in ejectis ob crimen patratum obligatio se se emendandi & redeundi ad priorem statum votivum & religiosum contubernium. Adde quod per projectionem à societate non intendebat forsan Augustinus, ejectionem à domo aut Episcopio, sed volebat ejusmodi præfractiores Clericos à communi convictu per aliquod tempus secedere; ad eum modum quod ex Paula suppeditat D. Hieronymus, de cujus Monasterii moderamine sic tradit. *Quam linguosam, garrulam, ac procacem, rixisque perspexerat delectari, & sæpius commonitam nolle converti, inter ultimas & extra conventum sororum ad fores triclinii orare jubebat & separatim cibum sumere, ut quam objurgatio non correxerat, emendaret pudor.* Est & alius modus projiciendi à societate, de quo Humbertus in eum locum Augustini Regulæ, scilicet per incarcerationem.

CAPUT XXVI.

Tertium Erasmi objectum contra vota Clericorum Augustini diluitur.

A Monachis, tempore Augustini, nequidem vota emittebantur (inquit Erasmus) igitur multò minus à Clericis. Id primò defendit in vita Hieronymi, ubi sic ait. *Pensitatis omnibus*

ac circumspectis Hieronymo Monachi placuit institutum; quod ne quis in hoc erret, id temporis longè diversum erat ab hoc quod hodie videmus ceremoniis obstrictum; imo quibus maximè libertas erat cordi, hi Monachi professionem suscipiebant. Primùm enim res manebat integra, si quis ita censuisset, manebat commigrandi remigrandique quò vellet potestas; manebat dulcissimum ac liberrimum otium ad studium, ad jejunia, psalmos, vigilias, aut suopte incitabantur animo, aut exemplis invitabantur. Non cogebantur hominum constitutiunculis, vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuique arbitrio sumptus, non qui prodigiosa novitate faceret digito notabilem ac insignem, sed qui Christianam simplicitatem præ se ferret; votorum nulla vincula, nisi quæ sunt cujusque purè Christiani: denique si quem sui instituti pœnitentia cœpisset, tota demum pœna erat inconstantiæ nota; cujus rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam, legat institutionem Monachi ad Rusticum & item ad Paulinum, legat in Epistola cujus initium: Audi filia, descriptum triplex genus Monachorum apud Ægyptios. Hæc Erasmus. Præclarus sanè Monachorum fictor, quem falli & fallere sic ostendimus. Consulamus eam Epistolam quam memorat, quæque incipit per hæc verba, *Audi filia*; & videamus si non alia ibi statuantur vota nisi quæ sunt purè Christiani. Ait igitur Hieronymus in ea Epistola ad Eustochium directa. *Quid ante non plures annos Nitriæ gestum sit referamus, quidam ex fratribus parcior magis quàm avarior, & nesciens triginta argen-*

teis Dominum venditum, centum solidos quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter Monachos consilium, quid facto opus esset? aliqui pauperibus distribuendos esse censebant, nonnulli parentibus remittendos, Macarius verò & Pambo & Isidorus & cæteri, quos patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu decreverunt infodiendos esse cum eodem, dicentes, pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter quisquam credat factum, tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis. Hæc Hieronymus in ea Epistola ad quam nos miserat Erasmus, pollicens nos suorum decretorum inventuros fidem. Cujus tota jam in hoc solo ruit; nam unde tantus terror omnium Ægypti Monachorum, ex servata pecunia, unde tantus rigor ejecti cadaveris cum eâ terribili sententiâ, *pecunia tua tecum sit in perditionem?* unde ejusdem servatæ pecuniæ collatio, seu comparatio cum Christi per triginta solidos proditione? nisi votum paupertatis, & renunciatio voluntaria pecuniæ intercessisset? Qualis certè non invenitur apud purè Christianos.

Adhuc etiam audiamus Hieronymum in illud *Thren. Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*; ubi sic ait, *hanc speciem conversionis boni Eremitæ & Monachi, qui voto Monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt.* Quid clarius afferri potest contra illos Monachos, quos Erasmus suis nobis peperit commentis?

Quia verò mittit nos suprà ad vitam Hilarionis ab Hieronymo conscriptam, videamus quid

illi profint fomnia fua ? Dicit igitur Hieronymus de Hilarione. *Audiens autem tunc celebre nomen Antonii perrexit ad Eremum , & ftatim ut eum vidit, mutato priftino habitu juxta eum manfit.* Et infra, *partem fubftantiæ fratribus, partem pauperibus largitus eft , nil fibi omnino refervans , & timens illud de Actibus Apoftolorum Ananiæ & Sapphiræ vel exemplum vel fupplicium.* Ecce in Monachis, contra quam fentit Erafmus, cultum peculiarem , & propofitum paupertatis. Unde nec , (ut ariolatur) in amplexante vitam Monafticam , manebat res feu fubftantia familiaris integra, aut peculium. Nam & de eodem Hilarione fcribit adhuc Hieronymus, ipfum *deteftatum fuiffe Monachos, qui infidelitate quadam in futurum refervarent fua.* Quid enim fonat *infidelitatis* vocabulum, nifi violationem promiffæ paupertatis ? Refert denique in eadem Hilarionis vita Hieronymus , ciceris fafcem virentis projectum bubus & brutis ab ipfis fuiffe quafi execratum, eo quod à Monacho proprietario illis porrectum fuerat.

Nunc verò delibemus aliquid ex Epiftola Hieronymi ad Monachum Rufticum , quam non minus præfractè fuo errori præfcripfit Erafmus. Sic porro eum alloquitur Hieronymus. *Doceo te non tuo arbitrio dimittendum, fed vivere debere in Monafterio fub unius difciplina Patris confortioque multorum, ut ab alio difcas humilitatem, ab alio patientiam; hic te filentium, ille te doceat manfuetudinem; non facias quod vis, comedas quod juberis, veftiaris quod acceperis, fubjiciaris cui non vis, laffus ad ftratum venias, fervias fratribus, hofpitum laves pedes, paf-*

sus injuriam taceas. Perpende, lector, quantum distent *suo arbitrio vivere*, quod tribuit Monachis Erasmus; & *non suo arbitrio dimittendum. Libertatem manere eundi quò velis*, & præcipi *obedire & subjici cui non velis.* Et tamen suavis Erasmus fingit Monachos tempore Hieronymi & ejus etiam testimonio, liberos migrandi & remigrandi quò vellent. Quam facultatem adhuc ipsis negatam docet Hieronymus in Epistola ad Paulinum, ad quam etiam nos provocarat Erasmus; Abrahæ enim illi propositâ imitatione satis insinuat, quod sicut Abraham nunquam habuit propositum revertendi ad patriam unde exierat, sic nec Monachus potest amplius redire ad propria. Nam ibi ait Hieronymus Paulino, *jam non sunt tua quæ possides, sed dispensatio tibi credita est, memento Ananiæ & Sapphiræ.*

Ultimo tandem loco vult suprà Erasmus, ut legamus in Epistola Hieronymi, cujus est initium *Audi filia*, triplex genus Monachorum. Age, legamus. *Tria sunt genera Monachorum in Ægypto viventium, primum Cœnobitæ, secundum Anachoritæ, tertium genus est quod Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum. Hi suo arbitratu ac ditione vivunt, habitant quàm plurimùm in urbibus & castellis, inter hos sæpe sunt jurgia, quia suo viventes cibo non patiuntur se alicui esse subjectos, re vera solent certare jejuniis; apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio Clericorum; & si quando dies festus advenerit, saturantur ad vomitum. His igitur quasi pestibus exterminatis veniamus ad Cœnobitas*; de

quibus ſicut de Anachoretis multa prædicat ne quidquam ſententiæ Eraſmi faventia Hieronymus ad illud Hieremiæ, *bonum eſt viro* &c. ait enim *Monachos qui voto Monaſtica diſciplina obligati ſunt, exutam mentem habere debere à cunctis terrenis.* Unde ſolos Remobothitas nobis obtrudere videtur, ut liberiorem Monachorum vitam adſtruat ætate DD. Hieronymi & Auguſtini, de quibus vide animadverſiones Hieronymi *Epiſt. 22. & Divum Benedictum Regula cap. 1. apud Scoliaſten Caſſiani. Collat. 18. cap. 7.* Sed ex eorum inquinata vita, peſſimè concluditur de cæteris. Rem concludit contra Eraſmum locus Auguſtini in Pſalmum 99. *ſis in illa vita communi fratrum &c.* ubi clara fit mentio Monachorum *deſertorum propoſiti, & reorum voti non redditi &c.*

Ruit igitur Eraſmi ratiocinatio, quâ negat Clericos D. Auguſtini vota emiſiſſe; ex eo quod nec Monachi eâ ætate ea emitterent; cùm nullos tunc invenerit pro libidine vixiſſe & nullo imperio, niſi ſolos Remobothitas. Suum dogma afflavit Eraſmus perſonato Petro Aurelio, cui tantùm ejus arriſit ſententia, ut in eam manibus quaſi & pedibus ierit. *Primis (inquit) ſeculis libera erat vita Monaſtica profeſſio, non aliter quàm ſocietates liberæ quæ modo florent, ad quas ingredi & à quibus digredi merum libertatis arbitrium eſt. Et procedente tempore addita fuere vota primùm ſimplicia, deinde ſolemnia, non ut operi pretium, ſed ut conditioni firmitas adveniret, & ut in camo & fræno maxillas Religioſorum conſtringeret Eccleſia, dum pluribus catenis duritia cordis eorum & inconſtantia coërceretur,*

ne turpi levitate nuptias affectarent. Sed rem nobis pergratissimam fecisset, si pro sua facundia & scientiarum, quas pollebat, encyclopædia, aliquo vel minimo argumento suam sententiam tam audacem stabiliisset; sine teste enim nil tale volumus. Porro tria complectitur ejus sermo. Primum, libertatem ingrediendi Monasterium, & ab eo digrediendi pro libidine, concessam fuisse Monachis antiquis; quæ verba hausit ab Erasmo, sed quæ gratis ab utroque pronuntiata fuisse satis perspicuè mox ostendimus. Secundum, vota esse recentia. Sed id est quod ab ipso desideramus probari; nam fateor procedente tempore, *simplicis* primum, deinde *solemnis* voti mentionem factam fuisse: sed omnino vota non intercessisse antiquitùs, seu propositum quoddam non affuisse Monachis, quod rem voti vel simplicis vel solemnis in se contineret; id nunquam nobis imponet Petrus Aurelius: sique aliquando contra propositum nuptias appetierint, id sanè nunquam licitè factum probabit; quamquam de validitate hîc non disputem, cum nondum inducta fuisset voti solemnitas. Tertium, quod obgannit Petrus Aurelius, *vota operi pretium non afferre*, abundè refutatur à D. Thoma; cujus testimonio, opponi non debet, (ut à multis solet) ipsum fuisse Religiosum, proindeque votorum vindicem ac præconem. Nam tanti ponderis in voti commendationem profert argumenta, ut nemo usquam ex his qui vota *cane pejus & angue* fugiunt, quique velut Religiosorum simii societates liberas modo florentes incolunt, Angelici Doctoris rationibus par fuerit. Nec inficior, quod sicut operi pretium vota tribuunt; sic solemnitas voti, firmi-

tatem ſtatui Monaſtico aut Religioſo contulit; ut quæ antea forſan validè, ſed nunquam licitè à voventibus contractæ fuerant nuptiæ, ſolemnitatis decreto reſecarentur. Denique totum Petri Aurelii & Eraſmi contra vota commentum, nunquam perſuadebit, à Monachis aut Clericis Religioſis antiquis, tempore ſcilicet SS. Hieronymi & Auguſtini, nuncupata Deo non fuiſſe vota; quæque citra culpam aut crimen violare fas ipſis fuerit, niſi interceſſiſſet diſpenſatio, quâ pro ſuis Clericis uſum aliquando fuiſſe Auguſtinum ſuprà notavimus. Hîc tandem mirè facit aſſerendis Clero Auguſtini votis, quod cap. 13. libri 2. retulimus, de firmitate ſtatûs antiquorum Clericorum ſeu Canonicorum; quam præ liberiore nuperorum ſtatu, votis Religioſorum ferè parem adſtruximus, idque tam validis argumentis, ut ſi benè perpendantur, Eraſmo ac ejus pediſſequo Petro Aurelio, vetera omnia à novitate metientibus nilque niſi omnino liberum venditantibus æternum vale dicatur.

CAPUT XXVII.

An vota Clericorum D. Auguſtini ſolemnia fuerint, an ſimplicia?

ASſertis votis apud Clericos Auguſtini, jam eorum conditio examinanda eſt, an ſcilicet eſſent ſolemnia, an ſimplicia; pro cujus rei elucidatione obſervare eſt cum Roderico quæſt. reg. tom. 3. quæſt. 1. art. 2. *Solemnitatem votorum*

non esse essentialem Religioni, cum olim apud priscos Religiosos non esset in usu, quippe quos sancta simplicitas & verecundia satis in Religione contineret; sed postea crescente hominum malitiâ ad vitandam fraudem fuisse introductam in Synodo Romana sub Innocentio II. an. 1139. Sic enim legimus statutum ibidem cap. 6. *Ut Religiosis omnino matrimonium omne interdiceretur, ita ut si contraherent, id nullam vim haberet.* Et primus est Innocentius II. (aiunt Rodericus & Suarez *tom. 3. de Relig. l. 9. c. 21.*) omnium, quod litteris extet, qui hoc constituerit, qui quidem licet solemnitatem non nominet, tamen ejus effectum præcipuum, diremptionem scilicet matrimonii nominat. Postea Bonifacius VIII. expressit, quod antea obscurum videbatur; & solemnitatem voti nominans, certam ac stabilem sedem ei fixit in Ordine sacro, & professione in Religione approbata. Et addit, in responsione Biterrensi Episcopo, *eam solemnitatem ex sola Ecclesiæ constitutione inventam esse* ab Innocentio scilicet II. Nec obstant quæ antea sive Callixtus II. sive Urbanus II. *distinct. 27. cap. Presbyteris.* decreverunt, de contractis per majores Clericos, vel Monachos matrimoniis disjungendis, & quidquid Concilii Turonensis II. *anni* 570. *num.* 16. & 21. Canones dicant de separatione nubentium Monachorum; non enim convincunt de diremptione vinculi matrimonialis, sed tantùm de pœna sic nubentium, quæ erat separatio quo ad thorum, sive ad omne, sive ad aliquod tempus.

De fœminis etiam incertum, quando verè solemnitatis apud eas effectus valuerit, quidquid

dicant de velatis & non velatis, & quidquid distinguant in Augustino, Innocentio, & Epiphanio, qui quidem variis locis, de voventibus fœminis vel virginibus sermonem faciunt, nusquam tamen votum simplex memorant nec solemne. Unde quidquid de separandis aut excommunicandis voventibus virginibus scriptum reperitur in Patribus & Conciliis, id tantùm pœnam respexisse, non verò vinculi matrimonialis diremptionem, censendum est. Nam Augustinus *lib. de bono viduitatis, capitibus* 8. 9. 10. *&* 12 Gelasius 27. *quæst.* 1. Cyprianus *in Epist. ad Pomponium 62.* Hieronymus *ad Demetriadem Epist.* 8. Moniales (ut notat Rodericus) professas potiùs ad nubendum hortantur, quàm scortari, accedente scilicet Episcopi dispensatione. Id etiam Epiphanius consulit *heresi* 61. & Gelasius Papa *cap. de viduis 27. quæst.* 1. Nec distinctionem afferunt solemnis ac simplicis voti, quam inducunt ad eorum explicationem Pamelius in Cyprianum, & Gratianus & alii plures. Nam tradit Claudius Espencæus *in tractatu de voti solemnitate*, non occurrere quidquam de voto simplici ante Theodori Romani, ut subdubitat, (ait,) D. Quintinus *in distinct. 27. cap. Si vir.* id est anno 641. sive Cantuariensis Episcopi, ut mavult Trithemius anno circiter 690. Quin Leo primus, qui vixit ampliùs 20. annis post Innocentium I. loquentem de velatis & non velatis *in Epist. ad Victricium Episcopum Rothomagensem, quæ habetur 27. quæst. 1. Quæ Christo.* Etsi peccatum doceat inesse in virginibus voventibus, postea nubentibus, non tamen de nuptiis rescindendis mentionem ullam fecit. Quin Gre-

gorius ipſe, quo nullus antea Pontifex ſeverior in hoc genere fuerat, cum crebris decretis *relatis* 27. *quæſt.* 1. & Epiſtolis, eorum qui ſic contraxiſſent, conjugium ſejungi, & in Monaſterium retrudi jubeat, nil tamen dicit, quo conjugium non valuiſſe cenſeat; imo quod valuiſſe cenſuerit, patet ex ejus Homilia 38. in Evangelia, exemplo adducto Gordianæ amitæ ſuæ; quæ cum ſe Deo dedicaſſet, oblita pudoris ac conſecrationis maritum acceperat, & cum eo deinceps vixerat: ibi enim eam voti violati arguit, at fuiſſe quidquam ſolenne, aut irritas nuptias nuſquam ſignificat. Conſtat quidem ante Baſilium, *ex ejus Epiſt. ad Amphiloch.* 1. *Can.* 18. lapſas virgines, in matrimonio poſtea contracto tolerari poſt annum pœnitentiæ; poſtea verò voluit idem Baſilius, ut ſimiles prorſus ſepararentur, ſicut & ſi qui ex Canonicis vel Monachis fornicarentur & contraherent matrimonia; nam id pro adulterio vult reputari; ſed ad ſummum id probat, pro aliqua Eccleſia, vel Diœceſi aliqua vota aliquando ſolemnitatis effectum ſortita fuiſſe in uno loco ſecundùm Epiſcopi diſpoſitionem, quæ alio in loco, & ſub alio Epiſcopo non erant: ſed pro tota Eccleſia demonſtrari non poteſt vota vel continentiam diremiſſe matrimonia priſcis temporibus. *Imo* (ait Suarez) *negare non poſſumus, quin in antiquis monumentis inveniantur indicia aliqua ſacrarum virginum & Monachorum, quorum matrimonium, licet damnaretur ut illicitum, toleraretur ut jam factum.* Et id pluribus rationibus probat *tom.* 3. *lib.* 9. *de Relig. c.* 21.

Quibus ex antiquitate defloratis, & pro reſolutione

lutione quæstionis propositæ prænotatis necessariis; patet vota quæ Deo nuncupasse Clericos Augustini altero capite probavimus, non fuisse solemnia, sed simplicia tantùm, vel melius rem voti simplicis habuisse tantùm, cum tunc simplicis voti mentio nulla fieret.

Porro talia fuisse vota Clericorum D. Augustini, apertè colligitur ex duobus ejus sermonibus de communi vita Clericorum: nam ubi eos tædebat vitæ communis & votivæ assumptæ, eos dispensasse legitur; *habeant* (inquit) *libertatem & videant utrum habere possint felicitatis æternitatem, malo habere cæcos & claudos* (Clericos scilicet extra Episcopium viventes, desertâ vitâ communi quam voverant) *quàm plangere mortuos*, idest habere hypocritas commanentes, simulantes propositum Religionis quod cordi non haberent. Hinc Augustinus dicit, *Clericum desertorem sui Monasterii posse servare extra illud sanctitatem, sed dimidiam*, seu non ita perfectam ac in Monasterio quod deseruerat. Ex quo datur intelligi, per dispensationem Augustini absolutum fuisse à peccato & apostaseos crimine. Erant igitur ea vota dispensabilia, quorum obligatio cessabat statim atque indulgente Augustino aliquis ex infirmitate animi vel inconstantia recessisset. Et de natura hujus voti, quod postea *simplicis* nomen obtinuit. Tunc autem vota Canonicorum Divi Augustini verè declarata sunt. (& voluit Ecclesia censeri) *solemnia*, cum Innocentius II. eam, de qua locuti sumus cæteris Religiosis, invexit solemnitatem in Synodo Romana anno 1139. in cujus decreto quod est cap. 7. nominantur expresse Canonici Regulares, his ver-

R

bis. *Ut Regulares Canonici, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separarentur; matrimoniaque non censemus, quæ contra Ecclesiasticam Regulam fieri constat.*

CAPUT XXVIII.

An tria vota, vel unicum expropriationis emiserint Clerici D. Augustini.

HAnc movet quæstionem Suarez *lib.* 1. *de Var. Relig. cap.* 9. & solvit asserendo, non unicum, sed tria vota Religionis emisisse. *Non desunt*, ait, *qui existimant Clericos qui antiquitùs vitam communem profitebantur, sub Episcopis in Cathedralibus, solam paupertatem observasse, alia tamen vota non emisisse; ideoque non simpliciter, sed secundum quid Religiosos extitisse: cum D. Augustinus in sermonibus de suis Clericis, tantùm hanc conditionem vitæ communis quoad paupertatem ab ipsis exposcere videatur, ac ut imitentur vitam quam fideles Apostolorum tempore observabant. Verùm*, (inquit idem Suarez) *licet in dictis sermonibus Augustinus solam paupertatem commendet, & proprietatem reprehendat, non tamen alia vota excludit, quin potius eorum integram observantiam supponere videtur. Et quia in paupertate gravis lapsus acciderat, pro ea pugnat; ibi enim non tradit institutionem integram, sed concionatur, & solam materiam*

paupertatis commendandam, & proprietatem propulsandam, veluti in argumentum illorum sermonum assumit. In eisdem tamen, domum suam Monasterium Clericorum vocat. Et verisimile est eosdem Clericos, continentiam ex voto servasse exemplo Augustini, qui nec sororem secum habere volebat. Et Possid. cap. 11. ait, *In Monasterio Augustini servos Dei servasse propositum continentiæ cum paupertate profunda.* De obedientia, hanc sibi à Clericis suis redditam declarat Augustinus, in priore illo sermone de Clericis, per hæc verba, *omnes mihi obediunt libenter, nec inventurus sum aliquos habere aliquid, nisi aliquâ necessitate non cupiditate.*

CAPUT XXIX.

Prænotantur quædam pro investigatione paupertatis Clericorum Divi Augustini.

NOn parvæ, nec paucæ difficultates occurrunt antiquitatis scrutatoribus circa paupertatem voluntariam antiquorum Religiosorum. Hinc Patres Basilius, Gregorius, Petrus Damiani, Hieronymus, Benedictus & Augustinus diris devovent Monachos proprietarios. Illinc Imperiales leges proprietatem bonorum Monachis indulgere videntur usque ad tempora Justiniani Imperatoris, cujus edicto Monachi incapaces dominii declarati sunt circa annum 530. Quibus conciliandis observare convenit, non licitam fuisse Mona-

chis proprietatem, seu peccasse Monachos peculia habentes; licet jure civili ejusdem proprietatis aut peculii non essent incapaces. Nec etiam laudati Patres probare videntur carentiam proprii dominii, sed solùm proprietarii usus. Sed adhuc circa proprietarii usus prohibitionem facit difficultatem objectio de solitariis, qui rerum necessariarum, quantumvis viles essent, videntur esse domini proprietarii, quantum etiam ad usum. Ut hæ difficultates solvantur, simulque sensim ad paupertatem Clericorum D. Augustini deveniamus.

Observandum est diligenter, quatuor modos paupertatis attendi posse in viris Religiosis. Primus gradus est, ejus qui nec licitè nec validè habere potest dominium alicujus rei, neque illâ tanquam propriâ uti; quem modum paupertatis nunc servant omnes qui emittunt votum solemne paupertatis. Secundus gradus ejus est, qui non possit licitè habere proprium dominium alicujus rei, neque etiam ullâ re tanquam propriâ uti, quamvis validè sit capax dominii; qualis erat paupertatis modus antiquorum Monachorum, antequam jura civilia vel Ecclesiastica eos incapaces dominii pronunciassent. Tertius gradus est, si cui sit licitum validumque dominium, non possit verò ullâ re ut propriâ uti; quem gradum seu modum paupertatis assignat Suarez *scholaribus approbatis Societatis Jesu*. Quartus gradus est, si quis ex voto non obligetur ad carentiam dominii, vel omnis usus rei ut propriæ, sed solùm ad non habendum nec quærendum bona temporalia ultra certam mensuram sufficientem ad sustentationem vitæ, juxta aliquem finem honestum vel perfe-

ctum sibi præscriptum : & hæc erat paupertas solitariorum Pauli, Hilarionis & similium; quam non attendentes quidam post Boërium in tractatu de vita Eremitica, ex illo dominio & proprietate manente apud ipsos perperam negarunt fuisse verè Religiosos, vel saltem fuisse incompertum quodnam genus vitæ esset illud Eremitarum. Porro omnes modi morales voluntariæ paupertatis in particulari in illis quatuor continentur, quibus omnibus commune est ut nimia superfluitas temporalium bonorum, quæ sollicitudinem & distractionem secum afferre solet, auferatur : unde si unus modus ex his inveniatur in aliquo statu, sufficit ad hoc ut verè Religiosus censeri debeat.

Ex his neminem movere debet, quod sanctissimi Monachi testamenta condiderint; Antonius de quo refertur sic bona sua legasse. *Vestimentorum meorum sit illa divisio, melotem & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi novum ipse detulerat; Serapion Episcopus aliam accipiat melotem, vos cilicium habetote & valete.* Et sanctus Hilarion, de quo refert Hieronymus. *Cum absens esset Hesychius, quasi testamenti vice brevem manu propriâ scripsit Epistolam ei omnes suas divitias relinquens, Evangelium scilicet & tunicam sacceam, cucullam & palliolum.* Adde quod leges firmabant testamenta Monachorum & Clericorum, usque ad Justinianum Imperatorem, qui tandem decrevit lege, *nunc autem C. de Episcopis & Clericis*, per professionem Monachi omnes res ejus fieri Monasterii, etiamsi expresſè non donentur, & quod non erit amplius dominus illarum ullo modo. Non multò post Justinianum

Gregorius *lib. 7. Epist. 7. relatus à Gratiano 19. quæst. 3. cap. 7.* ait, *ingredientibus Monasterium ulterius nullam esse testandi licentiam, sed res eorum ejusdem Monasterii juris fieri debere.* Idem repetit ex ipso Gregorius IX. *in cap. 2. de testamentis.* Ex quo patet Ecclesiam acceptasse & confirmasse Justiniani constitutionem, quia in bonum Ecclesiæ cedebat.

CAPUT XXX.

Qualis erat paupertas Clericorum Divi Augustini.

EXcludebat usum rerum proprietarium. Id patet ex toto contextu duorum sermonum de Clericis; in quorum uno sic ait inter alia. *Ecce quomodo vivimus, nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium, sed si fortè aliqui habent, nulli licet, benè autem sentio de fratribus meis, & semper benè credens ab hac inquisitione dissimulavi, quia & ista inquirere quasi malè sentire mihi videbatur.* Et ab usu proprietario rerum abhorrens subjungit, *omnes offerte quod vultis, offerte de voluntate vestra quod commune erit, & distribuetur unicuique prout cuique opus erit; nemo det birrum vel tunicam lineam, seu aliquid, nisi in commune, de communi accipiam mihi ipsi, cum sciam me commune habere velle quidquid habeo; nolo talia offerat sanctitas vestra, quibus quasi ego solus decentius utar; offeratur mihi*

verbi gratiâ birrum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamvis dedeceat Augustinum, id est hominem pauperem de pauperibus natum; talem vestem debeo habere, qualem possim, si non habuerit, fratri meo dare, qualem potest habere Presbyter, qualem potest decenter habere Diaconus & Subdiaconus; si quis meliorem dederit, vendo, ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis sit commune. De domo, seu (ut modò loquuntur) Palatio Episcopali, ait. *Nostis omnes sic nos vivere in ea domo quæ dicitur Episcopi.* Non dicit in mea domo, nec, in domo Episcopali, sed, *quæ dicitur Episcopi.* Et eodem modo loquens de domo in qua manserat quidam ex suis Presbyteris, quæque ad eum pertinebat, antequam adscitus esset in sodalitium Augustini; sic ait *in 2. sermone de Cleric. Nemo amplius dicat in domum Presbyteri, ante domum Presbyteri, ecce ubi est domus Presbyteri, ibi est domus mea, alibi non habet domum nisi ubicumque habet Deum.*

Licitum tamen ad aliquod tempus fuit dominium apud Clericos Augustini, cui renuntiare parati erant, cum vellet & quomodo vellet. Quod sic describit sermone eodem 2. de Cleric. *Presbyteri pauperes Dei sunt, nil ad domum societatis nostræ attulerunt, nisi ipsam quâ nil carius est caritatem.* Et postea ait. *Sed sunt qui de sua qualicunque paupertate, quod statuerant nondum fecerunt, Valens Diaconus, & Patricius nepos meus Subdiaconus, hunc matris vita impediebat, quæ inde vivebat; in illo verò expectabatur legitimæ ætatis tempus, ut quod faceret, firmissimè faceret. Diaconus Severus ha-*

bet in patria sua agellos, quos disponit illic posita pauperi largiri Ecclesiæ.

Sed tantùm in adolescente Congregatione Augustini, ejusmodi dominium ad aliquod tempus licitum fuit, non verò in provectiore; nam gravis casus proprietarii Presbyteri Januarii nomine, tantas tragœdias excitarat, ut iis permotus Augustinus, & petito super id Alipii consilio, decreverit imposterum cuilibet Clerico cooptando in sodalitium tollere omnem ansam vel testandi, vel donandi, vel possidendi quidquam jure dominii, etiam ad modicum tempus. Factum Januarii tale erat, quod contra leges societatis, seu illicitè testamentum condiderat de pecunia, quam in ingressu sodalitatis dixerat esse filiæ suæ, & tamen moriens non filiæ sed suam esse dixerat. Sic facinus luget Augustinus. *Testamentum fecit Presbyter socius noster, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, hæredes instituit, ô dolor illius societatis! ô fructus natus non de arbore quam plantavit Dominus! sed Ecclesiam scripsit hæredem, nolo numerare ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, Deo societatem professus erat, quod hanc teneret, hanc exhiberet, nil haberet; magnus inde mihi dolor est, fratres, & propterea statui hæreditatem ipsam in Ecclesia non suscipere.* Ut igitur in talia mala non relaberentur Clerici, instituêre Augustinus & Alipius *Epistolâ* 239. *Ita agendum cum eis qui convertuntur, ut non possint admitti ad societatem fratrum, antequam se omnibus illis impedimentis exuerint, ut cum otio tendatur, cum eorum res esse destiterint.* Alius adhuc casus acciderat, quo permo-

tus Augustinus, decreverat, omnibus rebus spoliandum Clericum suæ societati adsciscendum. Honoratus Presbyter postquam receptus fuisset in fratrem & Clericum Ecclesiæ Tagastensis, cui præerat Alipius, & ibi plures annos commoratus esset, re seu patrimonio suo non vendito, nec cuiquam distributo; exigentibus Ecclesiæ Thianensis necessitatibus, quæ Parochum deposcebant, hunc rogatus eidem Ecclesiæ donavit Alipius. Quo facto Ecclesia Thianensis postulat ab Alipio & ejus Clericis Tagastensis Ecclesiæ, ut cum Honorato etiam bona & res illius transferrentur ad Thianensem Ecclesiam. Recusat Alipius & collegæ; Thianensibus verò acriter contendentibus bona Honorati translati ad suam Ecclesiam ad ipsam de jure pertinere; rem totam aperit Alipius Augustino: re maturiùs pensiculatâ, concludunt simul bona Honorati Presbyteri esse bifariam dividenda, ita ut dimidiam partem retinerent Tagastenses Clerici, alteram dimidiam cederent Thianensibus. Sed hi se se præjudicium pati præsumentes, scribunt Augustino, & contendunt omnia & quæcunque bona Honorati ad se de jure pertinere. Quod causæ fuit cur Augustinus post diuturnum hujus rei (ut ipsemet ait) examen, scribat Alipio, suam de dimidio tantùm cedendo Thianensibus revocare sententiam, & totum prorsus ipsis esse concedendum, cum secundùm jus civile ita fieri deberet; licet alio jure, quo nimirum nomen dederat societati Tagastensi, illic ea bona remanere deberent. *In hoc casu*, ait Augustinus, *& similibus ea jura servanda esse censeo, quæ talibus habendis vel non habendis secundùm civilem societatem sunt*

instituta. Et dignam subjungens Augustino sententiam, *ut ab omni* (ait) *non solùm re, sed etiam specie malignâ quantum possumus nos abstineamus, & bonam famam custodiamus dispensationi nostræ multum necessariam.* Et ne Alipius ægrè ferret omnibus Honorati bonis spoliari, spondet Augustinus, (ô miram viri pietatem !) se eam medietatem ei persoluturum, quam simul existimarant Tagastensem Ecclesiam jure prætendere debere, & illius se constituit debitorem ex bonis, quæ Hipponensi Ecclesiæ obventura erant : idque nutriendæ pacis causâ inter Tagastenses Clericos & Thianenses. Tales tragœdias vitare volens imposterum Augustinus, statuit, in ingressu societatis Clericalis, omnium facultatum fieri debere abdicationem, & ut ait, *ea mala antè per spoliationem bonorum præcaveri; si autem præcauta non fuerint, ea jura esse servanda, quæ talibus habendis vel non habendis secundùm civilem societatem sunt instituta, ut omni non solùm re, sed etiam specie malignâ abstineatur, & bona fama custodiatur, dum intelligent apertissimè populi, nullo modo de pecunia eos satagere in talibus causis.*

Ex quibus colligitur, per aliquod tempus mansisse dominium facultatum apud Clericos sodalitii Augustini, quod deinceps vitari omnino jubet; deinde quo tempore manebat dominium Clerico; illicitè ipsum de bonis suis disposuisse pro lubito, nam eâ facultate disponendi de his se se privaverat eo ipso quo perfectæ sodalitati nomen dederat; licet tamen secundùm civilem legem validum esset, quidquid contra conscientiam, vel donando, vel testandò ageret de facultatibus Clericus,

Uno verbo, jure poli nullum fuisse illud dominium, quod jure fori validum esset. De priori loquens Augustinus ait, *putare se, quia si totum Honorati translati patrimonium auferretur Thianensibus, fore quod diceretur ipse & Alipius non de pecunia, sed de justitia laborasse, ipsos inhonestè & iniquè recepisse ea bona, quæ tota ad pauperes pertinebant, quia etiam res quas semper Presbyteri Honorati fuisse putaverunt, non amplius ejus erant*; abdicatione scilicet voluntariâ factâ, dum priori Ecclesiæ Tagastensi adscriptus fuerat. Et exemplum subinde profert Augustinus, utriusque juris invicem pugnantis; in Christo *mittente Petrum ut didrachmas, quæ tunc exigebantur, persolveret: noverat Christus* (ait) *aliud jus quo tale nil debebat.* Concluditque Augustinus, *quod in Ecclesiæ jure*, seu conscientiæ foro, *ad exemplum Pauli parcendum est infirmis, qui debitum stipendium non exigebat, quod conscientiâ certa rectissimè exigeret.* Sic Augustinus parcebat infirmis Thianensibus, eis persolvendo secundum jus civile bona Honorati translati, quæ secundum conscientiam eis non debebantur, cum amplius non essent Honorati ipsis spoliati & exuti, dum paupertatem amplexando & profitendo in Monasterio Clericorum Tagastensis Ecclesiæ, eis bonis illic cessisset, usui illius Ecclesiæ vel pauperum convertendis.

Hæc tandem ex Epistola Augustini ad Alipium 239. excerpta satis declarant genus paupertatis Clericorum ab Augustino & Alipio institutorum, quod eos privabat secundùm leges Monasterii dominio quocumque, ac etiam usu proprietario

cujuscunque rei, licet dominii non essent adhuc incapaces secundùm leges civiles, quæ de ea re nil adhuc statuerant.

CAPUT XXXI.

De insigni Canonicorum D. Augustini instauratore Ivone *Episcopo Carnotensi.*

A Filiis Augustini, Clericis nimirum ab eo prognatis & institutis transimus ad nepotes, Canonicos scilicet qui ejus institutionem etiam diu post ejus è vivis excessu, secuti & amplexati sunt; quos inter habemus hîc, tum doctrinâ, tum zelo disciplinæ apud Clericos instaurandæ redivivum Augustinum, IVONEM scilicet Episcopum Carnotensem in Gallia. Hic in celebri Basilica Sancti Quintini Belvacensis primùm Canonicos instituit, quos vir Canonum peritissimus verè Canonicè seu regulariter vivere & exemplo & legibus docuit: sicque testibus Vincentio Belvacensi, sancto Antonino, Sigeberto & Onuphrio in Chronicis ad annum 1078. *Sub ipso cœpit reflorere Canonicus Ordo ab Augustino regulariter institutus.* Ex Præposito Sancti Quintini Belvacensis, renuntiatus Episcopus Carnotensis Ivo, formatos à se Clericos circa annum 1069. quosque præsens annis circiter viginti rexerat, non deseruit curâ & sollicitudine verè paternâ, nec hanc plantationem suis laboribus auctam, arescere passus est, sed variis Epistolis ad eos scriptis crebrisque visitationibus, eam rigare ac fovere

non destitit. Id præcipuè colligere est ex Epistola ad Manassem Rhemorum Archiepiscopum, ubi ait, *Belvacensem illam Ecclesiam se genuisse, & cùm illa infirmatur non posse non infirmari.* Et Epist. 17. *Absens exhortor, ut pacem sectemini & sanctimoniam, hoc vovistis, hoc debetis, hoc & exhibetis: sed ut exhibeatis magis, per hoc, bono odore diffuso qui hactenus à vobis processit, & facultates Ecclesiæ vestræ multiplicabitis, & euntes de virtute in virtutem, ut filii pacifici in pace in idipsum dormietis. Præcipuè verò memores estote communionis vestræ, ne si (quod absit) avaritia in vobis radicem fixerit, Apostolicæ conversationis, quâ vivere optatis, obliti; cum Anania & Sapphira Apostolicâ maledictione condemnemini. Si quis autem inter vos ambulat inquietè, hunc mihi per Epistolam notate, ut congregatis vobis & meo spiritu dignâ eum possimus severitate corripere, quia non requiescet in eo spiritus meus, à quo scandalisabitur grex pusillus.* Item Epist. 31. *Ego etsi depono vestram prælationem, non desero Ecclesiæ vestræ societatem.* Rationem addit Epist. 32. *Nolo enim sine causa laborasse in vobis, quos materno affectu de veteri homine in novum generavi, quos geminorum uberum lacte, usque ad solidi cibi perceptionem educavi, quos ita unicè dilexi, ut cum gaudentibus gauderem, cùm dolentibus dolerem, cum infirmis infirmus fierem, quorum onera tantâ mansuetudine supportavi, quantâ parentes filios carnis suæ tolerasse vix possunt inveniri.* Et renuntians prælationi eorum quæ cùm Episcopatu cohærere non poterat, sic scribit.

Hoc tamen in fraternitate vestra retineo, ut quem de fratribus mecum habere voluero, mihi sicut patri filium transmittatis, & sicubi eum manere voluero, sine scandalo concedatis. Ex his enim testes vitæ secum habere volebat, & pro opportunitatibus & necessitatibus Missionarios, quos in messem dominicam ingereret, vel quos aliis Ecclesiis regularibus præficeret.

Non autem suæ familiæ San-Quintinianæ tantùm se natum putabat Ivo, sed & multis Ecclesiis ubi Canonicum Ordinem propagare conatus est, & Augustinum in se mirè exprimens, non solùm Clericos in communi secum viventes habuit Presbyter, non solùm commensales Episcopus, ut patet ex ejus Epist. 288. ubi nominantur ejus socii Bernerius & Radulphus; sed etiam more Augustini varios rogatus dedit Ecclesiis Clericos Regulares, qui Religiosam disciplinam restituerent. Quod manifestum est ex Epist. 36. ad Petrum Pictaviensem Episcopum; constat etiam ex multis Præbendis in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Ivoni certatim oblatis, pro obtinendis suæ institutionis Canonicis, quos ultrò concessit, ut recto ac verè Canonico vivendi genere cæteris secularibus prælucerent, provocarentque suis exemplis, ut niterentur esse quod dicebantur, Canonici, id est verè Regulares. De quibus Præbendis extat Bulla Urbani II. anni 1093. in qua *concessas à primordiis eorum institutionis Prabendas confirmat, propriis* (ut ait) *exprimendas nominibus, Prabendam scilicet sancti Petri B lvacensis, Prabendam sancti Michaëlis, Prabe dam sancti Laurentii, Prabendam sancti Vedasti, Prabendam sancti Quintini Viroman-*

densis, Præbendam sanctæ Mariæ Nigellensis, Præbendam in Ecclesia sancti Momboli Calniacensis. Quibus adhuc potiuntur San-Quintiniani, exceptâ illâ sancti Momboli nunc sanctæ Mariæ Calniacensis; toto enim Collegio ibi institutionem Augustini assumente, Præbenda illa cum mensa communi, absorpta est. Utinam eo modo cæteras Præbendas amisissent San-Quintiniani, inter quas insignis est illa Viromandis Ecclesiæ, quam San-Quintinianis dederat Adela Comitissa Viromandensis, ut colligitur ex Obituario illius Ecclesiæ 4. Kal. Octob. De quâ tamen illud notandum invenio in Cartis Abbatiæ Aroasiensis in Diœcesi Attrebatensi, beatum Hildemarum ejus Ecclesiæ fundatorem & Martyrem, hanc Viromandensis Ecclesiæ Præbendam, quæ Prioratus est, sibi oblatam constanter recusasse ob rationes, quas Auctor anonymus dicit se malle tacere quàm imprudenter allegare. Nec minus consideranda honoraria illa Præbenda in Ecclesia Cathedrali Trecensi unita Prioratui sancti Georgii de Gannayo, concessa San-Quintinianis à Philippo Episcopo Trecensi, cujus donationis motivum exprimit in charta illius fundationis, his verbis. *Attendentes diversas Congregationes, quibus refulsit Ecclesia B. Quintini Belvacensis, ex cujus veneranda Religione locus sancti Georgii posset illustrari &c.* Nec obmittenda perpetua Præbenda, quam in sua Cathedrali Carnotensi possidendam dedit Canonicis Regularibus sancti Joannis in Valle Carnotensi, à se ibidem institutis, unà cum Præbenda uniuscujusque fratris de Congregatione Cathedrali defuncti, vel quoquomodo renuntiantis ex Epist. 286. Mitto, quas

longum esset recensere, Parochiales Ecclesias, quibus Rectores providit & præfecit Ivo: is enim præcipuus scopus, cui in institutione Canonicorum suorum collineavit, per hos salutem plurium animarum consequi & operari. Unde existimabat nullos aptiores regimini animarum, quàm quos in Monasteriis Clericalibus, veluti Seminariis Curatorum, enutrierat Ivo; in quam rem ipsum differentem audiamus in Epist. ad Episcopum Aurelianensem 213. *Venerunt ad nos de Episcopatu vestro quærentes utrum Clerici regulariter viventes Parochias regere possint, & animarum habere custodiam? Quibus hoc respondi, quia in primitiva Ecclesia nullus constitutus est rector animarum, nisi de communi vita assumptus, quia nemo rectiùs custos præponitur vitæ alienæ, quàm qui prius custos est factus suæ; quod nullo in loco meliùs probatur quàm inter eos in quibus regularis vita vigere videtur, quibus tantùm displicet aliena malitia, quantùm prius displicuit sua. His rationibus freti constanter asserimus non esse audiendos, qui Clericos regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia seculo renuntiarunt, sed ideo potiùs assumendos ad hoc munus, quia voluptates & pompas seculi contempsere.* His rationibus moti, ubique terrarum Episcopi, Ecclesias Parochiales Canonicis Regularibus regendas dedere innumeras; quibus utinam Ivonianis pares modò præficiant, qui ejusmodi Ecclesiis Parochos nominare ex officio tenentur, adeoque mereantur illud elogium, Canonici ordinis nostræ ætatis reformatores, quo noster Ivo & sui alumni donati sunt ab Urbano II. in diplomate

mate anni 1093. dato Anagniæ. *Decernimus*, inquit, *ne cuiquam omnino liceat vestri statum ordinis immutare, cujus tantùm in tot terrarum partibus fructus exuberat, ut plures Ecclesiæ vestri saporis dulcedine condiantur.*

CAPUT XXXII.

An Ivo primus omnium sit, qui in Gallia vel in tota Ecclesia, Canonicos sub Regula Augustini vel instituit, vel nominavit?

PRæcipuum & primarium Canonicorum D. Augustini parentem & auctorem Ivonem Episcopum Carnotensem ariolati sunt quidam ex Ordine sancti Benedicti Monachi; quibus impræsentiarum tantùm oppono Gervasium Archiepiscopum Rhemensem, superare Ivonem in institutione eorumdem Canonicorum apud Ecclesiam sancti Dionysii Rhemensis. Id præter alia, quæ peti possunt in eam rem ex fastis sancti Dionysii & sancti Remigii Rhemensis, colligo invictè ex diplomate Gervasii apud eamdem sancti Dionysii Ecclesiam asservato, ubi his oculis legi quæ sequuntur. *Notum volo præsentibus, non ignotum posteris, quod ego Gervasius hujus sanctæ sedis Antistes Rhemorum, post aliarum restaurationem Ecclesiarum, quæ tam vetustate quàm negligentiâ destructæ atque desertæ ab antiquis apparebant temporibus, beati Dionysii quæ jam penè annulata fuerat Ecclesiam renovare ap-*

posui, quam olim celeberrimè dotatam ingruente malitiâ ad summam devenisse paupertatem frequenter transeundo miseratus condolui, adhibitâque tandem vigilantiâ, restaurationis opus, operosiore structurâ Dei præsente gratiâ, adimplere non distuli; & quia ad mensam Canonicorum Dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis pertinebat, ab ipsis filiis meis etiam sub censu sex solidorum omnium voluntate accepi perpetuâ libertate donandam. Dictâ itaque Ecclesiâ meo sumptu & labore ad integrum restitutâ, cum diversis ædificiis ad necessitatem fratrum accommodatis, CANONICOS *ibidem ad laudem & honorem Dei constitui, beati Augustini Regulam Ordinemque profitentes, quorum usui hanc bonorum meorum partem designavi, eisque possidendam jure perpetuo contradidi. &c.* Et in fine. *Actum Rhemis anno Incarnationis* 1067. *Indictione* 7. *regnante Philippo Rege anno* 7. *Episcopatûs mei anno* 10. apponitur sigillum Archiepiscopi sub figura B. Mariæ in cera, & Odalricus Cancellarius subscripsit. Jam conferamus annum 1067. quo sub Regula & Ordine D. Augustini Canonicos instituit Gervasius, cum eo anno, quo ipsos instaurare cœpit Ivo, inveniemus ipsos ab Gervasio institutos, antequam de ipsis etiam cogitare posset Ivo. Nam Auctore Sigeberto, anno 1067. Guido fundator Ecclesiæ Sancti Quintini Belvacensis, constituitur Bellovaci Episcopus, & statim inauguratus eam Ecclesiam ædificari curavit, quæ biennio pòst solemniter dedicatur; idipsum illius Ecclesiæ diptyca referunt. Tunc igitur, id est post annum 1069. cogitatum fuit de præficiendo illi Ecclesiæ Ivone,

qui Canonicos aggregaret, donaretque Regulâ & institutione Augustini. Quod sanè posterius fuit institutione Gervasii apud sanctum Dionysium Rhemensem, cùm ibi se anno 1067. dicat *constituisse Canonicos Regulam Ordinemque D. Augustini sectantes ac profitentes*; qui quidem Ordo cum supponatur jam fuisse, palam est, Canonicos D. Augustini non primùm manasse ab Ivone; sed nec ab Gervasio, quem tamen in instauratione Canonicorum Regularium antiquiorem Ivone observare libuit: maximè cum ex Chronico sancti Remigii colligatur, Gervasium in Ecclesia sancti Nicasii Congregationem Regularium Clericorum collocasse, quos postea commutatione factâ in Ecclesiam sancti Dionysii transtulit anno 1056. qui annus 1056. superat annum 1069. quo colligendis Canonicis Regularibus vix operam navare poterat Ivo in Ecclesia Sancti Quintini Belvacensis. Porro ad laudem & memoriam illius Antistitis Gervasii notare convenit tanti nominis fuisse hanc Congregationem Canonicam sancti Dionysii ab ipso instauratam, ut etiam ad alias pullularit Ecclesias. Legitur enim apud Buzelinum, in Historia Gallo-flandrica, & Cornelium Bartholomæi Canonicum Ecchoutanum ad Brugas, in libro cui titulus, *Pondus Sanctuarii*, diploma Celestini III. qui juxta Onuphrium obiit anno 1198. directum Cysoniensis Ecclesiæ Canonicis in Diœcesi Tornacensi, ubi sic eos alloquitur. *Imprimis si quidem statuentes ut Ordo Canonicus qui in Ecclesia vestra per beatæ memoriæ Rainaldum quondam Rhemensem Archiepiscopum, secundum Regulam sancti Augustini, ad institutionem fratrum Ecclesiæ beati Dio-*

nysii Rhemensis, institutus esse dignoscitur; perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Qui quidem Cysonienses Canonici postea Congregationi Aroasiensi nomen dedere, deinde Castrinantoniensi in Diœcesi Senonensi; mox (ut audio) uniendi Congregationi Canonicorum Regularium Gallicanæ; cui modo subsunt, & San-Dionysiani & Castrinantonienses supradicti.

CAPUT XXXIII.

D. Thomas Canonici Ordinis professor asseritur.

LIbuit hîc paulisper digredi velitatione quadam de sancti Thomæ Canonicatu Regulari contra eos qui Monachorum Ordini adscribunt, idque pro singulari animi propensione & devotione quâ erga ipsum Divum semper affectus sum. Illum Canonicis Regularibus accensent, Joannes Trullus, Alphonsus Ciaconius, Spondanus, Gabriel Pennotus, Renatus Benedictus Andinus, Matthæus Parisius, Polydorus Virgilius, Baleus, Pius V. summus Pontifex in Bulla de sanctis Canonicis apud Laërtii Cherubini Bullarium num. 115. anno 1570. edita. Sed expressioribus verbis Joannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis & Eduardus apud Surium, ambo quondam sancti Thomæ Clerici & Convictores.

Monachis verò adscribunt Baronius, & Hugo Menardus in suo Martyrologio Monastico. Ille quidem incautè pro more, omnes Regulares

etiam Clericos sub nomine *Monachi* comprehendens; hic verò suorum Commonachorum indolem geniumque sequutus Divo Benedicto, quasi non satis fœcundo, alienos fœtus adscribens.

Igitur ad nostrum intentum probandum, sit hæc thesis *D. Thomas Clericis Canonicis simul & Monachis præfuit in Ecclesia Cantuariensi; & priorum institutum, non verò posteriorum fuit amplexus.*

Ad primæ partis probationem, quæ erroris ansa & occasio fuit, cur alii Clericum, alii verò Monachum Divum Thomam scripserint, & simul enucleandam vitæ, professionis, exilii & passionis ejus præclaram Historiam à plerisque variè scriptam; sciendum est ex more antiquo apud non paucas Ecclesias simul degisse Canonicos & Monachos; cujus insigne testimonium habes ex antiquo Auctore Adamo apud Baronium anno 1013. num. 8. tom. 11. depromptum, qui de sancto Unuano Archiepiscopo Hamaburgensi scribit, *ipsum fuisse primum omnium, qui Congregationes ad Canonicam Regulam traxit; quæ ante quidem mixtâ ex Canonicis & Monachis conversatione degebant.* Sic de hoc Albertus Crantzius lib. 4. cap. 30. *Unuanus Ecclesiam fecit novam simul ex Congregationibus suis quæ virorum essent, tres eligens fratres ut simul duodecim fierent qui in Hamaburgo Canonicâ degerent conversatione.* Et cap. 1. *Unuanus successit Libentio, iste Archiepiscopus primus omnium Congregationes apud Ecclesias Cathedrales aliasque ad Canonicam traxit Regulam, quæ antea quidem mixtâ ex Monachis & Canonicis utraque conversatione turbatâ de-*

gebat, *non vigebat*. Id ſpeciatim docet de Eccleſia Cantuarienſi Alexander III. ſicut habetur in capite *Perlatam de Prabendis*. Succinit Platina tradens beatum Gregorium inſtituiſſe, ut Eccleſiæ Divi Petri ſimul inſervirent Canonici & Monachi. Quod etiam jubente eodem ſancto Pontifice, factitavit Divus Auguſtinus, primus Cantuarienſis Epiſcopus, in ſua Eccleſia Cantuarienſi, de qua loquimur; coaluerat enim ab initio ex Clericis & Monachis, quos ſecum ad excolendam illam vineam quaſi novos colonos adduxerat, pro quo videndum caput *Quia tua fraternitas*, 12. quæſt. 1. & ejus vita à variis deſcripta. Quam communionem Clericorum & Monachorum in eadem Cantuarienſi Ecclèſia ſanè perſeveraſſe ſub D. Thoma, probatur ex toto penè contextu vitæ D. Thomæ, tam ab Eduardo ejus Clerico & convictore ac paſſionum ſocio conſcriptâ, quàm ex variis ſynchronis ſcriptoribus. Eduardus quidem in hæc verba licet prolixè id probat apud Surium. *Revertuntur illi loricati, accinctique gladiis & ſecuribus, armati ferro & magnâ vi ſibi aditum parant, quo horribili ſtrepitu Clerici penè omnes territi fugerunt, hortantibus illis qui remanſerant, ut vir ſanctus in Eccleſiam ſe conferret, quod planè recuſavit. Inſtabant verò Monachi & aiebant, indecorum eſſe à veſpertinis laudibus, quæ tum celebrabantur, ipſum abeſſe. Ille verò non ceſſit, veritus ſe privatum iri optatâ Martyrii coronâ, ſi in templum eſſet ingreſſus, cujus reverentiâ arceri poſſent à tanto ſcelere parricidæ illi; Monachi verò valde invitum aſportarunt eum in Eccleſiam.* Et poſt pauca. *Nefandus vir*

coronam capitis ejus tantâ vi amputavit, ut pariter secaret & praecideret brachium isthac referentis (Eduardi scilicet) *qui solus cunctis & Monachis & Clericis prae metu fugientibus, sancto Martyri constanter inhaesit, & inter ulnas eum continuit, donec altera earum amputata est.*

Rogerus de Hoveden laudatissimus Scriptor, relatus in libro, cui titulus, *Rerum Anglicarum scriptores post Bedam praecipui, ex vetustissimo M. S. Francofurti Typis Vvechelianis anno* 1601. habet alia unde probemus Clericos & Monachos convixisse Divo Thomae in eadem Ecclesia: inducit enim sanctum Thomam interneccioni suae proximum sic loquentem. *Si caput meum quaeritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei, & sub anathemate, ne cuiquam alii, sive Monacho, sive Clerico, sive laïco majori vel minori noceatis, sed sint à poena immunes, sicut fuerunt à causa: in quo Christum exprimebat in passione dicentem, Si me quaeritis, sinite hos abire.* Et postea. *Cumque unus ex eis manum extendens, vibraret gladium in caput Archiepiscopi, brachium cujusdam Clerici qui dicebatur Eaduvardus Grimferus abscidit:* (hic est de quo ante) *extenderat enim idem Clericus brachium super caput patris, ut ferientis elideret ictum; Monachi verò detulerunt Martyrem suum.*

Idem Rogerus in sua Historia inserit Epistolam Alexandri Papae ad Rogerum Eboracensem Archiepiscopum, in qua idem Pontifex luget *miserandam proscriptionem Clericorum Thomae Cantuariensis.*

Idem ibidem etiam notat, quod *sanctus Thomas quotidie ante lucem suscitabat Clericos suos à somno ad cantandum matutinas horas.* Denique memorat quemdam *Robertum Canonicum cum alio, nomine Brun, custodes fuisse ciliciorum S. Thomæ, quæ & lavabant, & juraverant secretum ipsius austerioris vitæ.*

Ex quibus patet perspicuè prima pars assertionis, scilicet Divum Thomam Clericis Canonicis, & Monachis simul in sua Cantuariensi Ecclesia præfuisse.

Secunda verò pars probatur, Divum Thomam fuisse amplexum institutum Canonicorum Regularium, non verò Monasticum.

Eduardus suprà laudatissimus, & S. Thomæ amicissimus, sic de eo scribit apud Surium, *Consecratus est, & in sede collocatus, etsi non statim habitum, at animum ex toto mutavit; quidam autem ex domesticis ejus retulit illi, adstitisse sibi quemdam vultu terribilem & dicentem, Vade, dic Cancellario, (Archiepiscopum enim præ indignatione dicere noluit,) ut sine cunctatione mutet habitum, alioqui ipsum perpetuò habiturus adversarium. Quod audiens vir venerabilis amarissimè lacrymatus est, & amplexus est habitum & institutum eorum quos vocant Canonicos Regulares, & tum muneri Archiepiscopi, tum illi instituto perfectè satisfecit, cum ægrè quisquam possit alterutrum, ita ut par est exequi.*

Vides Divum Thomam nominari Canonicum, & Canonici Ordinis habitu insignitum, idque ab Auctore irrefragabili, quique, ut constat ex antedictis, Clericos à Monachis in eadem Ec-

clesia Cantuariensi apprimè distinguere noverat; unde anilibus fabulamentis referendum quod aiunt quidam Benedictini Ordinis post celebrem apud ipsos Yepen, per Canonicos Regulares sæpius intelligi debere Monachos Cathedrales. Nam primò palam est simul Monachos, & Canonicos Clericos, illam Cantuariensem Ecclesiam incoluisse ex supradictis; quî igitur ibi non censebuntur Canonici Regulares, quàm qui distinguntur à Monachis? Secundò nusquam jura, Concilia, & Pontifices, Monachos Canonicorum nomine indigitarunt, imo toto cœlo discreverunt. Tertiò, quod talia garrientes jugulat, oppono Monachis Monachum insignem Ordericum Vitalem qui lib. 12. Eccles. Historiæ, sub anno 1120. pag. 873. apprimè distinguit Canonicos Regulares à Monachis Ecclesiæ ipsiusmet Cantuariensis, dum scribit quemdam Canonicum Regularem invitis Monachis ibidem præfectum his verbis. *Anno ab Incarnatione Domini* 1123. *Indict.* 1. *Radulphus Archiepiscopus* 13. *Cal. Nov. Cantuariæ obiit, cui Guillelmus Canonicus Regularis successit, pro invidia quâ Clerici contra Monachos urebantur, quos ut conculcent, Clericos extollunt.* Ex quibus sanè verbis nemo inficias ibit, Eduardum supra adscripsisse S. Thomam Canonicis Regularibus, prout à Monachis contradistinguntur.

Nec obest quod ait Baronius ad annum 1162. *Divum Thomam induisse habitum Monasticum, mox factum Archiepiscopum, ea de causa, quod experimentis multis declaratum esset, eos, qui n r Monachi, Cathedram illam ascendissent à Deo malè multatos esse.* Monuimus enim jam su-

prà, Baronio familiare esse, quamcumque personam Regularem, etsi foret ex Clericis, sub Monachis comprehendere. Deinde quod Baronius non potuerit intelligere de vero Monachatu & cucullo Monastico, præter Eduardi superiorem auctoritatem; invincibile argumentum profero ex Petro Blesensi, quod & Baronii sententiam destrueret, & nostrum intentum mirè probat.

Petrus Blesensis igitur Epist. 14. ad familiares D. Thomæ sic ait inter alia. *Porro dominus Cantuariensis, qui sicut mihi videtur jam aggressus est arctioris & altioris vitæ propositum, non spiritum hujus mundi accepit, sed spiritum qui ex Deo est.* Quod explicans Joannes Busæus qui opera Blesensis recensuit, in Notis ad hanc Epistolam sic ait. *Loquitur Petrus Blesensis de sancto Thoma Cantuariensi, qui, ut refert Polydorus lib. 13. Anglic. Hist. exilio multatus ab Henrico Rege Angliæ in Galliam se contulit, causâque suâ expositâ apud summum Pontificem Senone agentem, sponte se dignitate Archiepiscopali abdicavit, quam tamen S. Pontifex mox ultrò ei restituit: ad Pontiniacense deinde Cœnobium Ordinis Cistercienfis profectus, accepto à Papa novo vestitu Monasticam vitam degere instituit.* Quod si tunc tantùm, ut perbellè notat Blesensis, ideft exul in Gallia S. Thomas, idque post multos annos ab evectione ad Archiepiscopatum, *arctius & altius vitæ propositum* amplexus est, ideft Monasticum apud Pontiniacenses; non igitur, ut volunt adversarii, mox factus Archiepiscopus, Monachum professus est & Monasticum habitum suscepit. Non enim quadrarent verba Blesensis, nec

altius arctiusque propositum ipsum arripuisse diceret, si is quem de vultu & conversatione noverat, prius Monachus extitisset. Quid autem de Monastica conversatione sancti Thomæ & investitione Monasticâ apud Pontiniacum sentiendum sit, dicemus postea, ubi probabimus temporaneam fuisse, ac cum valedixit Pontiniacensibus, priores vestes exteriores & Clericales resumpsisse.

Accedit Polydorus Virgilius, qui Historiæ Anglic lib. 13. sub anno 1178. loquens de Monasterio S. Crucis Valatinæ in Episcopatu Londinensi, sic ait. *Cum Henricus II. Rex de nece S. Thomæ Cantuariensis diffamatus, in expiationem propriæ famæ, & sancti Martyris honorem, de fundando Monasterio in honorem ipsius Martyris cogitasset, ac etiam votum fecisset, volens parcere propriis sumptibus, exactis Clericis secularibus, in eo Canonicos Regulares statuit, ratus sancto Martyri pergratum futurum, si illius habitum honestasset.* Igitur S. Thomas pertinebat ad Canonicos Regulares, & eorum habitum gerebat. Et quod lucem adhuc Polydoro afferre potest, monendus est lector, extare in Galliis Monasterium non ignobile S. Joannis Melinensis ad Flexiam, conditum expensis ejusdem Henrici Regis in eandem expiationem cædis S. Thomæ, ubi honorando similiter habitui S. Thomæ, Canonicos Regulares idem Rex collocavit, qui ad hæc usque tempora ibidem perseverant, nuperque per Canonicos Genovefæos refloruêre.

Sed omnes facilè superat in asserenda professione Clericali D. Thomæ, Joannes Sarisberien-

sis ejusdem Sancti Clericus, Discipulus, & individuus exilii comes, ac tandem Carnotensis Episcopus Epist. 186. ad Dominum Exoniensem, in *B. PP.* ubi sic invehitur in persecutores sancti Thomæ. *Quid enim* (ait) *nunc aliud in Cantuariensi Archiepiscopo persequuntur, nisi quia in conspectu Regum ausus est Dei justitiam protestari, tueri legem, Ecclesiæ libertatem? Certè dum magnificus erat nugator in Curia, dum legis contemptor videbatur & Cleri, dum scurriles cum potentioribus sectabatur ineptias, magnus habebatur, clarus erat, & acceptus omnibus & solus dignissimus summo Pontificio, ab universis clamabatur & singulis; sed ex quo in Pontificem sublimatus, suæ memor conditionis, & professionis, exprimere voluit Sacerdotem, factus est eis inimicus vera dicens. Qui ergo persequuntur in hac causa Cantuariensem Archiepiscopum, non hoc persequuntur quod* THOMAS EST, QUOD NATIONE LONDONIENSIS, CLERICUS PROFESSIONE, GRADU SACERDOS, EPISCOPUS DIGNITATE, *sed quod annuntiat populo Dei scelera eorum.* Hem ubi hîc Monachismus? ubi cucullus? tantamne dignitatem oblitus fuisset Joannes Sarisberiensis, nonne ubi ait, *Clericus professione, gradu sacerdos*, dicendum erat, *Monachus professione, gradu sacerdos.*

Clericatum etiam Divi Thomæ probat Clericorum comitatus qui eum in exilio sequuti sunt; similitudo enim amorem in Clericis, erga Clericum pariebat, amor verò Clericorum, socios ejus passionis eos faciebat. Nullus autem Monachorum, quod legam, eum sequutus est exulem;

imo nullus exuli & coëxulibus Clericis ullum præstitit obsequium. Audiatur in eam rem idem Joannes Sarisberiensis Epist. 227. ad Monachos Cantuarienses; *Aliquos de numero vestrûm pro fraternæ charitatis exterminio, ut salubriter confundantur, crediderim arguendos. Evolvat unusquisque & relegat propriæ conscientiæ librum, & plenè deprehendet quid à perdita sibi provenerit charitate. Sed fortasse dices, tu quis es ut Religiosos arguas, viros præsertim in Ecclesiarum Britanniæ cardine constitutos, aut nos quid commisimus, unde charitatem probes extinctam? Ego quidem pro me respondeo quod præmisi, quia proscriptorum Christi minimus sum, & quod ex conscientia loquor, quem zelus Domini jam multo tempore fecit exulare proscriptum. Audite ergo & vos animo patienti quam ego reputem culpam vestram, quod dispendium charitatis; quod quæso ubi apparuerit, nolite vanis verborum foliis adumbrare; sex anni ferè evoluti sunt ex quo pro justitia exulat proscriptus pater vester, multis & magnis arctatus angustiis, & quid ei vel coëxulantibus sibi tanto tempore impenderitis. Ubi interim quæso charitas? ubi amor? ubi affectio filialis? hoc indubitanter dixerim, Christum nunquam puniturum, nec homines culpaturos, si aliquid subtraxissetis necessitati vestræ, nedum deliciis, quod posset Christi pauperibus & pro justitia & libertate Ecclesiæ exulantibus erogari; nisi forte quispiam credat, Deum in extremo examine glorificaturum illos qui duplicibus induti sunt, & epulantur quotidie splendidè. Utinam pietatem vestram sal-*

tem voluisse sublevare, cujuscunque operis testimonio, convincere aliquis potuisset. Hæc ille.

At verò Clerici ipsum in vita & morte sequuti, suum verè fuisse demonstrarunt. *Eduardus ille*, qui, fugientibus Monachis, brachium amisit, pro eo mori paratus; Joannes Sarisberiensis exul cum eo sex annis & amplius, quem Trithemius Monachus, vocat D. Thomæ Clericum ac discipulum; *Robertus ille*, de quo supra, custos ciliciorum S. Thomæ, qui nominatur à Rogero de Hoveden, Canonicus D. Thomæ. *Reginaldus* ex Clerico D. Thomæ Bathoniensis Episcopus, qui cum in offensionem ejusdem exulantis incidisset, eum ad satisfactionem & reconciliationem paratum, cupit Petrus Blesensis in amicitiam & per eam in societatem persecutionis restitui, his verbis Epist. 24. ad familiares Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis. *Hoc precipuè desiderat ut pro eo* (ideſt Thoma) *& cum eo laborem & dolorem inveniat. Nuper legebamus in libro Regum, & occurrit nobis verbum illud Ethai Gethai ad David egredientem nudis pedibus de Jerusalem à facie Absalon & dicentem, quod ille reverteretur, illeque respondit, vivit Dominus, quia non derelinquam te neque in vita neque in morte. Suspirans ergo Reginaldus, sic faciat, inquit, Dominus mihi, & hac addat, antequam moriar, ut sic possim Domino Cantuariensi, & ex corde hoc dicere & opere adimplere. Suggerite quæso Domino Archiepiscopo ne Clericum suum* (nondum enim erat Episcopus) *verbis provocet, aut minis exasperet.* Mitto alios Clericos, ne prolixior sim, eodem amore sanctum Thomam depereuntes. De Mo-

nachis verò, *ne my quidem* invenitur.

Nec obest quod Stephanus Cantuariensis in Quadrilogio, & Nicolaus Harpesfeldus, citati ab Hugone Menardo Monacho Congregationis sancti Mauri in Martyrologio, scribant, D. Thomam *triplici veste, triplicem personam gessisse; exteriori Clericum, interiori Monachum per stamineam, & intimâ Eremitam, per cilicium; quam stamineam & cilicium aiunt honestate vestium Clericalium oculis hominum exemisse, & paucis consciis, ac (ut ait Rogerus de Hoveden) jurato secreto, detulisse.* Nam de veste exteriori tantùm agimus, & præcipuâ professione Divi Thomæ, quæ si in eo fuisset Monastica, sanè ejus schema non occultasset, nec paucis consciis & præstito secreti juramento gestasset; etenim Monachis ad Episcopatum evectis sacris Canonibus (quorum peritissimus erat sanctus Thomas) cavetur ne deserant exteriorem cucullum. Quinimo, teste eodem Rogero de Hoveden, *vestes exteriores Divi Thomæ erant nitidæ & satis pretiosæ.* At sancti in cilicio & veste Monastica nitorem fugêre. Et nos vidimus ejusdem Divi rochettum lineum, quod servatur in nostra Canonica sancti Lupi Trecensis; at Ceremonialia prohibent usum rochetti Episcopis Monachis, etiam inter sacra, in quibus superpelliceo, ad modum Clericorum inferiorum, uti ipsis licet.

Si ergo gestabat aliquod schema Monasticum, tam secretè, ut (juxta citatos apud Menardum Auctores) post ejus mortem tantùm agnitum fuerit, postquam scilicet sepeliendus exutus fuit exterioribus vestibus Clericalibus, dicendum est illud schema gestasse, in memoriam illius, vel

illud ipſum eſſe, quod acceptum à ſummo Pontifice, Pontiniaci, ut ſe Monachis conformaret, pro tempore geſtaverat; ad eum modum, quo plures noſtrâ ætate, Scapularia Carmelitarum, & cingula Franciſcanorum, occultè gerunt, rati ſe hoc cultu, licet occulto, eorum gratiis & privilegiis participatum iri.

Habemus igitur Divum Thomam, Clericum, cum Clericis viventem, cum Clericis exulem, Clericalibus indumentis exteriùs indutum Eduardi, Joannis Sariſberienſis, Polydori, & Petri Bleſenſis teſtimoniis planè luculentiſſimis. Regularem verò, teſtimoniis ejuſdem Eduardi in ejus vita, & Polydori.

CAPUT XXXIV.

An Canonici noſtri temporis, qui D. Auguſtini dicuntur, cenſeri debeant ab eo inſtituti, & ejus veri ac legitimi filii, an alterius?

NEmo ſanus ipſos Auguſtini legitimos filios eſſe negarit, præter quoſdam ex Ordine ſancti Benedicti, qui eos nuperos eſſe affirmare & ſcribere auſi ſunt. Id ſomniavit primùm viſionibus propheticis aſſuetus, Abbas Joachimus. Id etiam garrivit panoletriâ ſuarum calamitatum à ſe ſcriptâ celebris Petrus Abaëlardus, ex eodem Ordine ſancti Benedicti, in cujus caſtris fatali quadam neceſſitate potius adactus, quàm voluntate militaturus, nomen dederat. Sed nullus acrior

in

in propugnando hoc delirio prodiit Aristarchus, quã tertius ejusdem Ordinis Monachus & Abbas Cajetanus, quem tam vesano & impotenti amore erga suum Ordinem desipuisse scribit gravis Auctor Leo Allatius Romanus, ut tanquam ictero laboraret, quæcunque suis se sistebant oculis Benedictina viderentur. Pravum tandem dogma afflaverunt nupero *Roberti Pulli* Scholiasti, qui propterea in suis Notis me *Clericum Ivonianum* vocat, volens me meosque qui Augustini Canonici nominamur & sumus, ab ipso non esse institutos, sed ab Ivone Episcopo Carnotensi, de quo suprà disseruimus. Sed locuteleios istos ac scholiastem *Pulli* cum pullis Commonachis silere jubet ratio & auctoritas. Ratio quidem, quâ Cajetani argumentum revincitur, quod in opella librorum Damiani officulis appositâ proposuit, nempe, *quod toto illo interstitio, quod fuit inter Augustinum & Ivonem Carnotensem primo post millesimum sæculo, nusquam unquam inveniantur Canonici Regulares Divi Augustini.* Ex quo concludit, ipsos esse post Ivonem, aut ab ipsomet Ivone institutos. Sed fallitur & fallit Cajetanus; cùm superiori capite Epocham notaverimus, quâ Clerici, *nomine Canonicorum Regularium, sub Regula & Ordine sancti Augustini, donati sunt* à Gervasio Archiepiscopo Rhemensi in autentico eorum institutionis instrumento apud sanctum Dionysium Rhemensem; antequam de ipsis vel instituendis vel instaurandis cogitare potuisset Ivo in Ecclesia sancti Quintini Belvacensis. Quod ne tædiosè repetam, huc mitto lectorem.

Deinde pro investiganda Canonicorum Regu-

larium Divi Augustini, vel novitate vel antiquitate, quæstio est, aut de re, aut de nomine; si de re agatur, certò certius est Augustinum instituisse Clericos vitam perfectè communem & in communi ducentes; & id est quod vocatur vita Canonica, à qua Clerici *Canonici* dicti sunt, ut toto nostro priore libro ostendimus. Nunc verò quærere in antiquitate reduplicationem, *Canonici Regularis*, ridiculum; invectam enim esse ad distinctionem eorum Canonicorum, qui à vita libera *seculares* dicuntur; cum iis qui vitam communem antiquorum Canonicorum retinuerunt, etiam nitidè demonstravimus eodem hoc libro. Præterea Canonici Divi Augustini emittebant vota, maximè illud expropriationis, de qua amplè suprà disseruimus; ac etiam nostræ ætatis Canonici Regulares vota eadem emittunt. Nec refert nostra esse solemnia, illa verò fuisse tantùm simplicia; nam præter quod nil differunt votum simplex à solemni in vinculi ratione, & æquè sacrilegus censetur, qui simplex, ac solemne violat; si solemnitas inducta in voto essentiam mutaret Religionis, nec Patres Benedictini iidem essent, cum illis à sancto Patriarcha Benedicto institutis, cum eodem tempore, & pro omnibus Ordinibus simul, eadem solemnitas in votis præscripta sit. Postremò Clerici Divi Augustini ministeriis divinis ac curæ animarum intendebant: sic etiam Canonici Regulares sunt in toto ferè orbe Christiano Curiones. Denique Clerici Divi Augustini pro cultu gestabant birros & lineas tunicas exteriores; at eumdem habitum deferunt & nostrates. Si igitur res & essentia utrorumque attendatur, perfecta inter eos identitas invenietur, ex qua cen-

ſebuntur veri Auguſtini filii, qui ejus modo nominis dicuntur *Canonici Regulares.*

Nunc verò ſi de nomine agatur, quæraturque cum Cajetano, cur non nominentur in antiquis monumentis *Canonici Regulares Divi Auguſtini?* Pro quo obſervare convenit, quod Poſſidius vitæ Auguſtini indubitatæ fidei Auctor, narrat cap. 11. *Auguſtini inſtitutionem non ſolùm per Africanas partes, ſed etiam tranſmarinas oras fuiſſe propagatam.* At tam uberes habens inſtitutio natales, ſtatim abortivorum inſtar non interiit, longè latéque propagines ſuas extendens tam virens planta non citò aruit, imò duraſſe hanc & perſeveraſſe per Gelaſium ſummum Pontificem, qui eam Romæ ex Africa tranſplantaverat, & per alios variis locis, extra controverſiam eſt. Nonne igitur illi Clerici, Auguſtiniani erant? maximè, reſpondebit Adverſarius; ſed inquiet, cur tales non dicebantur? Ratio in promptu eſt, quia hi Clerici quos rogatum Auguſtinum variis Eccleſiis dediſſe, narrat Poſſidius, inſtitutionem quidem ejus ſecum ferebant, non autem nomen aut appellationem; id enim tantùm moris fuit in temporibus poſteris, in quibus fratres Mendicantes & alii Monachi exorti, nomine ſuorum inſtitutorum appellati ſunt. Quod antiquitùs & tempore Auguſtini, maximè in Clericis non paſſi fuiſſent Epiſcopi; nam inſolens erat Clericos ſub uno Epiſcopo viventes licet aliunde acceptos, alieno mittentis vel inſtituentis nomine vocitare; ſed vocabantur Clerus talis vel talis Eccleſiæ aut Epiſcopi. Et à pari quis dicat, Monachos à Divo Benedicto inſtitutos, ipſo vivente, vel ſtatim è vivis erepto, ſpatio etiam plurium annorum,

Benedictinos audiisse? qui tamen erant in rerum natura. Non igitur convincit ratio Cajetani, de appellatione Canonicorum Divi Augustini; quam non reperit multis annis post ipsum Augustinum, ut dicatur non fuisse ante Ivonem Canonicos Augustinianos; sicut nec convinceret, qui negaret Benedictinos Monachos fuisse ante Gregorium magnum; ex eo quod ex hypothesi, antea Benedictini non dicerentur, cum tamen nil obstaret ejusmodi Monachos vivente etiam Benedicto, Benedictinos audiisse; repugnaret verò in Canonicis & Clericis ab Augustino institutis qui ipso vivente nec postea ejus nomine debebant indigitari, cum id Episcopis & Prælatis, Clericos Augustini suæ Ecclesiæ, adsciscentibus, & cooptantibus dedecori fuisset. Illi ipsi sanè sunt Canonici Divi Augustini; qui toto interstitio inter ipsummet Augustinum & Ivonem Ecclesias varias incoluêre. Nam, amabo, qui sunt illi Canonici, quos Petrus Damiani in Epist. ad Clericos Fanenses dicit, *in Canonica Regularitate vivere.* Et quos Epist. ad Alexandrum, scribit *venisse in Ordinem Religionis, divitias sprevisse, Religionis ambiisse institutum, sanctitatis culmen ascendisse, Ordinem suum & institutum tenere*, & quibus in Regula retinendis nonnisi loquitur Augustinum scribentem ad Clericos? nisi Canonici reipsâ Regulares? eos enim conceptis verbis vocat ibidem *Clericos Regulares.* Et hæc ante Ivonem, & proinde ante tempora à Cajetano notata. Qui sunt etiam Canonici tam celebres apud Marcellinum in vita sancti Suviberti relata à Baronio ad annum 697. Quique vocantur ibi Cœnobitæ, nisi Canonici, alio nomine Re-

gulares ? & hoc 500. annis ante Ivonem ? Qui ſunt illi Abbates & Canonici ſub ipſis degentes, de quibus Concilia Vernenſe anni 755. ſub Pipino ad diem 5. Idus Julias, & Stephano Papa, ubi ſancitur, ne ullus Clericus ad judicia laïcorum conveniat, niſi per juſſionem Epiſcopi ſui vel Abbatis, Turonenſe anni 813. cap. 24. Aquiſgranenſe anni 816. paſſim, Pariſienſe anni 829. cap. 37. Eduenſe ſub ſancto Leodegario Can. 15. loquuntur, niſi quos vocamus modò Regulares? Qui cum ea ipſa ſectarentur inſtituta, quæ ſuis Clericis præſcripſerat Auguſtinus; quæque Regulares illius ſancti Patris modo obſervant, ſervato ſemper eodem cum Auguſtino & ejus Clericis cultu; quis non eos jure dicat & ſentiat Auguſtinianos; quibus cum noſtrates ſuccedant, quis amplius eos nuperos & Ivonianos appellet?

Quantum verò ad auctoritatem, quâ præter rationes allatas, diximus poſſe probari Canonicos Regulares Divi Auguſtini noſtri temporis, non eſſe Neotericos, Sanctus Pontifex Urbanus II. in celebri diplomate anni 1093. cujus Authenticum ſervatur apud ſanctum Quintinum Belvacenſem Canonicis Ivonis directo; non eos compellat, ut novam mundo curâ Ivonis exortam ſobolem, ſed ut ſucceſſores & imitatores vitæ Canonicæ antiquorum Patrum. *Omnipotenti Deo* (ait) *cui melior eſt miſericordia ſuper vitas, gratias agimus, quia vos eſtis qui ſanctorum Patrum vitam probabilem renovatis, & Apoſtolicæ inſtituta doctrinæ primordiis ſanctæ Eccleſiæ molita, ſed creſcente malitiâ jam penè deleta inſtinctu ſancti Spiritûs ſuſcitatis; hanc vitam quæ decaleſcente fervore fidelium jam penè omnino de-*

fluxit, Martyr & Pontifex Urbanus instituit, hanc Augustinus suis Regulis ordinavit, hanc Hieronymus suis Epistolis informavit. Illud illud est institutum antiquum quod amplexati sunt Ivoniani Canonici, ideoque non fuit aliquod inventum sub sole novum; illud, inquam, quod à SS. Patribus institutum nos Canonici sequimur & amplectimur, siq; solius Augustini nomen assuminius, id fit quia clariùs & nitidiùs cæteris Patribus vitam Canonicam suis præclaris sermonibus & institutionibus instauravit. Non igitur ad Ivonem respicimus ut Auctorem Canonici Ordinis quem profitemur; sed in restitutione & reformatione ferè collapsi SS. Patrum Canonici instituti, quasi redivivum Augustinum miramur ac suspicimus.

Eodem modo, iisdemque ferè verbis, idem Urbanus salutarat Canonicos nostros Regulares Divi Augustini, urbis & Ecclesiæ sancti Antonini Diœcesis Rutenensis, in diplomate, cujus copiam fecêre nostris San-Genovesianis, eos enim sub tutela & protectione S.R.E. susceptu-rum se dicit, *quousque vel qui ad præsens ibi Domino nostro famulantur Canonici, vel qui futuris ibidem temporibus sunt servituri, regulariter vivere, & communiter vivendo propriumque non habendo tam Apostolica, quàm beatorum Hieronymi & Augustini de conversatione communiter viventium Clericorum studuerint instituta servare.* Ecce qualis est Ordo Canonicorum Regularium Divi Augustini, à sanctis Patribus præsertimque Augustino institutus, unde & nomen præ cæteris obtinuit. Ex quo palàm est eos nil prorsus habere nasi, qui eum novum, vel ab Ivone primò genitum obgannivêre.

CAPUT XXXV.

De propagatione Ordinis Canonici per Cathedrales & Collegiales Ecclesias & varias Congregationes.

IMmensus planè essem, si describere vellem propagationem Canonici Ordinis sub Augustino, & ab illius ætate usque ad tempus Ivonis Carnotensis, qui præcipuus suâ tempestate illius Instaurator extitit, ac postremò usque ad nostra tempora. Id præstitit pro Augustini ætate Possidius *cap.* 11. *vita Augustini*, docens, ipsius institutionem, *non solùm per omnes Africanas partes, verum etiam in transmarinis fuisse propagatam.* Ab Augustino usque ad Ivonem Carnotensem, id est usque ad undecimum seculum; nil Concilia, nil Patres ubique frequentiùs clamant, nil antiquius in votis habuêre, quàm ut omnibus majoribus Ecclesiis vita Religiosa & Ordo Canonicus floreant, secundum Regulas sanctorum Patrum, quorum semper Augustinus antesignanus proponitur, cùm ipse omnibus Ecclesiæ Antistitibus & exemplo & legibus in genere vitæ verè Canonico præluxerit.

Ab Ivone Carnotensi, & paulò antiquiore Petro Damiani, tamquam à duplici tuba divinitùs personante, sopiti & somnolenti Canonici, mirum in modum expergefacti, tam præclaram Augustini & cæterorum Patrum observantiam cui obdormierant, rursus amplexati sunt, sic decer-

T iiij

nente circa annum 1059. Nicolao Papâ II. in Lateranensi Concilio centum & tredecim Episcoporum, *ut Clerici juxta Ecclesias quibus ordinati sunt, simul manducent & dormiant, & quidquid eis venit ab Ecclesiis communiter habeant, & ad Apostolicam communem scilicet vitam summopere pervenire studeant.* Et Alexandro II. in Concilio alio itidem Lateranensi centum & amplius Patrum, vetante, *ne Canonici in Congregatione viventes separatim comedant, dormiant, & propria seu peculiaria bona possideant.* Quod cùm pro Cathedralibus & Collegiatis Clericis, (ut refert Baronius ad annum 1063.) decretum fuisset ab his Pontificibus, curâ Petri Damiani; hanc institutionem Canonicam, quæ ipsissima & Augustini, certatim amplexatæ sunt omnes ferè Ecclesiæ Cathedrales & Collegiales, in quas reduces à Conciliis prædictis Episcopi eam ipsam invexêre, & sic per totam ferè Ecclesiam Ordo Canonicus sub Regula sanctorum Patrum, & deinceps sub solius Augustini institutione mirè propagatus est; quod inductione factâ per universas ferè Orbis Ecclesias summâ curâ & labore patefecit Gabriel Pennotus, toto penè volumine syllabum texendo ejusmodi Ecclesiarum Augustini institutum olim ac etiam nuperrimè tenentium, quarum 144. Patriarchales, Metropolitanas, & Episcopales numerat, Collegiatas ac Monasteria ferè mille, idque non levibus conjecturis, sed authenticis testimoniis petitis hinc inde ex tabulariis ejusmodi Ecclesiarum, Chronicis ac Historicis celebrioribus ac certioris & indubitatæ fidei. Nec fidem his denegabit, qui legerit Constitutiones Benedicti XII.

anni 1339. relatas in Bullario Laërtii Cherubini pro instauratione Ordinis Canonicorum Regularium Divi Augustini; hîc enim perspiciet, has edidisse summum Pontificem pro Cathedralibus Collegiatisque Ecclesiis ac Monasteriis ejusmodi institutum sequentibus, quas quidem Ecclesias, earumque ingentem numerum satis indicat, dum paragrapho 19. Provinciarum per totum ferè orbem Christianum respersarum, in quibus celebrari debeant Capitula, distinctionem ponit idem sanctus Pontifex Benedictus.

Sed & mirabitur, quomodo certatim Ecclesiæ majores in Gallia, institutum Canonicorum Regularium Divi Augustini amplexatæ sunt; qui sedulò evolverit libros DD. Sammarthanorum intitulatos *Gallia Christiana*. Cui labori qui parcere voluerit, & in tam varia quæ fieri posset inductione, compendio uti, observet unicum instrumentum ex eo libro depromptum, de Magalonensi Ecclesia folio 580. ex quo quasi ex ungue totum corpus Ordinis Canonici Augustiniani dignoscere possis in Gallia; idemque judicium ferre de cæteris ejusdem Regni partibus; quod & sigillatim observant, suis privatis in locis & Ecclesiis, iidem Auctores *Galliæ Christianæ*, ut legentibus ubique ferè obvium est.

Libet etiam hîc curioso lectori copiam facere antiquissimi instrumenti extracti è tabulario Cathedralis Apameensis, quod sic incipit; *In nomine Domini Amen. Anno Domini 1339. apud Narbonam in die B. Catharinæ fuit celebratum Capitulum Provinciale per RR. Magistros dominos Abbates de Fuxo, & de Quadraginta, & Religiosum virum dominum Robertum de*

Mandagoto Præpositum Uticensem, Commissarios à Sede Apostolica deputatos super publicatione Constitutionum Canonicalium, noviter editarum per Dominum nostrum summum Pontificem, præsentibus RR. in Christo PP. DD. Abbatibus sancti Saturnini Tholosæ, & sancti Jacobi de Biterris, venerabilibus & Religiosis dominis Galardo Præposito Tolosano, Raymundo de Canillaco Præposito Magalonensi, Priore de Cassiano, (Cassan.) *Discreto viro domino Joanne Richardi de Toleto, Priore sancti Castoris de Nemauso,* (Nismes,) *Procuratore domini de Nemauso. Religiosis dominis Guillermo Grotte Canonico & Infirmario sancti Nicolai, Procuratore sancti Nicolai de Aroasia.* (Aroise *in Diœcesi Attrebatensi.*) *Sequuntur multi Priores. Deinde. N. Archipresbytero Minori Carcassonæ nomine domini Episcopi & Capituli Carcassonensis, Hugone de Perdelhamo Præposito sancti Justini & Canonico in Ecclesia Auxitana, Procuratore ejusdem Ecclesiæ & Capituli. Raymundo Arnaldi de Fagis Canonico & Præcentore in Ecclesia Tarbiensi; Arnaldo Gaulin Canonico Regulari & Cathedrali sanctæ Mariæ Lascariensis, & Bernardo Sayceti Canonico & Operario Apamearum,* (Pamiers) *per quos arbitrando data fuit potestas venerandis viris dominis Præposito de Auxio, Priori de Cassiano, Bernardo de Nemauso Archipresbytero minori de Carcassonis, Bernardo Sayceti Canonico & Operario Apamearum, eligendi quatuor personas idoneas, quæ dicto Capitulo præsiderent; qui quidem domini Arbitri elegerunt in Præsidentes Reverendum Patrem*

Abbatem de Fuxo, & DD. Præpositos Tholosanæ & Magalonensis & Uticensis prædictos. Præfati domini Commissarii post hæc à Sede Apostolica, ut prædicitur, deputati exhibuerunt in prædicto Capitulo quasdam litteras Apostolicas cum filis de serico more Romanæ Curiæ bullatas, non vitiatas, nec cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni vitio & suspicione carentes, Constitutiones & statuta continentes per sanctissimum in Christo Patrem & D. D. Benedictum Dei providentiâ Papam XII. editas pro salute & prosperitate & reformatione Ordinis seu Religionis Canonicorum Regularium sancti Augustini in 26. foliis. Item exhibuerunt prædicti domini Commissarii quasdam litteras Apostolicas cum filo de canapis more Romanæ Curiæ bullatas, commissionem eis factam per D. D. Papam continentes, quarum quidem litterarum Apostolicarum dictæ commissionis, & tenor de verbo ad verbum sequitur in hunc modum. Benedictus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbatibus de Fuxo & de Quadraginta ac Præpositis Apamearum, Biterrensium, & Uticensium salutem & Apostolicam benedictionem. Paterna considerationis aciem ad salubrem statum Ordinis & Religionis Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini attentiùs dirigentes, pro salute & prosperitate ipsorum, præhabitâ maturâ deliberatione, nonnulla statuta edidimus, & ordinari fecimus, quæ volumus & mandamus in eodem ordine perpetuis futuris temporibus observari. Et quia in eisdem statutis inter alia duximus statuendum, quod in Ordine præfato

in singulis Provinciis per nos designatis, fiat de quadriennio in quadriennium Provinciale Capitulum Abbatum ac Priorum & etiam Præpositorum Ecclesiarum Cathedralium Ordinis ejusdem, apud unum de Monasteriis ejusdem Ordinis ad hoc aptum. Vos de quorum circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam habemus, ad exequenda præmissa & alia infrascripta in Narbonensi, Tholosana & Auxitana Provinciis, quas quoad celebrandum nunc & imposterum ejusmodi Provinciale Capitulum primam volumus & statuimus reputari Provinciam, tenore præsentium deputantes, discretioni vestræ Auctoritate Apostolicâ committimus & districtiùs injungimus, ut pro celebrando primâ vice Capitulo in dicta Provincia, aliquod Monasterium, ejusdem Ordinis ad hoc aptum, & diem etiam ad hoc congruum eligentes, Abbates & Priores ad hujusmodi Capitulum convocare curetis, diem & locum prædictos eis intimantes, & per quem in ipso primo Capitulo Missa solemniter celebrari, sermoque conveniens ad locum & diem fieri debeat, providè ordinando; eoque Capitulo congregato faciatis aliquas personas idoneas eligi, qui dicto Capitulo proximo præsideant, eaque faciant & adimpleant, quæ juxta nostras ordinationes sancita sunt, quas in eodem Capitulo publicetis ac legi & auscultari faciatis, omnes monendo, & si necesse fuerit compellendo, ut ipsorum statutorum seu ordinationum copiam sub authentica scriptura recipiant, illa ad Ecclesias, Monasteria seu loca ipsorum fideliter delaturos; quæ etiam in dictis Ecclesiis legi faciant, & diligentiùs

custodiri & observari. Sequuntur hîc constitutiones datæ Avenione Calendis Julii, Pontific. anno 5. & à linea. Post quarum litterarum Apostolicarum præsentationem & electionem præfati domini Commissarii & Præsidentes voluerunt & præceperunt & mandaverunt per me infrascriptum Notarium, Reverendo in Christo patri ac domino Hugoni Dei gratiâ Abbati sancti Saturnini Tholosæ, Ordinis sancti Augustini, de præmissis omnibus & singulis contentis in dictis Apostolicis litteris fieri publicum instrumentum. Acta fuerunt hæc Narbonæ in Aula Archiepiscopali die 28. mensis Novembris anno 1339. præsentibus R. Patre domino Bertrando de Cosnaco, Priore Monasterii Brivæ Lemovicensis Diœcesis, ac Religiosis dominis Guiliermo de Cardanio Canonico & Archipresbytero in Ecclesia Uticensi, & Bonafuso Canonico sancti Saturnini Tholosæ, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, & ego Petrus de Rinsaco Clericus Lemovicensis Diœcesis publicus Apostolicâ & Imperiali auctoritate Notarius, de mandato dictorum dominorum Præsidentium, prædicta omnia & singula supradicta fideliter scripsi, & hic me subscripsi, signoque meo signavi consueto in testimonium præmissorum.

Quod quidem instrumentum ex Authentico Apameensis Ecclesiæ Cathedralis sub Augustino adhuc militantis, exscriptum fuit 17. Sept. anni 1649. per *Josephum Laval* Tabellarium Apameensem, & subsignatum, *le Normant*, *la Penne* & *de Laval*, & deinde transcriptum Parisiis per Notarios Apostolicos *Gallot & Moussinot* anno

1650. 3. Decembris, à Canonicis Apameensibus San-Genovefianis Parisiensibus liberaliter transmissum; illudque hîc retulimus, quò mira propagatio institutionis Augustini pateat apud varias Ecclesias in Gallia; hîc enim præter plerasque Abbatias vel Præposituras celebres Ordinis Augustini, numerari licet, in unica Provincia Narbonensi, ejusdem instituti Metropoles tres, Auxitanam, Tholosanam, & Narbonensem, quæ nullis dignitate cedunt Gallicanis; Episcopales verò septem memorantur, Uticensis, Magalonensis, Nemausensis, Carcassonensis, Tarbiensis, Lascariensis, Apameensis. Hinc etiam patet Constitutiones Benedicti XII. receptas fuisse in Gallia pro instauratione Ordinis Canonici sub Regula Augustini; ex quo tandem Galliæ angulo conjice, lector, quàm lubenter Canonici Cathedrales & Collegiales sub Augustini vexillis militarint circa decimum tertium seculum.

Locus hîc erat ut de Congregationibus variis Ordinis Canonici sermonem institueremus, sed id tantâ curâ & labore & amplitudine præstitit Gabriel Pennotus unà cum elogiis virorum SS. & illustrium, qui ex eisdem prodiere, ut ab eis describendis, tanquam à superfluo labore réque jam acta supersedere hîc judicaverim; contentus dicere duas tantùm nostro ævo cæteris eminere, Lateranensem in Italia, cujus Canonici primariam totius orbis Christiani Basilicam pluribus annis incoluêre, à qua nomen per totam Italiam respersi retinent; & Gallicanam anno circiter 1615. exortam, cujus primaria & nobilior Basilica & Canonia est sanctæ Genovefæ Parisiensis, cujus Abbas totius Congregationis centum & amplius

Monasteriis constantis supremus est Moderator. Cujus ortum, progressum, viros illustres & Monasteria descripsere DD. Sammarthani tom. 4. *Galliæ Christianæ*, quò lectorem remittimus, ne alieno labore paginas impleamus.

Quod si quis roget causas ejusmodi reformationis Canonicorum & assumptionis Regulæ D. Augustini per tot & varias Ecclesias; alii dicunt id factum vi duorum celebriorum Decretorum duplicis Synodi Romanæ anni 1059. & 1063. sub Nicolao II. & Alexandro II. jubentium, ut Canonici in communi & de communi viverent, de quibus locuti sumus initio hujus capitis. Nam plerique Episcopi qui his Conciliis interfuerant, eam vitæ rationem invexêre reversi ad suas Ecclesias. Alii, inter quos est Joannes Bordenavius Canonicus Lascarensis, Canonicorum instaurationem sub Augustino, tribuit Anastasi illius Canonici Parisiensis, quæ tempore S. Brunonis accidisse fertur, cujus terrore correpti Canonici cæteri se se in meliorem ritum composuere, inter quos suos Lascarenses memorat. Denique Auctor libelli Senonensis in causa pro Romano Archiepiscopo contra Canonicos Senonenses censet, circa annum 1050. & citius meliori vitæ se se reddidisse Canonicos, ob rigorem quo animadversum fuit erga eos in Anglia, ubi eorum expulsorum loco suffecti & subrogati fuere Monachi, agentibus SS. Dunstano & Ethuvoldo, imo jubente cœlesti oraculo, per os sacrosancti Crucifixi personante, rectè in Clericos ejusmodi animadversum eos à suis sedibus expellendo. Quæ si vera sunt, tunc sperare debemus Canonicos ad novam incudem seu reformationem Augustinianam redi-

turos, cum mortui resurgent, vel Crucifixus contra eos vociferabitur.

CAPUT XXXVI.

Instituitur comparatio Canonicorum Regularium cum Monachis, & aperitur quâ mente Auctor eam aggreditur.

QUod suo tempore dolebat Hieronymus Epist. 16. ad Principiam, *Matronarum Romanarum nullam ausam fuisse, propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis Monachorum nomen accipere.* Hoc etiam nostrâ ætate magis queri possemus quâ propter fratrum falsorum quorundam depravatos mores, vilissimum apud plebeios Monachorum nomen evasit. Malum hoc utique ferendum, si tantum ab inferiori hominum fæce illius professionis homines carperentur; nam ut egregiè scribit Salvianus *lib.* 8. *de Providentia. Insectentur Monachos, qui in iis sibi omnia amula & inimica cernunt*; sed minimè tolerandum illud Clericorum quorumdam odium quo perciti Monachorum nomen & statum aversantur, quos proscindit Hieronymus ad Furiam his verbis. *Rodunt nos & adversus nos loquaces sunt pro se muti, quasi & aliud sint ipsi quàm Monachi, & non quidquid in Monachos dicitur, redundet in Clericos qui patres sunt Monachorum, detrimentum pecoris Pastoris ignominia est, sicut è regione illius Monachi vita laudanda est qui*

qui venerationi habet Sacerdotes Christi, & non detrahit gradui per quem factus est Christianus.

Quod si videremus præter eos, quos *Clericos seculares* appellant, rursus Clericos Regulares, seu Canonicos Monachorum nomini obstrepere, nonne argumentorum mole & rationum vi opprimerentur, quibus os aureum illud Chrysostomus speciali tractatu vituperatores & obtrectatores vitæ Monasticæ redarguit. Castigarentur maximè ab eorum Ordinis clarissimo Hugone Victorino, qui lib. 2. de claustro animæ cap. 16. scribit, *quod licet in Monacho & Canonico diversus sit habitus, idem tamen debet esse religionis affectus.* Denique celebre illud Concilii Aquisgranensis effatum cap. 115. pudorem eorum fronti suffunderet; *quod in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus Canonicorum mores, & Monachorum distare non debeant.*

Fateor igitur cum Athanasio Præfatione in vitam Antonii, *Monachorum nomen celebre*; cum Basilio de Institutis Monasticis serm. 2. *Monachorum vita genus excellens*; cum Nazianzeno orat. 20. in laudibus Basilii, ipsos Monachos Angelorum cœtus esse in corporibus mortalibus fulgentes; cum Eusebio lib. 1. Evangelicæ demonstrationis cap. 8. Monachos esse quasi quosdam deos reliquorum hominum vitæ inspectores; denique cum Dionysio Eccles. Hierarch. capit. 6. *Monachorum & Therapeutarum sacra esse nomina*, utpote apud eum ibidem derivata, *à puro obsequio & famulatu Dei, ac individuâ & unicâ vitâ, quâ unum fiant, & sacris eorum collectionibus ac constrictionibus, ad Deo simi-*

V

lem unitatem & ad Dei amantem perfectionem redigantur.

Eapropter procul sint profani illi, qui tam illustri nomine donatos & dignatos, laïcis annumerant, cum quolibet è vulgi pulvere confundunt, templatim & vicatim Mendicantibus posthabent, arcent à sacris, qui denique *Monachi* nomen in facetiis ad ludibrium & penè infamiam traducunt & proscindunt.

Quâ sincerâ erga Monachos mente à me proditâ, facilè lector prudens & candidus æstimabit, quæcumque dicam in meorum Concanonicorum supra Monachos commendationem, non livore, non æmulatione scripta esse; sed amore veritatis & justitiæ, quæ cuique tribuit quod suum est, & ut suus unicuique honos, gradus, dignitas & nomen maneant.

Conveniunt porro Canonici Regulares & Monachi, quòd utrique tria vota Religionis Deo solemniter nuncupant. Quod attendens celebris ille Nicolaus de Cusa sermone *Accepistis* lib. 3. sic alloquitur Canonicos. *Neque credatis* (ait) *multum inter vos & Monachos differre; nam una fuit consideratio sanctorum, quod in abdicatione proprietatis rerum mundi, in mortificatione carnis, atque in resignatione libertatis arbitrii consisteret recessus de hoc mundo, ut Deo adhærere in spiritu possent.* Secundò utrisque Advocati officium Jure ipso interdicitur, juxta caput *Ex parte de postulando.* Et in hoc ait Navarrus Jure antiquo æquari. Tertiò utrique prohibentur leges & medicinam audire, juxta caput *super specula. Ne Clerici.* Quartò utrisque convenit ea pars Clementinæ *Ne in agro.* De statu

Monach. quolibet mense confiteri, & primâ Dominicâ cujuslibet mensis ad sacram synaxim accedere, nisi propter aliquam causam Superioribus intimandam impediantur. Quintò utrique debent in una domo habitare, mensæ communi assidêre, sub eodem tecto dormire, ut multa jubent Concilia. Quas quidem convenientias attendens sanctus Pontifex Innocentius III. in cap. *Quod Dei timorem*, ait, *Regulares Canonicos à sanctorum Monachorum consortio non reputari sejunctos.*

Differunt autem primò secundum glossam & Abbatem Panorm. In Cap. *Quod Dei timorem*, quod *nomine Monachi* non venit Canonicus Regularis in pœnis & odiis. Secundò in *qualitate Regulæ.* Ait enim Innocentius III. in dicto cap. Canonicos Regulares non teneri ad ea omnia quæ Monachi, *quia Regulæ inserviunt laxiori.* Tertiò Divus Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2. docet Monachum ad Canonicos Regulares transire non posse, Canonicum verò Regularem posse transire ad Monachos, petitâ facultate à Superiore licet non obtentâ. Quartò differunt *habitu.* Quintò *diverso fine* differunt; nam Canonicorum Regularium vita circa proximum occupari debet; non sic Monachorum, quorum est, teste Hieronymo, *flere & orare.* Nec hîc Religiosorum Mendicantium statum consideramus, quasi enim Epicœni sint generis, medium genus conflant inter Canonicos Regulares & Monachos; sicque activæ vitæ ad modum Canonicorum Regularium incumbunt, id vel ex privilegio, vel ut succursales & auxiliares milites, Parochorum oneri sublevando, à suis fundatoribus instituti.

CAPUT XXXVII.

Singulæ differentiæ discutiuntur.

CIrca primam differentiam *in nomine*, quâ Canonicus Regularis non venit nomine Monachi in pœnis & odiis; ratio est, quia teste Divo Thomâ 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2. Canonici Regulares quatenus tales, sunt Clerici ex suo instituto; deinde quia lex pœnalis non debet excedere proprium casum, nec exorbitans à jure communi debet extendi ad alium casum: unde lex pœnalis aut exorbitans disponens de Monacho non comprehendit Canonicum Regularem; ubi nota quod lex, quæ verbi gratiâ vetat Monachis postulare, comprehendit etiam Canonicos; quia, inquit Navarrus, lex illa procedit in materia, in qua est eadem ratio de Canonico & Monacho, & in qua jure antiquo inveniuntur adæquari, quibus duobus concurrentibus fit extensio etiam exorbitantium & pœnalium. Et addit Ostiensem hallucinari, cum ait Canonicos Regulares & Monachos æquari, exceptis casibus expressis in jure; id enim absolutè negat Navarrus, qui quidem existimat pro longè diversis nominari Canonicos Regulares & Monachos, in rubrica *de statu Monach. & Can. Reg.* & in cap. *Quod Dei timorem*. Imo docet nomine Monachi non venire etiam Canonicum Regularem in lege non pœnali, vel non exorbitante plusquam alios Clericos. *Cum* (ait) *nec ex proprietate verbi, nec communi modo loquendi apud peritos, neque ex la-*

ta significatione Canonicus Regularis comprehendatur appellatione Monachi; dicitque Jasonem contrarium sentientem rem frigidè tractare & à vero prorsus aberrare.

Circa secundam differentiam, quæ sistit in hoc, quod *Canonici Regulares laxiori Regulæ inservire* dicuntur ab Innocentio III. in cap. *Quod Dei timorem.* Illud intelligendum est quantum ad jejunia, asperiora indumenta, lini & carnium abstinentiam, chameunias ac alias corporis afflictationes, quæ Monachis propriæ sunt; non verò quoad opera perfectionis & sanctitatis interioris, ac virtutum praxim, idque juxta decreta Concilii Aquisgranensis laudati cap. 115. & cap. *Cum ad Monasterium.* Ex qua quidem laxiori Regula sequitur, Canonicos Regulares non teneri in rigore habere secum sui Ordinis socios, dum morantur in villis & Parochialibus Beneficiis: ait enim Pontifex Innocentius. *Licet in Lateranensi Concilio de Monachis caveatur, ne singuli per villas aut Parochiales Ecclesias ponantur, cum ex privilegio ibidem ponuntur; id tamen de Canonicis Regularibus specialiter non cavetur, quia Regulæ inserviunt laxiori.* Consulit enim S. Pontifex Canonico Regulari Beneficiato habere socium, *idque si commodè fieri possit.* Ex hac eadem laxiori Regula sequitur non licere Monachis transire ad Canonicos Regulares; sic autem è regione licere Canonicis transire ad Monachos qui strictiori Regulæ obediunt, juxta D. Thomam 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2. Nec obstat Urbani II. diploma anni 1092. directum Abbati S. Rufi, & relatum cap. 19. quæst. 3. his verbis. *Mandamus & universaliter interdicimus, ne*

quis Canonicus Regulariter professus, nisi, quod absit, publicè lapsus sit, Monachus efficiatur; quod si decreto nostro contraire præsumens id agere tentaverit, ad Ordinem Canonicum præcipimus ut redeat, & deinceps memorialem cucullam deferat, & ultimus in Choro sedeat. Nec etiam illud Gregorii VII. editum in Concilio Eduensi, relatum etiam cap. 19. quæst. 3. *Nullus Abbas vel Monachus Canonicos Regulares à proposito professionis Canonicæ revocare, atque ad Monasticum habitum suscipere audeat, ut Monachi fiant, quamdiu Ordinis sui Ecclesiam invenire queant, in qua Canonicè vivendo Deo servire possint; quod si temerario ausu id agere tentaverint, Anathematis vinculo obligentur.* Quorum quidem decretorum rationem affert D. Thomas, non licuisse scilicet tempore Gregorii VII. & Urbani II. à Canonicis transire ad Monachos, eo quod Monachi considerati secundum suum primævum statum non erant Clerici, sed laïci tantùm: unde supponit Canonicos in hoc à suo gradu recessum iri; licere verò nunc, quia jam Monachi sunt Sacerdotes, & divinis mysteriis inserviunt. Quæ sanè ratio D. Thomæ valeret, si Monachi tempore Urbani II. anno scilicet 1090. non fuissent passim ut nunc ad sacerdotium & sacros Ordines evecti. Quapropter mihi videtur magis rationi consentaneum, non licuisse Canonicis Regularibus transire ad Monachos, tempore Concilii Eduensis & Urbani II. quia illâ ætate Canonici Regulares non profitebantur vitam Monachali laxiorem. Licet enim Regula beati Augustini, quam Canonici Regulares sequuntur, per se non sit nimis austera vel

ſtricta, capax tamen eſt cujuſvis rigoris, quam unaquæque Congregatio vel ſodalitium per ſuas conſtitutiones addere poteſt. Nec audiendus hîc Suarez, rerum quæ Canonicos Regulares ſpectant, non ſatis gnarus, dum hanc rationem conjecturalem tantùm vocat *lib.* 3. *tom.* 4. *de ſtat. Relig. cap.* 10. Nam Chronica Canonicorum Regularium fidem faciunt, quod ætate Gregorii VII. & Urbani II. ſanctitatis & obſervantiæ Regularis laude florerent multæ Congregationes Canonicæ; inter quas eminebat illa quæ etiamnum viget ſancti Rufi in Delphinatu, ad cujus Abbatem Generalem directum fuit diploma præfatum Urbani II. & illa quæ vel Ivoniana vel San-Quintiniana dici poteſt, cujus Eduenſes Canonici Regulares conficiebant Coloniam, ut patet ex Epiſt. Greg. ejuſdem VII. ad Epiſcopum Eduenſem in tom. 4. Concil. Hinc Stephanus Epiſcopus Tornacenſis Epiſt. ad Robertum Pontiniacenſem, poſtquam illum Canonem Eduenſem laudavit, teſtatur, *ſe indignum Canonicorum Regularium Præſulem à domino Papa quæſiviſſe, ut Canonicos Regulares Superioribus invitis nullus Monachorum retinere auderet*; quippe quos ſatis arcta Religio pluribus in Collegiis, quorum ipſe curam geſſit, in officio retineret. Quem tamen decreti rigorem Urbanus ita temperavit, ut licentiâ Prælati petitâ & obtentâ iſte tranſitus fieri poſſet, ut patet ex cap. *Statuimus cauſa* 19. *quæſt.* 3. Et tandem Canonicis ab arctitudine vitæ deficientibus & de fervore remittentibus, jus ita temperatum fuit ab Innocentio III. ut ſufficiat petita licet non obtenta licentia talis tranſitus faciendi, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.*

189. *art.* 8. *ad* 2. Ex quibus facilè est refutare Petrum Abaëlardum, qui in libello de suorum Commonachorum præcellentia supra Canonicos Regulares, nobilitatem statûs Monastici metitur, ex hoc quod liceat Clericis ad Monachos transire, & non è regione: nam si Monachi carerent Clericatu, ut olim carebant, non liceret nunc Canonicis Regularibus ad eos transire; descenderent enim, ut ait Divus Thomas loco citato, ad statum laïcorum. At Monachismus non est extollendus ex Clericatu accidente.

Ex hoc porrò discusso *transitu* Canonicorum Regularium ad Monachos explicata fuit satis superque tertia differentia, quapropter

Ad quartam differentiam examinandam nos conferimus, quæ est *in habitu* seu cultu exteriori, quam notant Suarez, Azorius & alii, & per se patet: nam Canonicorum Regularium habitus est tunica linea exterior, quam vocant alii *rochetum*, alii *camisiam Romanã*, alii *cottam*, alii *superpelliceum*; addunt pelliceum indumentum, quod alii *byrrum*, alii *almutiam* vocant. Utrumque habitum hausere ab Augustino, qui *byrro & tunicâ lineâ cum Clericis suis communi usus fuisse describitur* in serm. de communi vita suorum Clericorum. Monachis autem interdictus fuit usus hujusmodi linearum vestium, maximè à Zacharia Papa apud Concilia Galliæ tom. 1. pag. 564. *Monachi verò laneis indumentis juxta regulam probabilium Patrum utantur; Apostolis quippe divinum est datum mandatum duas tunicas non habendi, tunicas dixit Christus utique laneas non lineas.* Illud ipsum renovavit Innocentius III. in Concilio Lateranensi. Utuntur etiam Monachi cucullis, qui ita Monachis proprii sunt, ut nonnisi pro

crimine eoque publico Canonicorum capiti adaptari possint, ita decernente Urbano II. Can. 19. quæst. 3. cap. 2. Hos etiam Canonicis prohibet Concilium Aquisgranense cap. 125. his verbis. *Reprehensibilem & Ecclesiasticâ emendatione dignum apud plerosque Canonicos inolevisse comperimus usum, eo quod contra morem Ecclesiasticum cucullas quibus solis Monachis utendum est, induant; sicut enim turpe est virum vestem muliebrem, & mulierem vestem virilem induere, ita valde indecorum est Canonicum vestem Monachicam induere.* Porro cucullus differt à cappa Canonicorum quam hyeme tantùm modò gestant; quod cucullus est caputium strictissimum, ut docent S. Dorotheus doctrinâ 1. num. 17. & Cassianus lib. de habitu Monachorum cap. 4. Nicephorus lib. 9. cap. 14. aiuntque idem esse ac tegumentum capitis puerorum, quod hinc inde aures stringit, adeoque puerilem innocentiam denotare in Monachis. Contra verò cappæ Canonicales sunt amplissimæ tam in caputio quàm pallio. Præterea cuculli Monachorum debent esse manicati juxta Clementinam *Ne in agro.* De statu Monach. tit. 10. lib. 3. Cappæ verò Canonicorum sine ullis prorsus manicis conficiuntur, ut districtè jubet Concilium Lateranense IV. anni 1215. cap. 16. & ante illud Concilium invenitur quædam Constitutio Synodalis Gualonis Cardinalis & Legati Apostolici ac Canonici Regularis tempore Innocentii III. apud Spondanum tom. 1. Continuat. Annal. Baronii, ad annum 1208. quâ inter alias prohibetur Canonicis cappas manicatas gestare. Denique caputia Canonicorum non sunt acuminata in superiori parte, seu vertice

capitis; cuculli verò sunt, vel debent esse acuminati ad modum papyraceorum involucrorum pyramidalium, quibus pigmentarii vel propolæ aromatum involvunt suas merces, secundum illud Martialis, ad suum libellum lib. 3. Epist. 2. *Festina tibi vindicem parare, ne nigram cito raptus in culinam cordyllas madidâ tegas papyro, vel thuris piperisve sis cucullus.* Consentiunt Martiali Raderus cum Scaligero, qui dicunt cucullum conum exprimere; hinc est quod è Monachis reformatis, eò acuminatiores gerunt cucullos, quò sunt ipsi reformatiores. Mitto aliam differentiam cultûs Monachorum & Canonicorum Regularium: nam horum habitus debet esse mediocris pretii ad exemplum Augustini, de quo sic scribit Possidius, *vestes ejus ex moderato pretio erant, nec nitidæ nimiùm, nec abjectæ plurimùm,* utpote quæ decent Clericos, quos admonens Hieronymus in persona Nepotiani jubet, *ornatus ut sordes pari modo fugere, quia* (inquit) *alterum delicias, alterũ gloriã redolet.* At verò materia habitûs antiquorum Monachorum Ægyptiorum, Palæstinorum, Græcorum Gallorumque vilissima fuit, vel ex foliis palmarum, vel setis camelorum crassiore panno, vel ex vetustis consutis panniculis; quippe qui habitus conveniret sportulariis, fiscellariis ac etiam subulcis, quales erant Orientis Monachi. Unde D. Benedictus cap. 55. suæ Regulæ, *Cœnobitas monet ne de grossitudine vestium causentur, sed gerant quod vilius comparari potest.* Aliam differentiam inter Canonicos Regulares & Monachos obtrudunt liberiùs aliqui, nempe, piaculum esse apud Monachos, si quis floccum aut cucullam abjiciat, & sic in publicum

procedat. At verò in Canonicis Regularibus propter honestas ac graves causas id tolerari, imo indulgeri à summis Pontificibus, ut ad modum modestissimorum Clericorum secularium culti prodeant in publicum. Hinc Erasmus Epist. ad Lambertum Grunnium Scribam Apostolicum sic scribit. *Vestem Religiosam, quam dixerim non temerè abjiciendam, Canonici Regulares vel studii causa, vel longinquæ peregrinationis gratiâ mutant aut celant, nullius auctoritate citra omnem reprehensionem; non enim est eadem Religio lineæ vestis quæ cæterarum, nam linea vestis non est Monachorum, sed Episcoporum & fortassis olim Clericorum, cultusque eorum est Romani Pontificis, cum maximè Pontificaliter celebrat & ornari solet; illudque vivendi genus Canonicorum Regularium adeo liberum est, ut minimùm absit à libertate secularium. Sed contra, horrendum facinus est, si quis Dominicanus aut Franciscanus suam vestem abjiciat.* Sed cum hæc ratiocinatio ex officina Erasmi trahatur, cujus ponderis sit linquo judicandum eruditis.

Restat discutienda ultima differentia, in fine & objecto, quam uno verbo exprimit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. *ad* 2. *&* 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 8. *Ordini Canonicorum Regularium per se competit, ut sint Clerici Religiosi, quia directè ordinantur ad ea opera, quæ aguntur in divinis mysteriis; sed ad Religionem Monachorum non per se competit.* Idem repetit Opusculo 19. parte 2. cap. 2. Hæc consonant Concilio Chalcedonensi *cap.* 4. & capiti *Qui verè* 16. *quæst.* 1. & capiti *Alia.* cap. *Si Clericatus*

cap. Legi 16. *quæst.* 1. Quæ quidem fusiùs à nobis allata sunt *cap.* 16. *&* 17. hujus libri, ubi hanc differentiam Canonicorum Regularium à Monachis discussimus. Videsis in hanc rem lib. 3. decretal. Gregorii, *tit.* 37. *de Capillis Monachorum*, *cap.* 1. *in Ecclesiis ubi Monachi &c.*

CAPUT XXXVIII.

Solvuntur objectiones.

NEotericus Scriptor, librum vernaculâ seu Gallo-flandricâ linguâ edidit, *de Canonicis sæcularibus & Regularibus* inscriptum, ubi inter alias sycophantias scripsit, Canonicos Regulares æquivocè tantùm esse Canonicos, veriusque Monachorum gregibus annumerandos. Prima ejus ratio est, quia, ait, domus Canonicorum Regularium vocantur *Monasteria.* Sed bonus vir ne à limine quidem antiquitatem salutavit, quippe qui agnovisset & legisset omnes ferè Cathedrales Ecclesias, vocatas olim fuisse *Monasteria*; loco inductionis per peculiares Ecclesias quæ tædium afferret, sit ista generalis probatio, desumpta ex Concilio Aquisgranensi anni 816. capite 138. ubi Cathedralis Ecclesia in genere vocatur *Monasterium.* Ex quo colligitur omnes, sigillatim sumptas, *Monasteria* dici debuisse, & tamen à Canonicis & Clericis, non verò à Monachis incolebantur, ut ex loco Concilii citati perspicuum est. Adde Divum Augustinum, suam domum Episcopalem, in qua Clericos in communi & de communi viventes instituerat, vocavisse *Mona-*

sterium ; quod quo sensu dixerit, habes amplè explicatum capite 20. & 21. suprà.

Secunda ratio nuperi Scriptoris desumitur ex votis solemnibus ; quam prorsus elevat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 2. *ad* 2. *Licet* (ait) *eadem sit ratio de Monachis & omnibus aliis Religiosis quantum ad essentialia vota Religionis, tamen si attendatur decretalis de* postulando, *diversum judicium ferendum est de Canonicis Regularibus ac de Monachis.* Adde egregium locum Ivonis Carnotensis à me relatum *lib.* 3. *cap.* 4. quo adversarii oscitantia mirè castigatur, ostenditurque solidissimo tanti viri judicio, vota in Canonicis Regularibus adstruere, imo & perficere eorum Clericatum. Fatendum quidem est vota facere per se Religiosum, sed non facere per se & simpliciter Monachum ; essentia enim Monachatûs non sistit in votis, sed in alia re, ut amplè disputavimus capite 15. & 16. hujus libri, cujus ibi traditæ doctrinæ ignorantia, Adversario causa fuit hallucinandi, dum ait, *purè & simpliciter vota facere Monachum.*

Tertiam ejusdem rationem ex appellatione *Fratrum* ab ipso petitam, anicularum fabulis ablegavimus *cap.* 10. *lib.* 2. Quarta non minus sugillanda, quâ notat aliquando assumi Canonicos Regulares ad professionem Religiosam, nondum tonsurâ Clericali initiatos, indeque verè Canonicos non esse. Sed ista ratio procedit ex abusu non ferendo ac tollendo, si unquam apud Canonicos Regulares irrepserit juxta Decretalem Pii I V. in tomo 1. Bullarii Constit. 72.

Explodenda tandem est quinta ejus ratiuncula, quâ dicit, Canonicos Regulares non posse licitè

gestare sericas vestes, ad modum Canonicorum qui purpurâ & bysso, cum lubet, utuntur: sed hunc Adversarium castigat Hieronymus Epist. 23. ad Marcellam. *Nos quia sericâ veste non utimur, Monachi vocamur; si tunica non canduerit, statim illud è trivio, impostor & græcus est.* Mitto hîc objectiunculas alias prædicti Auctoris, responsione prorsus indignas.

Quidam rabulæ minus quidem crassè & insulsè, sed tamen æquè falsò inferunt & argumentantur in hunc modum. Canonici Regulares vivunt sub Abbatibus, igitur sunt Monachi. Sed pluribus in locis libri primi & secundi, jam ostendimus, quantum sint obesæ naris, qui ex Abbatum præsidentia in celebrioribus Ecclesiis, eas Monachorum, non verò Clericorum aut Canonicorum fuisse divinant; cum præter Magistros, Priores, Præpositos, etiam Abbates olim habuerint omnes ferè Collegiales Ecclesiæ, pro quo vide caput 11. 12. & 13. *lib.* 1.

Tandem scioli quidam addunt. Vocantur Religiosi, igitur sunt Monachi. Occurro. Divus Cyprianus qui nusquam de Monachis loquutus est, nomen *Religionis & Religiosorum* datum fuisse Clericis scribit Epist. 5. 6. 8. 35. 42. & in 52. ad Anton. loquens de promotione Cornelii Papæ ad sublime Sacerdotii fastigium, ait, *ipsum cunctis Religionis gradibus ascendisse.* Adde, votum continentiæ Subdiaconorum vocari à Patribus Concilii Agathensis anni 506. *Religionem.* Can. 16. Concilium Parisiense 6. lib. 3. cap. 14. 18. meminit *Religionis Clericalis & Sacerdotalis.* Habitum Clericalem, quo induuntur primâ tonsurâ initiandi, antiqua Ritualia apud Mo-

rinum de Ordinatione part. 2. pag. 283. 299. 314. 329. & Liber Sacramentorum Gregorii pag. 237. 238. & novum Pontificale vocant *Religionis habitum.* Idem in eam rem ſic loquitur Gregorius Homil. 49. tit. 3. *Sæpe nonnulli Religionis habitum ſumunt; & dum ſacrorum Ordinum locum percipiunt, ſanctæ Religionis officium in commercium terrenæ negotiationis trahunt.* Hinc lib. 7. Epiſt. 112. Clericatum vocat *Religioſum propoſitum.* Dices, ſed *Religioſi* vocabulum aptiùs convenit *voventi.* Reſpondeo, *Clericos* vocatos fuiſſe *Religioſos*, etiam ante vota ſolemnia invecta, ut patet ex Synodo Romana anni 870. ſub Nicolao Papa I. ut refertur *cap. Præter* 32. *diſtinct.* ubi Clerici vitam communem ducentes, dicuntur *Religioſi*; apud quos tamen nulla erant vota ſolemnia, quæ invecta ſunt apud Canonicos Regulares tantùm anno 1139. in Synodo Romana cap. 6. ſub Innocentio II. Igitur ante declarationem votorum ſolemnium apud Canonicos Regulares æquè *Religioſi* appellatio congruebat cæteris Clericis, cum neutri vota ſolemnia nuncuparent: quamquam & Clerici Divi Auguſtini vota emiſerint ſub ipſomet Auguſtino non ſolemnia, à quibus tamen Religioſi non dicebantur, eo ſenſu & modo quo nunc ea appellatio uſurpatur. Sed ut fatear, denique Religioſi vocem *voventi* convenire, non inde ſequitur, *Clerico* non competere, cum & ipſe *vovens*, & *vovere* dicatur, pro quo audi illud antiqui Pœnitentialis apud Hugonem Maynardum pag. 242. *Si quis Clericus, poſtquam ſe Deo* VOVERIT, *ad ſecularem veſtem redierit, ſicut canis ad vomitum ſex annos pœniteat.*

CAPUT XXXIX.

De praeminentia Canonicorum Regularium super Monachos.

DUdum Canonicos Regulares inter & Monachos Benedictinos disputatum fuit & dubitatum, quis Ordo præcedere deberet alium? Versata fuit hæc quæstio apud Italos, Germanos, Lotharingos ac Gallos, fœlici semper Canonicorum successu, sublimiori semper gradu Canonicis concesso. Sed quasi cum *crabronibus* res ageretur, irritationem magis, quàm subjectionem victis peperêre superiorum ac etiam summorum Pontificum in eam rem Decreta, contra quæ velut tot tonitrua oppedere Monachi non verentur. Difficilè quidem hanc materiam aggressi sumus, ne vanitatis fucos & bracteas ambire videremur, memores illius lectionis Matthæi Bossi facundissimi Scriptoris Itali Epist. 127. qui hanc de præcedentia motam suo tempore querelam attingens ait. *Velim eos qui suam salutem totam contineri putant antecessione potiore, adusque possent curiam aures distendere, audirent de nobis fabulas à quibus religiosus & verecundus animus debet non minus quidem, quàm à turpi scelere abhorrere. Decus religiosum non est positum in praecedentia hujusmodi vana, sed in virtute & gradu qui maximè illustratur humilitate, patientià, honorumque contemptu.* Antiquiores ducentis annis Monachi Benedictini litem incepêre, sed parati

parati re judicatâ ſemel æternum tacere. Recentiores verò totis lacertis rei judicatæ & definitæ reclamant, dum eam in ſui præjudicium vergere ſentiunt. De prioribus id ſcripſit laudatus Matthæus Boſſus Epiſtolâ 113. *Audio Monachos patres nullo quidem modo flecti poſſe, ut à lite cœpta deſiſtant, & eos tamen neque pervicaci, neque amaro animo illud contendere, ſed prudenti modeſtiſſimoque judicio, parvi pendentes, ſuperenturne, an ſuperent ipſi? neque provocaturos unquam ab ea ſententia qua prima manaverit, ſed illos dumtaxat hoc quærere quo res hujuſmodi ſemel ad jura diſcuſſa per omne poſterum tempus utriſque pariat quietem & pacem.* Sed ex patribus illis nati filii hanc majorum ſuorum mentem exuerunt, jureque vel injuriâ Canonicos præcedere volunt. Quos tamen ſanctorum Patrum ac Doctorum auctoritate, inferiores Canonicis partes tenere hîc breviter demonſtraturi ſumus, idque ſine ulla prorſus animi exulceratione, ſed ſolius veritatis ac rationis pondere, ita ut Boſſi voces uſurpare poſſimus Epiſt. 113. *In eam rem pacifico ſemper ac benevolo animo me fuiſſe, & quo die definita res fuiſſet; victoribus, utri fuiſſent, congratulaturum me oleâ redimitum & palmâ.* In hoc meorum Concanonicorum ſequutus genium, quibus illud quadrat quod de ſuis Lateranenſibus ſcribebat *Epiſt.* 108. idem auctor. *Sunt innumeri modeſtiſſimi patres, qui non in carnis paſſionibus, ſed in cœleſtibus deſideriis ſuam gloriam collocaverunt, qui & didicerunt virtute ſingulari ſuâ non bellare, ſed pace bella ſopire; ubi qui vincitur victor evadit, eâ glorioſâ maximâque victoriâ*

quâ vincitur malum in bono. Hanc controversiam agitavit primò pius & doctus vir Joannes Mauburnus *in Venatorio*, ratus *plurimùm expedire quod propriam quisque noscat dignitatem, ut homo sollicitior reddatur ad eam conservandam, ne sicut primo parenti contingat, qui cum in honore esset non intellexit, ideòque jumentis comparatus est*; *vel sponsa Canticorum, de qua dicitur. Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere & abi post vestigia gregum.* Eo modo, censet Mauburnus maximè curare debere Canonicos Regulares suam dignitatem tueri, utpote quâ cæteris Ordinibus Monasticis antecellunt, sicut homo cæteris animantibus, & pulcherrima illa sponsa gregibus ovium.

Gabriel Pennotus Mauburni vestigiis inhærens hanc litem movet & dirimit *in Historia Canonicorum Regularium*, sicut & Ascanius Tamburinus *de jure Abbatum*, Chassaneus *Catalogo gloriæ Mundi*, Cornelius Bartholomæi *in pondere Sanctuarii*, omnes in favorem Canonicorum. Sed inter vetustiores Petrus Abaëlardus Epist. amplissimâ ad quemdam Canonicum Regularem in præjudicium eorumdem. Cæterùm non est hîc animus iterum congerere, quæ illi tam operosè & amplè in eam rem adduxêre, imo nequidem ullo ab eis adducto argumento uti; sed unâ aut alterâ selectâ Patrum ac Doctorum auctoritate ac ratione rem conficere. Quapropter qui sententias definitivas & motus proprios summorum Pontificum, supremorum Senatuum edicta, rationes doctas & eruditas Jureconsultorum, relationes Cardinalium in hac parte Commissariorum, & alia plura maximi ponderis pro stabilienda

præeminentia Canonicorum Regularium supra Monachos nosse voluerit, consulat eumdem Gabrielem Pennotum, Cornelium Bartholomæi *pondere Sanctuarii part. 2 pag. 248.* Ascanium Tamburinum *disput. 25. tom. 1. de jure Abbatum*, & Aubertum Miræum *lib. de Canonicis Regularibus.*

CAPUT XI.

Præcedentia Canonicorum Regularium super Monachos probatur auctoritate Patrum.

DIvus Chrysostomus in laudes Clericorum præ Monachis effusus lib. 6. cap. 6. 7. & 8. de Sacerdotio sic ait. *Sanè quod non extenuandi mei nomine hoc pronuntiem, recordare si placet quoties tibi dixerim, si quis optionem mihi proponeret, utrum ego institutum sequi, in eoque clarescere mallem, in Ecclesia alicujus Præfectura, an in Monachali solitudine, me prius illud vitæ genus mille calculis antepositurum; neque enim cessavi unquam illos suspicere qui in munere isto justè defungi possent.* Et ibidem. *Si mihi talem adducas Monachum, qualem ut secundum exaggerationem dicam Helias fuit, tamen quamdiu solus est, si non perturbatur neque graviter peccat, quippe qui non habet quibus stimuletur atque exasperetur, non tamen comparandus est ei qui traditur populis, & peccata multorum ferre compulsus immobilis persi-*

verat. Quales sanè sunt Canonici Regulares ex instituto Clerici & Curiones.

Divus Augustinus lib. de moribus Eccles. cap. 32. postquam præclaro encomio Monachos Cœnobitas celebravit, postea ad Clericos pergens sic ait, præ Monachis. *Quorum virtus eo mihi mirabilior, & majore prædicatione dignior videtur, quò difficilius est eam in multiplici hominum genere & in ista vita turbulentiore servare, &c.* Et Epistolà ad Aurelium 76. postquam probavit Monachos non promiscuè ad Clerum esse evehendos, ait. *Nimis dolendum est si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumeliâ Clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus Monachus, vix bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria.* Ubi vides primò, Augustinum, qui se hîc in numero Clericorum constitutum asserit, se seque apertè à Monachis secernit, timere ruinam Monachorum, si ad sublimem Clericatûs gradum ascenderint. Cujus rationem affert Severus Sulpitius Dialog. 1. post medium, *Quia si quis* (ait) *ex his Clericus fuerit effectus, dilatat continuò fimbrias.* Sed altiorem p ofert Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio cap. 8. *Quia cum venerint in eos agones, quorum experimentum nec meditatione didicerunt, conturbantur profectò & deficiunt, & virtutum laudes quas secum attulisse videbantur, deperdunt.* Secundò notat Augustinus sæpius deesse Monacho scientiam, quam summam in Clerico postulat, & sic sublimitatem Clericorum suorum ex regimine animarum cui deputabantur

insinuat, præ Monachis qui ex suo instituto ei renuntiant; vel si ei incumbant, id secundum Hugonem Victorinum *lib. 2. de Sacram. p. 3. cap. 4. illis secundum indulgentiam conceditur.*

Sed pulcherrimè omnium Canonicos Regulares præponit Monachis Ivo Carnotensis Epist. ad Petrum Pictaviensem Episcopum, ubi illi exprobrat quod unum è suis Regularibus Clericis Monacho cuidam posthabuerit, in hunc modum. *Si fraternitatem vestram in jus vocare possemus, jure à vobis multas expostularem injurias, quia Clericum, quem vobis ad regimen cujusdam Regularis Ecclesiæ Diœcesis vestræ, vestris Epistolis crebro compulsi concessimus, non satis aptam à vobis passus est repulsam. Clericorum verò Ordini publicam infertis injuriam, qui Monachorum Ordinem ad tam ruinosam erigitis superbiam, ut Clericos eis subjugare studeatis, quorum tanta debet esse excellentia, ut secundum beatum Patrem Augustinum, vix etiam bonus Monachus bonum Clericum faciat. Sed quia Clericus ista dixit de Clericis, audiamus Monachum dicentem de Monachis; dicit enim Hieronymus, Monachus non docentis sed dolentis habet officium, & alibi, Clerici oves pascunt, ego pascor, unde & humilitas Monachorum, est eorum summa provectio, dum subesse magis studere debent quàm praeesse.*

CAPUT XLI.

Eadem præcedentia Canonicorum Regularium super Monachos adstruitur Theologorum argumentis.

HAnc imprimis adstruit Divus Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 6. in hunc modum, *Quemadmodum majus est illuminare quàm lucere solùm, ita majus est contemplata aliis tradere quàm solùm contemplari.* Et ratio est, *quia licet prædicare & docere sit actus vitæ activæ, procedit tamen ex plenitudine contemplationis.* Et prosequitur concludendo. *Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcopali, sicut in aliis rebus fines primorum conjunguntur principiis secundorum, ut docet Dionys. 7. cap. de divinis nominibus.* Sed Religio Canonicorum Regularium ordinatur ad docendum & concionandum, & curam animarum suscipiendam; & nulla est propinquior perfectioni Episcopali, utpote ab Augustino Episcopo instaurata & exculta, igitur summum gradum tenere debet in Religionibus & maximè Monasticis.

Hanc doctrinam Divi Thomæ approbans Suarez *tom. 4. lib. 1. de Variet. Relig. cap. 8. num.* 12. docet quod si aliqua Monasticarum & Clericalium Religionum est præferenda, planè illa est Religio Clericorum; quia certius est Col-

legium Apostolicum fuisse Religiosam quamdam Clericorum familiam, quam quod viventibus Apostolis Monachatus inceperit. Nam primum ex Evangelio & Patrum traditione constat; secundum autem licet ex Dionysio, Philone, Eusebio & aliis antiquis Historicis fiat aliquo modo fide dignum seu probabile, non tamen æquè certum. Nec obstat quod posset objici in contrarium; nempe quod in primis fidelibus viguit vita perfectè communis; indeque posse argui Monachatum esse æquè antiquum, ac est Clericatus; cum Monachatus originem habeat ab illa vita perfectè communi fidelium laïcorum nascentis Ecclesiæ. Nam Suarez occurrit, Ecclesiam primitivam ut condistinctam ab Apostolis seu à Clero, & ut constantem ex fidelibus laïcis; licet habuerit quamdam formam Monachalem, vel secundum se totam, vel pro magna parte, nihilominus illam ortam esse à Religione Clericorum scilicet Apostolorum. *Si verò consideremus* (ait) *illam Ecclesiam ut unum corpus constans ex Apostolis & aliis fidelibus, sic fuit veluti una Religio perfecta eminenter ac formaliter complectens Clericos & laïcos, semper tamen prima ac præcipua pars ejus fuit Religio Clericorum.*

Instabis. Apostoli prius fuerunt Religiosi, quàm Clerici; nam prius abdicarunt se bonis suis, ut immobiliter Christo adhærerent, quàm ordinati sint Sacerdotes; quod non contigit nisi sub finem vitæ Christi in nocte scilicet Cœnæ. Sed occurri potest huic objectioni respondendo, à principio Religiosum illum statum fuisse Clericalem: nam fuit institutus & ordinatus ad finem prædicandi Evangelium & exercendi alias functiones Hierar-

chicas & Sacerdotales, ſicut modò profeſſio Canonicorum Regularium eſt Clericalis, licet fiat ante ſuſceptum aliquem Ordinem, quia dirigitur ad Clericalia munia ſuo tempore exercenda, reſtat ergo antiquiſſimum eſſe ſtatum Canonicorum Regularium, & proinde Monaſtico potiorem.

CAPUT XLII.

Solvuntur objectiones Chaſſanei & Petri Abaëlardi in contrarium.

PRior 4. part. Catalogi Gloriæ mundi conſideratione 52. ait. *Reperio, quod Canoniſtæ noſtri ſic dijudicant de potiori Religione.* 1. *Secundum antiquitatem, quoniam qui prior eſt tempore, potior eſt in jure; quæ regula habet locum in ſeſſionibus & honoribus.* 2. *Ex inſtitutione à majori vel digniori, etiamſi ſit poſterior tempore.* 3. *Ex approbatione antiquiori, quæ plus attenditur quàm inſtitutio.* 4. *Quod una plures habeat Religioſos, qui enim præeſt pluribus, major eſt.* 5. *Ex ordine nominationis in littera & ſcripturis, quia ordo ſcripturæ denotat prioritatem excellentiæ. At verò ſecundùm hæc*, ait, *Monachi nigri præcedunt Canonicos Regulares: igitur &c.* Sed aſſumptum tam frigidè probat Chaſſāneus, ut ejus rationes indignæ prorſus ſint, quæ recenſeantur. Nunc verò quantum ad rationes cur una Religio ſit potior aliâ, contra ipſum reperiuntur in Religione Canonicorum Regularium reſpectu Ordinis Monaſtici

Benedictinorum. Et primò major antiquitas invenitur in Ordine Canonico, qui ut Clericalis est, manat ab Apostolis, apud quos Clericatum præcellere Monachatui & dignitate & tempore; superiori capite declaratum est. Quod si attendatur vetus lex in qua fuêre Monachi Elias & alii, docent Theologi nullum fuisse statum verè Religiosum ante Christum, qualem agnoscimus inter Canonicos Regulares & Monachos; unde frustra major vel minor antiquitas eorum ex veteri lege quæritur. Quod si tamen id vult Chassaneus, refutabitur statim ex eo quod in veteri lege fulsit Clericatus præ Monachismo, nam Aaron & filii ejus sacerdotio functi sunt ante Prophetas; & si valeat ratio Chassanei deducta ex versu Psalmi, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, quâ probat Clericos seculares præcedere debere Monachos, valebit etiam pro Canonicis Regularibus, cum in his potior sit Clericatus qui accessione vitæ regularis minimè obscuratur vel diminuitur. Quantum ad secundum, constat digniorem fuisse Augustinum Clericorum Instauratorem ex Episcopatu & doctrina ad miraculum exquisitâ, Benedicto Monachorum parente, nec Presbytero nec Ecclesiæ Doctore, quique seriùs Augustino floruit. Circa tertium, tempore Augustini approbatio Religionum non erat penes Romanum Pontificem, sed penes Episcopum. Circa quartum, nulla Religio magis pullulavit quàm Clericorum Religiosorum, sive Monasteriorum & Ecclesiarum tam Cathedralium quàm Collegiatarum multitudine, sive sanctorum Pontificum & illustrium tum doctrinâ tum pietate virorum numero; ut inductione patefecerunt Ga-

briel Pennotus, Ascanius Tamburinus, Joannes de Nigra-valle & Anastasius, ambo quondam Bibliothecarii Apostolici; & de tempore Augustini ac ipso vivente id demonstrat Possidius cap. 11. vitæ illius. Denique quantum ad quintum, inconstans est nominatio Canonicorum & Monachorum in jure & Conciliis, unde ex priore nominatione vel posteriore jejuna prorsus est argumentatio pro potiori eorum Religione.

Petrus Abaelardus, confusione pudoris potiùs (ut ait ipsemet) quàm devotione conversionis, ad Monasticorum latibula claustrorum confugiens; ac Divo Norberto, quem Canonicorum Reformatorem vocat, & Guillelmo Cathalaunensi Episcopo, sancti Victoris Canonico Regulari, quòd ejus doctrinam & mores carperent, infensus, proptereaque Canonico Ordini minus favens, tractatum edidit, seu prolixam Epistolam, cui præfixus est hic titulus. *Contra quemdam Canonicum Regularem, qui Ordinem Monasticum deprimebat & suum illi anteferebat.* Et in eo tractatu plura profert argumenta nunc diluenda, quorum primum his verbis concipitur. *Multorum relatione ad nostras delatum est aures, nostri Ordinis idest Monastici statum à te sæpius in præsentia multorum non mediocriter læsum, quod non alia de causa præsumptum esse credimus; nisi ut nostros humiliando tua professionis Clericos, quos Canonicos Regulares vocatis, sic efferre laborares. Dicis longè Ordine tuo nostrum inferiorem esse, & plurimùm Monachos à dignitate Clericorum abesse; in quo quidem primùm à te sciscitari volumus, de qua id dignitate intelligas, utrum prælationis inter homines,*

an Religionis apud Deum? Quod Religionis, profectò hac dignitas verissima est, qua nos Deo maximè commendat atque virtutibus adornat, & tanto gloriosiores in cœlestibus efficit, quanto humiliores habemur in terris: at verò quâ ratione vel auctoritate hanc sibi dignitatem Clerici vendicare valeant, dic si possis, aut ad icias cur non possis. Cui quidem argumentationi occurritur, dicendo, Canonicum Regularem æquari Monacho in Religione apud eum, ratione statûs Religiosi & votivi; superare autem gradu seu Clericatu ipsius conditioni per se competente, proindeque prælatione inter homines: cum Clericatus non insit Monachis nisi per accidens.

Prosequitur Abaëlardus & hanc secundam affert rationem. *Quis enim nesciat, quod quotidianis docemur experimentis, hos etiam Clericos qui majore gradu praeminent, Monasticam eligere vitam, cum quod in Clericatu deliquerint, perfectè corrigere satagunt, & cum eis ad Monachatum transire liceat, ad Clericatum nullatenus redire permittantur?* Sed esto sic, pro Clericis secularibus, de quibus hîc non agitur: at falsum est pro Regularibus, de quibus solis hîc est quæstio. Ignoravit sanè Abaëlardus decretum summi Pontificis Urbani II. relatum cap. 19. quæst. 3. *Mandamus & universaliter interdicimus, ne quis Canonicus Regulariter professus, nisi, quod absit, publicè lapsus sit, Monachus efficiatur; quod si decreto nostro contraire præsumens id agere tentaverit, ad Ordinem Canonicum præcipimus ut redeat, & deinceps memorialem cucullam deferat, & ultimus in Choro sedeat.* Ecce contra Abaëlardum, pro-

hibitum Canonicis Regularibus ingressum ad Monachos, & regressum imperatum. Fugerat etiam Abaëlardum Canon Eduensis Concilii sub Gregorio VII. relatus etiam cap. 19. quæst. 3. *Nullus Abbas vel Monachus Canonicos Regulares à proposito professionis Canonicæ revocare, atque ad Monasticum habitum suscipere audeat, ut Monachi fiant, quamdiu Ordinis sui Ecclesiam invenire queant, in qua Canonicè vivendo Deo servire possint; quod si temerario ausu id agere tentaverint, anathematis vinculo obligentur.*

Pergit Abaëlardus. *Ipse quoque* (ait) *habitus Monachalis tantâ dignitate praeminet, ut semel assumptus deponi non debeat, pro quo non solùm secularis, verùm etiam Clericalis abjiciendus est.* Abaëlardi calculo præferendus est cucullus dibapho seu purpuræ Cardinalitiæ, ac superhumerali Pontificio. Sed turpiter fallitur, dum inde vult aucupari gloriam, ex quo nonnisi accipienda erat humiliationis occasio. Non enim ad Monastici habitus nobilitatem demonstrandam, jubentur in decretis Monachi ad præsulatum evecti suas vestes Monachales servare; hoc enim ita fit, ne (quod timendum esse dicit Severus Sulpitius) in 1. Dialog. cap. 14. ad honores assumptus Monachus *magnificet citò fimbrias, gaudet enim salutationibus, inflatur occursationibus, ipse etiã ubique discurrit, & qui antè pedibus aut asello ire consueverat, spumanti equo superbus invehitur, parvâ prius cellulâ contentus erigit celsa laquearia, vestẽ respuit grossiorem & indumentum molle desiderat, atque hæc charis viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus, illa ut byrrum ri-*

gentem ; hæc ut fluentem texat lacernam &c. ſed ex cuculli & cilicii geſtatione animos demittant, veluti ex inſpectione pedum pavones alas deprimant, & ex pœnitentiæ ſigno diſcant nuſquam luctui eſſe renuntiandum. Præterea Urbanus II. ſupra indicit cucullum Monaſticum Canonico Regulari pro ſcelere commiſſo, vel inconſtantiæ nota. Ac denique Concilium Aquiſgranenſe damnat Canonicos quoſdam, qui falsâ pietate deluſi cucullos geſtare voluerant, eoſque perinde arguit ac ſi ſuum ſtatum dehoneſtare voluiſſent. Igitur ſchema Monaſticum vetantur Monachi deponere, ut ſemper in iis verum ſit quod ait Prudentius, *ſqualent recinctâ veſte pullati patres.* Lubet tandem hîc referre in commendationem habitûs Clericalis præcipui qui lineus eſt, præ Monaſtico qui laneus eſt, quod ſcribit Apuleius Apolog. 1. p. ex orat. Oeæ habita, *quod ex lineo contextum eſt, puriſſimum eſt divinis rebus velamentum, lana verò ſegniſſimi animalis excrementum pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagoræ ſcitis profanus veſtitus, ſed mundiſſima lini ſeges inter optimas terræ fruges exorta indutui ſanctiſſimis ſacerdotibus & in rebus ſacris opertui uſurpatur.*

Addit Abaëlardus. *Quid eſt, quod cum ſæpè Monachi Epiſcopi facti Clericis præponantur; cur non è converſo, de Clericis Abbates fiant in Monaſteriis?* Sed obſervet Abaëlardus, Monachos factos Epiſcopos, non imperare Clericis, ut Monachi ſunt, ſed ut apicem & eminentiam Epiſcopatûs adepti. Non præficiebantur etiam vulgò Clerici Monachis ætate Abaëlardi, ſed Monachi Monachis imperabant, ut eſſet univocatio

& similitudo inter caput & membra, quæ tamen modò per Commendatarios sublata est.

Insulsiùs argumentatur adhuc in hunc modum Abaëlardus. *Cur etiam vos ipsi, & universa Ecclesia in supplicatione Litaniarum dicitis, Omnes sancti Monachi & Eremitæ, non verò Omnes sancti Clerici & Presbyteri. Quid est etiam quod in illis Hymnis festivitatis omnium Sanctorum, nulla vestri mentio fiat, sicut fit Monachorum, sic quippe scriptum est, Chorus sanctarum virginum Monachorumque omnium; item, Monachorum suffragia &c.* At illud est pro Monachismo insanire; nam quid sonant hi Litaniarum versiculi, *Omnes sancti Pontifices, omnes sancti Sacerdotes & Levitæ*, nisi SS. Clericorum & Presbyterorum invocationem? Qui quidem Sacerdotes & Levitæ præeunt Monachis in his Litaniis, igitur &c.

Tandem concludit suum aculeatum libellum Abaëlardus hâc ratiocinatione. *Liam quam duxisti gaudes esse fœcundam, sed doles cum respexeris eam lippam. Nocturnum Lia conjugium habuit, quasi talis copula luce digna non fuerit; quamdiu sterilis Rachel permansit, incolumis vixit, fœcunda postmodum facta, proprio partu est extincta. Ex quo patenter innuitur, quàm periculosè id unde gloriamini suscipiatur. Nec dicas ex eo quod periculosum regimen animarum & laboriosum statim esse præclarum: alioquin in Ecclesia Dei, qui quotidianis nuptiarum molestiis & sollicitudinibus implicantur assiduis, his præferendi essent qui cœlibem vitam ducentes minus onere seculi premuntur, & ob hoc liberiùs & puriùs Deo vacant, tanquam*

lectuli quietem adepti. Denique si pro augmento meritorum eos extollis, qui de virtutibus suis confidentes pugnas tentationum & illecebras mundi, magis sustinere quàm fugere decreverunt, vide utrum his qui continentiam voverunt consulendum sit, ut in lupanaribus continentiam studeant observare. Et quidem quàm ineptè dixerit, *regimen animarum non inde esse præclarum quia periculosum*, ostendit aureis his verbis Chrysostomus lib. 6. de sacerdotio cap. 6. 7. & 8. *Si quis optionem mihi proponeret, in quo instituto clarescere mallem, in Ecclesiæ alicujus Præfectura, an in Monachali solitudine, me prius illud vitæ genus mille calculis antepositurum; neque enim cessavi unquam illos suspicere qui munere isto justè defungi possent. Quod si quis existat, qui admiretur laudetque eum qui sibi vivens domi se contineat, ac multorum consuetudinem usumque aversetur; equidem hoc patientiæ specimen aliquod esse dixerim, non tamen idoneum id argumentum virtutis omnis ejus quæ illius animo inesse debet affirmaverim; nam qui intra portum ad gubernaculi regimen assidet, is non continuò sufficiens artis periculum præbet. At verò qui medio in mari cum esset, navem sæviente tempestate eripere potuit, hunc certè nemo est qui optimum gubernatorem esse neget. Proinde ne Monachum quidem magnopere ac supra modum admirabimur, quod is apud se vivens neque commoveatur, neque in multa ac magna peccata prolabatur; neque enim ei res illæ adsunt, quibus ipse animo irritetur extimuleturque. Si quis verò se turbis universis tradiderit, ac multa delicta*

hominum ferre coactus cum esset, inconcussus immotusque persiterit, animum ipsum vel tempestate actum, tanquam in malacia ac tranquillitate gubernans, hic dignus est, quem omnes plausu atque admiratione prosequantur, abundè enim ille suæ virtutis periculum fecerit. Nec inde sequitur quod insulsè tradit Abaëlardus primò matrimonium ob molestias, quibus implicatur, virginitati esse præferendum; nam ait Augustinus, *Inter omnia Christianorum certamina sola sunt duriora prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna & rara victoria, gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur & timetur*; molestiis igitur, tribulationibus carnis conjugatorum, acrioribus, sæpius agitatur virginitas; & ex parta super carnis concupiscentiam victoria, matrimonio copulatis illustrior evadit; sed præterea ex cœlibe vita nobilior, quâ merito Angelis comparantur quæ Angelorum Domino copulantur. Nec inde adhuc consequitur quod secundo loco infert Abaëlardus, *voventibus continentiam consulendum, ut in lupanaribus continentiam studeant observare.* Est enim duplex salutis alea, una quam subire tenetur qui vocante Deo regendis animabus præficitur; & hæc cum laude cura suscipitur, quippe cum Deus oneri ad quod vocat, parem semper gratiam largiatur. Altera est salutis alea, in quam temerariè quis & gratis se projicit, veluti continentes illi, de quibus Abaëlardus, qui lupanar adirent meritum consecuturi mediis in occasionibus pereundi; perituri sanè juxta Sapientis effatum, in periculo quod amassent. His profectò heroïbus accenseri volebat Abaëlardus, dum apud Cellam Paraclitensem cum chara

chara Heloïssa vivere parabat, nisi obstrepentibus præclaris illius ætatis viris loco cedere coactus esset. At verò dispar est omnino ratio illorum Clericorum, qui cogente Ecclesiæ necessitate, & utilitate proximi, vocati tanquam Aaron, & consulentibus, imo imperantibus Ecclesiæ Prælatis, ad artem illam artium seu regimen animarum accedunt inviti, qui in periculo constituti, & in eo non pereuntes, securis in otio Monachis non minimùm antecellunt.

Instabit Abaëlardus. Vita contemplativa Monachorum præstat activæ Canonicorum, igitur. Sed occurro, vita mixta ex actione & contemplatione præstat soli vel activæ vel contemplativæ, ut supra ex D. Thoma probatum fuit. Atqui hæc est quam profitentur Canonici Regulares, inter quos dum alii contemplationi & orationi seu Canticis spiritualibus in Templis vacant, alii saluti animarum in Parochialibus Ecclesiis incumbunt. Quos propterea beatus Antistes Franciscus Salensis, duplici avium generi non absimiles scribit, quarum alias in Ornithotrophiis, propriis solùm demulcendis auribus, domini nutriunt; dum aliæ verò in apertum aërem emissæ prædam domum & venationem nutriendis eisdem dominis reportant. Unde de utrisque Canonicis, in Choro scilicet divinas laudes præcinentibus, & plebanis curam animarum exercentibus jure dici potest illud Cantic. 7. *Quid videbis in Sunamite*, idest secundum Hebræos, *in Congregatione pacifica*, nisi Choros castrorum? Choros diu noctuque psallentium, ex una parte, ex altera verò quis non videat castrorum aciem ordinatam ad bellum carni, seculo, inferis etiam inferendum? Dum enim

illi, exultationes Dei habent in ore; hi gladios ancipites in manibus gestant, verbum scilicet Dei penetrabilius omni gladio ancipite, quo vitiorum renascentes semper ac repullulantes hydras resecent.

Nec his omnibus dictis ad præcellentiam Canonicorum Regularium ostendendam super Monachos, obest illa consuetudo vigens multis in locis, ut Monachi præcedant Canonicos Regulares in Processionibus & sessionibus; quia consuetudine præscribi potest, ut minus dignus præcedat, etiam si jus resistat; maximè quando subest justa ac rationabilis causa, veluti quas enumerat initio hujus capitis Chassaneus, exempli causâ, prioritas temporis fundationis alicujus Monasterii, aliquando in causa est cur Monachi præcedant Canonicos Regulares posteriùs fundatos; vel aliquando habetur respectus ad fundatorem, verbi gratiâ Regem à quo excitata Ecclesia præcedit fundatam ab inferiore, & similia.

CAPUT XLIII.

De fine Canonicorum Regularium, seu Curâ animarum in Parochiis.

CAnonici Ordinis rationem constitutivam & distinctivam, seu finem præcipuum ac directum, saluti animarum incumbere, scripsit & docuit D. Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2. & 2. 2. quæst. 184. art. 8. his verbis. *Ordini Canonicorum Regularium per se competit, ut*

ſint Clerici Religioſi, quia directè ordinantur ad ea opera, quæ aguntur in divinis myſteriis, ſed ad Religionem Monachorum non per ſe competit. Et Opuſculo 19. part. 2. cap. 2. ait. *Dato quod Monacho docere non liceat, cùm Canonici Regulares inter Clericos computentur juxta Auguſtinum in ſermone de communi vita Clericorum iis docere competit; ſi tamen Religio Monachorum ad hos fines extendatur, ſpectandus eſt finis primariò intentus in illis, unde differunt à Canonicis per finem primariò ab illis intentum.*

Quod autem ſcholaſticè expreſſit Doctor Angelicus, myſticè exponit Petrus Bleſenſis, veriùs, Petrus Comeſtor. *Sermone 36. de Dedicatione Eccleſiæ cujuſdam Ordinis Canonici, in BB. PP. Recenſionis Joannis Buſæi*; poſtquam enim myſticè expoſuit unctiones quæ fiunt in conſecratione Eccleſiæ, ſic alloquitur Canonicos Regulares. *Duodenariam unctionem veſtram poſſumus intelligere imitationem Apoſtolicam, quam propoſuiſtis vobis; alii enim Cœnobitæ quos Monachos vocamus, ne alter alterius onere prememeretur, ſingularem quiſque ſui cuſtodiam elegerunt, inde eſt quod nec baptiſare, nec aliis prædicare, nec pœnitentias injungere eis licet: vos autem imitatores Apoſtolorum multitudinis, quorum eſt cor unum & anima una, vobis & aliis providere poteſtis & debetis; hæc ſunt elementa Religionis veſtræ, quibus initialem Canonicum imbui oportet.*

Id præ cæteris confirmat Canonici Ordinis decus & ornamentum, ſicut & Eccleſiæ lumen præclarum Ivo Carnotenſis Epiſt. *69.* quæ eſt ad Gal-

terum Stirpensis Ecclesiæ Præpositum, cui conquerenti, Lemovicensem Episcopum arcere Canonicos suos Regulares à regimine animarum, sic rescribit Ivo. *Quantum intellexi ex litteris à vestra parte mihi nuper oblatis, graviter fert vestra fraternitas, quod Lemovicensis Episcopus in Synodo agens, interdixit omnibus Regularibus Clericis & regimen animarum & confessionem pœnitentium, qui rectiùs quidem fecisset, si omnes Sacerdotes ad regularem vitam invitasset, quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium custodia penitus removisset, quibus tantò plus displicet aliena malitia, quantò longius discesserunt à sua: hæc tamen prohibitio licet aliquo forsitan livore Canonici Ordinis facta esse videatur, quantò salubrior tantò fraternitati vestræ debet esse acceptior. Vos enim eò per viam Dei expeditiùs inceditis, si alienorum criminum deprimentes fasciculos, cum quotidianis vestrorum excessuum lapsibus non portetis. Hoc interim ad inquisita respondeo, quia Clerici Regulares ab hoc officio nec penitus sunt removendi, nec indiscretè admovendi; nam si penitus removentur, Canonico Ordini indigna fit injuria, cui tantò securiùs est credenda correctio vitæ alienæ, quanto majorem diligentiam adhibuit vitæ suæ corrigendæ. Si qui ergo sunt in Collegio vestro viri prudentes & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ante præsentiam Episcopi, ut ab eo curam animarum suscipiant; sic enim facientes & Episcopali reverentiæ quod suum est deferetis, & Canonicæ institutionis nulla dispendia facietis;*

qui ideo Canonici appellati estis, quod Canonicas Regulas vos velle observare cæteris arctiùs devovistis. Et in Epist. ad Joannem Aurelianensem 213. sic ait in eam rem. *Venerunt ad nos quidam fratres qui in Episcopatu vestro communiter vivunt, sollicitè quærentes, utrum Clerici regulariter viventes Parochias regere possint & animarum habere custodiam? Quibus hoc respondi, quia in primitiva Ecclesia nullus constitutus est Rector animarum nisi de communi vita assumptus; quia nemo rectiùs custos præponitur vitæ alienæ, quàm qui prius custos est factus vitæ suæ. Quod nullo in loco meliùs probatur, quàm inter eos in quibus Regularis vita vigere videtur, quibus tantùm displicet aliena malitia, quantùm prius displicuit sua. His rationibus freti constanter asserimus non esse audiendos, qui Clericos Regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia seculo renuntiaverunt; sed ideo potiùs ad hoc assumendos, quia voluptates & pompas sæculi contempserunt, non enim mundi contractus est animas à vitiis avocare & ad virtutum celsitudinem provocare; ideo convenientiùs ista docent, qui ea quæ dicunt opere complent, quam ii qui sunt doctores legis & non factores. Non tamen ad hoc officium alii assumendi sunt, nisi quos vita & doctrina commendat, & Episcopalis auctoritas ad hoc agendum idoneos probat. Hæc fraternè scripsi dilectioni vestræ, ut eorum qui sua quærunt, rapacitatem adversus pusillum Dei gregem compescatis, & in Clericali militia quietè vivere faciatis.*

Eam curam animarum strenuè suscipiendam, eique vitâ & doctrinâ commendabiles Canonicos Regulares, præficiendos esse, rectè monet pius Abbas B. Mariæ Blesensis Herveus in statuto M. S. illius Ecclesiæ. *Universis* (inquit) *præsentes litteras inspecturis, Herveus humilis Abbas B. Mariæ Blesensis, salutem in omnium Salvatore. Quia Regulares Canonici plerisque in locis Ecclesiarum Parochialium curam habent, ad eorum officium spectare dignoscitur, ut non solùm Rachelis inhærentes amplexibus quiescant in lectulo Salomonis, sed & Liæ fœcunditatem & piam Marthæ sollicitudinem æmulantes excitentur in agro, insistentes laboribus officii Pastoralis, sed quia jam in omni terra Israël, id est in Religiosorum conventibus, aut nullus aut rarus faber ferrarius invenitur; caverunt enim Philistii ne faciant Hebræi lanceam aut gladium, propter quod apud eos retusæ sunt temporibus nostris acies vomerum & ligonum agri Dominici, videlicet fidelium plebes vitiorum sentibus occupati steriles multis in locis remanent & inculti. Nos igitur quibus ad proprios usus nostros & fratrum nostrorum multæ Parochiales Ecclesiæ deputatæ sunt, formidamus judicium si lac & lanam gregis Dominici nostros convertamus in usus, & agrorum Domini decimas aut fructus temporales colligamus, nisi cultores idoneos ad eorum culturam pro nostris viribus deputemus, qui eradicatis veprium sentibus, oris vomere de cordibus fidelium lolium & tribulos evellentes ædificare & plantare salubriter valeant.* Postea decernit imposterum juvenes Canonicos instituendos esse in palæstra stu-

diorum æquè ac virtutum, bona quædam assignat pro erudiendis scholaribus, ac demum omnium animos exacuit ad amplam segetem in animarum Deo lucrandarum messe reportandam. Hæc circa annum 1150.

Eódem perfectè collineavit sanctissimus Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium instaurator Carolus *Faure*, Abbas S. Genovefæ Parisiensis, dum Præfatione suarum Constitutionum, sic suos ad Artem illam Artium, regimen scilicet animarum, instituit. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui elegit nos in ipso, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, in quo etiam sorte vocati sumus prædestinati secundum consilium voluntatis suæ ad collaborandum Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos vocavit in clerum & sortem Domini, qui propterea pars, portio & hereditas nostra solus est: electi & positi ut eamus & fructum afferamus, & fructus noster maneat in laudem Domini Jesu, quem cum sollicitudine multa annuntiare debemus, corripientes omnem hominem, ut quantum in nobis est, exhibeamus omnes perfectos in Christo. Ideo enim Clerici & Canonici Regulares dicimur & sumus, ut videntes vocationem nostram suscipiamus traditum nobis ab Apostolis ministerium Christi, ut vitam Apostolicam & Clericalem perfectissimè ducentes, sine querela nostram & proximorum salutem, divinis mysteriis vacando, sacramenta ministrando, non solum Evangelium Dei sed etiam animas nostras tradendo, operemur. Quapropter studeant nostri omnia quæ Clericorum sunt susci-*

pere & amplecti, nullum munus Clericale quamvis oculis carnis contemptibile unquam refugere, ac per Catechesim, Confessionem, ac aliorum Sacramentorum administrationem & Parochiarum ipsarum regimen, plebem Dei ad eum reducamus; & ut ad id promptiores nostri reddantur, studiorum ordo præscriptus & collationum custodiatur, in quibus de recta illorum ministeriorum administratione erga proximum in Parochiis nostris præstanda agitur; exhortationes in Refectorio ac etiam Catecheses à junioribus habeantur, in Cantu etiam Ecclesiastico & ceremoniis edoceantur ac ita instituantur, ut nullum munus in Parochiis præstandum ignorent vel minus æstiment. Et re verâ ex hac Congregatione zelo conquirendarum animarum inflammata, tanquam ex alveari prodiere jam centum & amplius Curiones, qui doctrinæ vitæque præclaris exemplis quasi divino melle totidem Parœcias respersêre.

CAPUT XLIV.

Canonici Regulares à parente Augustino munus Paræciale mutuò accepêre, quippe qui ante Episcopatum, Presbyter Rector animarum civitatis Hipponensis creatus fuerat.

DUas res (inquit Augustinus alloquens suos Clericos in serm. de illorum communi vita) *professi estis, sanctitatem & Clericatum; sanctitatem quidem interiùs, Clericatum verò exteriùs & propter populum.* Cum Clericatu, à Divo Augustino regimen animarum suscepêre Canonici Regulares, maximè cum ipse in hoc facem illis prætulerit, cum non alia de causa Presbyter fuerat consecratus, nisi ut Rectorem ac Parœcum civitatis ageret; quod nos modò vocamus *Curionem* aut *Curatum.* Id indicat Possidius cap. 4. & 5. vitæ ejus, dum narrat, quod *flagitante Ecclesia necessitate, Presbyter civitatis manu injectâ ordinatus est.* Quid enim sonat hîc vox *Presbyteri*, nisi Rectorem animarum, cum antiquitùs non ordinaretur Presbyter nisi alicui Ecclesiæ præficiendus, secundum illud Epist. 1. Petri, *Presbyteros* obsecrat *ut pascant qui apud ipsos est gregem Dei.* Et Actorum 20. ubi Paulus, *vocatis Presbyteris* præcepit, *ut attenderent sibi & gregi.* De Paulo etiam & Barnaba scribitur ibidem, quod pertranseuntes Lystram, Iconium & Antiochiam, constituerunt per sin-

gulas Ecclesias Presbyteros. Et tandem Canone 37. Apostolorum decernitur, *Quod si quis Presbyter non susceperit officium & curam populi sibi commissam, communione privetur.* Quod animarum onus Presbyteratui annexum pertimescens Hieronymus, noluit à Paulino Antiocheno Episcopo Presbyter ordinari, quin prius in sua Monachali professione se eum relicturum polliceretur, nec ad curam animarum pro solito Ecclesiæ more compelleret assumendam Epist. 61. ad Pammachium. In Concilio Emeritensi cap. 9. & Carthaginensi IV. cap. 36. & Suessionensi sub Pipino, nullo alio vocabulo *Curati* indigitantur, quàm Presbyterorum. Concilium item Ilerdense citatum à Burchardo lib. 2. cap. 184. & lib. 4. cap. 13. ac Ivo parte 1. & 6. capitibus 208. & 229. Meldense cap. 75. & Epaunense cap. 7. & Trosleïanum cap. 6. ac Hincmarus Epist. 7. cap. 20. non aliud nomen tribuunt Curionibus quàm Presbyterorum.

Si autem nomini *Presbyteri* adjicias vocabulum *civitatis* (sic enim loquitur Possidius de Augustino) nullus dubio locus erit, Augustinum Presbyterum fuisse, quod modò dicimus *Curatum* seu *Paræcum*, *civitatis* scilicet Hipponensis, quæ unicam conflabat Paræciam. Idque secundum modum loquendi Concilii Chalcedonensis, 20. annis post Augustinum celebrati, quod cap. 6. vocabulum *Curati* nondum usurpans, decernit Presbyterum non debere ordinari, nisi *Ecclesiæ civitatis*, aut Martyrii, aut Monasterii. Unde postea appellati fuere *Presbyteri plebium*, ut in Meldensi cap. 36. & tandem *Parochi* vel melius *Paræci*, à verbo παρέχω, quod idem est

ac præbeo. Olim enim erant *Parochi* qui legatis Romam missis, salem & ligna præbebant, ut ex Acronio in illud Horatii lib. 1. serm. Satyr. 5. *tum Parochi qui debent ligna salemque.* Sub quo ministerio salis & ligni omnium ciborum ministrationem comprehendi notavit *Marius Itala.* In eum sanè modum Rectoribus Ecclesiarum optimè convenit *Parochi* vel *Parœci* nomen; cum eorum officium sit præbere cibum spiritalem & alia subsidia spiritualia ovibus necessaria.

Habemus igitur Augustinum Presbyterum civitatis, seu plebanum, idest Parœcum & Curionem seu Curatum; cujus exemplo Clerici postea ab eo ordinati & instituti, id muneris ab eo edocti, ubique ferè Christiani orbis suscepêre. Nam sequutis temporibus, statim atque Canonici Augustini aliquam Ecclesiam aut Canoniam excitarant, certatim Episcopi, nobiles, cæterique ad quos patronatûs jura pertinebant, suo jure cessere in manibus ejusdem Ordinis Prælatorum, rati id esse illorum instituto peculiare & in votis præcipuum, Parœcias regere & administrare, eosque utpote Augustini filios, sic & ingentis illius charitatis, quæ pro animabus Deo lucrandis tanti viri pectus depascebat, hæredes esse debere.

CAPUT XLV.

Quomodo susceperit Augustinus regimen Paræciale? quámque formidandum, ejus exemplo, reputare debeant Canonici Regulares.

PEr vim & illacrymans Presbyteratum seu Rectoratum suscepisse legitur Augustinus; ita ut profusissimè flentem crassi & ignari homines solari conarentur, ex eo quod à Presbyteratu suscepto, brevi ipse ad Episcopatum ascensurus seu evehendus esset; de quibus sic scribit Epist. 148. ad Valerium. *Nescientes causas doloris mei quibus potuerunt sermonibus, qui omnino ad vulnus meum non pertinebant, tamen bono animo consolati sunt.* Quas quidem causas & veriores suarum lacrymarum fontes aperuit postea suis Clericis factus Episcopus Augustinus, scribente sic Possidio in ejus vita cap. 4. *Utque nobis retulit, majori consideratione intelligeret & gemeret, quàm multa & quàm magna suæ vitæ salutis pericula de regimine & gubernatione impenderent, atque provenire spectaret, & ideo fleret.* In eadem etiam Epistola ad Valerium, sic ait, *quia periculosissimum judicabam hoc ministerium, hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animadverterunt. Non enim* (ait Epist. 203.) *cogito in Ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere, sed cogito me Principi Pastorum*

omnium, rationem de commissis ovibus redditurum. Flebat igitur uberrimè attendendo sublimitatem, arduitatem, & sanctitatem illius muneris & oneris cui se imparem existimabat vir, licet doctissimus & sanctissimus. Flebat, inquam, quia præteritæ vitæ crimina nondum satis eluisse putabat, ut alios à vitiis revocaret, nondum se satis purgatum ut alios purgaret, nondumque ad eam sanctitatem attigisse quâ alios sanctificaret, noverat & illud à se scriptum cap. 32. de moribus Ecclesiæ, *Ministrorum Ecclesiæ virtutem eo mirabiliorem & majore prædicatione digniorem esse, quò difficilius est eam in multiplici hominum genere & in ista vita turbulentiore servare, non enim sanatis magis quàm sanandis hominibus præsunt, perpetiendaque sunt vitia multitudinis ut curentur.*

Ejus exemplo edocti Canonici Regulares, nonnisi maxima cum cautela officium pastorale susceperunt, vel omnino renuntiarunt. *Si enim*, ait Ivo Carnotensis Epistolâ ad Galterum 69. *indiscretè Regularibus Clericis onus regiminis animarum imponitur, in quibusdam Ecclesiastica disciplina frangitur, & ipsi fratres, qui in claustris tanquam in castris contra tentationes fortiter stabant & vincebant, cum soli in beneficiis ad pugnam prodeunt, in tentationibus facilè superantur.* Legerat enim vir Canonum peritissimus illud Gregorii lib. 4. Epist. 1. Joanni Ravennatensi Episcopo scriptum. 16. quæst. 1. laudatum p. 3. decreti sui cap. 18. *Neminem posse simul & Ecclesiasticis officiis deservire & in regulari observantiâ ordinatè persistere, ut ipse Monasterii districtionem teneat, qui quo-*

tidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Quod oraculi attendentes Canonici Regulares Congregationis Lateranensis, initio suæ instaurationis, jureque timentes ne dispendii plurimum ex cura animarum disciplinæ regulari accederet, Parochiis regendis renuntiandum esse existimaverunt; quas tamen rationabilibus de causis & accedente jussu summi Pontificis, utpote instituto conformes, ultrò postea suscepêre administrandas. Recusationis seu renuntiationis Parochialium Ecclesiarum causas, inter alias, afferebat, ex ea Congregatione non infimus Matthæus Bossus editâ Epistolâ 50. ad Fredericum Urbini Ducem, offerentem Cathedralem & Parochialem Eugubii Ecclesiam, Canonicis Lateranensibus; quorum nomine sic respondet; *Parochialium Ecclesiarum sic hodie est comperta conditio, sic consuetudo firmata, ut ad Regularem & arctam illam quam nos sequimur vitam, jam cooptari minimè possint, nos claustrales nostris institutis, communibusque decretis, solitudine cellulâque gaudemus, intenti præclaro legendi, meditandi, orandique otio; illæ verò Ecclesiæ consuetudines, familiaritates, deambulationesque non respuunt, sed ultrò præveniunt, nos certis horis silentium non violamus, illæ taciturnitatem nullam didicere. Cum decernuntur supplicationes populares, aut rogationes concelebrantur, nos urbes non collustramus, sed ejusmodi Ecclesiæ semper primæ sunt in acie; nos ceremoniis admodum castis collo oculove demisso rem nostram gerimus, in incessu illæ habitu, motu, rituque omni dispares sunt nobis. Adde nuptias quas benedicunt, puerperia quæ purificant, & hujusmodi cætera*

à quibus propter frequentiam puellarum ac mulierum tamquam à pestifero mortalique periculo sic abhorremus, & ita adversari professioni & sanctionibus nostris existimamus, ut adversari magis nil possit omnino.

Cum igitur ex una parte Canonici Regulares ex officio & ex instituto proindeque necessitate quâdam teneantur ad regimen Parochiarum suscipiendum; ex alia verò tot salutis aleæ & pericula immineant; nullum aliud remedium, & pro illo munere dignè defungendo,& saluti Parœcorum prospiciendo, præsentius existimaverim, quàm quod supra suppeditabat IVO CARNOTENSIS, *admovendos scilicet ad officium Pastoralem, eos qui in Collegio Canonico viri prudentes sunt & maturi, & igne tentationum examinati, sic enim* (ait) *Canonica institutio nulla dispendia patietur.*

CAPUT XLVI.

Epistola Augustini ad Valerium, ubi docet quibus præditus esse debeat dotibus qui ad Parœcialem curam assumitur.

DOmino Beatissimo Valerio Augustinus Pre-« sbyter in Domino salutem. Ante omnia« peto ut cogitet Religiosa prudentia tua, nihil« esse in hac vita, & maximè hoc tempore, fa-« cilius & lætius & hominibus acceptabilius Epis-« copi aut Presbyteri aut Diaconi officio, si per-« functoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil«

»apud Deum miserius & tristius & damnabilius.
»Item nil esse in hac vita, & maximè hoc tem-
»pore difficilius, laboriosius, periculosius Episco-
»pi aut Presbyteri vel Diaconi officio; sed apud
»Deum nil beatius, si eo modo militetur, quo
»noster Imperator jubet. Quis autem sit iste mo-
»dus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea
»didici, & eo tempore quo discere cœperam,
»vis mihi facta est merito peccatorum meorum.
»Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus
»locus gubernaculorum mihi traderetur, qui re-
»mum tenere non poteram. Sed arbitror Domi-
»num meum propterea me sic emendare voluisse,
»quod multorum peccata nautarum, antequam
»expertus essem quod illic agitur, quasi doctior
»& melior reprehendere audebam. Itaque post-
»quam missus sum in medium, tunc sentire cœpi
»temeritates reprehensionum mearum, quam-
»quam & antea periculosissimum judicarem hoc
»ministerium. Et hinc erant lacrymæ illæ quas
»me fundere in civitate, ordinationis meæ tem-
»pore, nonnulli fratres animadverterunt, & ne-
»scientes causas doloris mei, quibus potuerunt
»sermonibus, qui omnino ad vulnus meum non
»pertinerent, tamen bono animo consolati sunt:
»sed multò amplius expertus sum quàm putabam;
»non quia novos aliquos fluctus aut tempestates
»vidi, quas antè non noveram, vel non audie-
»ram, vel non legeram, aut non cogitaveram,
»sed ad eas evitandas vel perferendas solertiam
»& vires meas omnino non noveram, & ali-
»cujus momenti arbitrabar; Dominus autem ir-
»risit me, & rebus ipsis ostendere voluit meip-
»sum mihi, quod si non damnando sed miseran-
do

do fecit; hoc ipſum ſpero, certè vel nunc co-« gnitâ ægritudine meâ debeo ſcripturarum ejus« medicamenta omnia perſcrutari, ac orando &« legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ« ad tam periculoſa negotia tribuatur, quod antè« non feci, quia & tempus non habui; tunc enim« ordinatus ſum cum de ipſo actionis tempore ad« cognoſcendas divinas ſcripturas cogitaremus, &« ſic nos diſponere vellemus, ut nobis otium ad« hoc negotium poſſet eſſe. Et quod verum eſt,« nondum ſciebam quid mihi deeſſet ad tale opus,« quale me nunc torquet & conterit; quod ſi pro-« pterea didici quid ſit homini neceſſarium qui po-« pulo miniſtrat Sacramentum & verbum Dei, « ut jam mihi non liceat aſſequi, quod me non« habere cognovi, jubes ergo ut peream, Pater« Valeri? Ubi eſt charitas tua? certè diligis me,« diligis ipſam Eccleſiam, cui me ſic miniſtrare« voluiſti; ſed putas me idoneum cum ego melius« me noverim, qui tamen nec ipſe me noſſem, ni-« ſi experiendo didiciſſem. Sed dicit fortaſſe ſan-« ctitas tua, vellem ſcire quid deſit inſtructioni« tuæ; tam multa autem ſunt, ut faciliùs poſſim« enumerare quæ habeo quàm quæ habere deſide-« ro. Audeo enim dicere, ſcire me, & plenâ fi-« de retinere quid pertineat ad ſalutem noſtram,« ſed hoc ipſum quomodo miniſtrem ad ſalutem« aliorum, non quærens quod mihi utile eſt, ſed« quod multis ut ſalvi fiant. Et ſunt fortaſſe ali-« qua, imo non eſt dubitandum eſſe in ſanctis li-« bris conſcripta conſilia, quibus cognitis & ap-« prehenſis homo Dei poſſit rebus Eccleſiaſticis« ordinatioribus miniſtrare; aut certè inter manus« iniquorum vel vivere conſcientiâ ſaniore, vel«

»mori ut illa vita non amittatur, cui uni Christiana corda humilia & mansueta suspirant. Quomodo autem hoc fieri potest, nisi quemadmodum Dominus dicit, petendo, quærendo, pulsando, idest orando, legendo, plangendo? Ad quod negotium mihi parvum tempus vel usque ad Pascha impetrari volui per fratres à tua syncerissima & venerabili charitate, & nunc per has preces volo. Quid enim responsurus sum Domino judici: non poteram ista jam quærere, cum Ecclesiasticis negotiis impedirer. Si ergo mihi dicat, serve nequam, si villa Ecclesiæ calumniosum aliquem pateretur, cujus fructibus colligendis magna opera impenditur neglecto agro quem rigavi sanguine meo, si quid agere pro ea posses apud judicem terræ, nonne omnibus consentientibus, nonnul'is etiam jubentibus & cogentibus pergeres; & si contra te judicaretur etiam trans mare proficiscereris, atque hoc modo vel annuam vel amplius absentiam tuam nulla querela revocaret; ne alius possideret terram non animæ sed corpori pauperum necessariam: quorum tamen famem vivæ arbores meæ multò faciliùs mihique gratiùs, si diligenter colerentur, explerent? Cur ergo ad discendam agriculturam meam vacationem temporis tibi defuisse causaris? dic mihi quid respondeam, rogo te? An fortè vis dicam, senex Valerius, dum me omnibus rebus instructum credidisset, quantò me amplius dilexit, tantò minus ista discere permisit, attende ista omnia, senex Valeri, obsecro te per bonitatem & severitatem Christi, per misericordiam & judicium ejus, per eum qui tantam tibi inspiravit

erga nos charitatem, ut te nec pro lucro animæ« nostræ audeamus offendere; ipsam ergò chari-« tatem & affectum imploro, ut miserearis mei, « & concedas mihi, ad hoc, quod rogavi, tem-« pus; atque adjuves me orationibus tuis, ut non« sit inane desiderium meum, nec infructuosa Ec-« clesiæ Christi atque utilitati fratrum & conservo-« rum meorum absentia mea. Scio quod illâ cha-« ritate pro me orante, maximè in tali casu, non« despiciet Deus, & eam sicut sacrificium suavi-« tatis accipiens fortassis breviore tempore quàm« postulavi, me saluberrimis consiliis de scripturis« suis reddet instructum. Vale. «

Ex qua Epistola docentur omnes animarum Rectores, suum exercendum esse ministerium petendo, quærendo, pulsando, idest, orando, legendo, plangendo. Monentur etiam secessum aliquando petere; quò, in otio contemplationis, ad negotium regiminis se se accingant. Qui quidem secessus corporalis aliquando, mentalis verò semper Parœco necessarius est, sistitque in horrore seculi, vanitatum, ludorumque detestatione, conviviorum fugâ, exemplo egregii illius Episcopi Alipii, Augustini Achatis & Discipuli, ad quem utpote Pastorem eximium sic scribit S. Paulinus Epist. 35. *Per sanctitatem tuam nostris invicem salutentur obsequiis, in Clero sanctitatis tuæ comites. Nam etsi in populis & super populum agas oves pascuæ Domini, regens sollicitis vigil pastor excubiis, tamen abdicatione seculi, & repulsâ carnis & sanguinis desertum tibi ipse fecisti, secretus à multis, vocatus in paucis.*

CAPUT XLVII.

Epistola Petri Blesensis ad quemdam Canonicum Regularem ambientem Prioratum-Curatum dehortatoria ab ejusmodi cura animarum ambienda maximè juvenibus.

» CLaustrum & custodiam posueram ori meo, » sed illud in amaritudinis verba laxare com» pellor, cum tu juvenis & claustralis appetas » Prioratum. Dicis quod in Parochia Prioratûs » quem postulas multos lucrifaceres Deo; de tuo » siquidem lucro dubius, de tua perditione sum » certus. Nam quid est claustralem redire ad se» culum, nisi cœli habitatorem cadere in infer» num? vis præesse antequam subesse aut coesse » didiceris, & disciplinatum prævenis magistratu. » Ordo hic præposterus est, priusquam doceas » expedit te doceri. Apostolus Timotheum instruens » qualem deberet eligere in ministerium verbi » Dei; non Neophytum, inquit, ne fortè subito » elatus in superbiam incidat & in tentationem » diaboli. Periculosum est Neophytis & nondum » in sacra Religione firmatis exire in publicum, » & usurpare officia perfectorum; nam filius Su» namitis quoniam adhuc tener & puerulus egres» sus est ad messores, revertens ad matrem & » clamans caput meum doleo, extinctus est; Di» na filia Jacob nisi in publicum exiisset, Sichem » raptoris sui violentiam declinasset; Item Jacob

mansuetus computatur qui domi sedebat, quan-« do Esaü durus & hispidus exteriùs venabatur.« Utinam desiderium tuum esset jugo Domini as-« suescere, & sedere in claustro, maximè dum« adolescentia est in cursu; nam teste Sapientiâ, « *bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia levavit se supra se.* Proni autem sunt« sensus hominis, sicut dicit Scriptura, ab ado-« lescentia in malum. Amplectere igitur jugum« Domini & delectare in vinculis ejus. Scio equi-« dem quod sciolus es, & tecum aliquid de scho-« lari scientia attulisti in Claustrum, verumtamen« non existimes te habere spiritum Dei, donec« draco Moysi devoret dracones Pharaonis, do-« nec scientia charitatis evacuet licentiam vanita-« tis. Adhuc juvenis es & ignoras qualiter te in« agricultura Domini oporteat laborare: scriptum« quippe est in lege Domini, *non arabis in pri-« mogenito bovis.* In Levitico legis, *Si obtule-« ris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igni & confringes eas in modum farris.* In quo vita« juvenum patenter exprimitur, quorum mentes« adhuc desideriorum carnalium humoribus gra-« vidæ & tumentes, non acceptantur in sacrificio« Domini, nisi prius igne tribulationis torrean-« tur; nec paleas priorum deponunt affectuum, « nisi per laborem & abstinentiam confringantur.« Verbum Ecclesiastici est. *Non te immittas in« populum, nec alliges tibi peccata duplicia.* Quod« quidam faciunt, qui citra meritorum sufficien-« tiam officium docentis assumunt. Sicut asseris, « charitas ad magisterium te compellit. Cui pu-«

»tas illudere? Apostolus ad Corinthios loquens
»dicit; *charitas non est ambitiosa, non agit
»perperam*, nos autem scimus quod perperam fa-
»cis, & ad hoc cœca ambitio te inducit. Non
»fuerunt Principi Apostolorum commissæ claves
»regni cœlorum, donec ternâ fidei confessione
»probaretur. Utinam suscitaverit Dominus spi-
»ritum tuum qui suscitavit ad liberationem Su-
»sannæ spiritum pueri junioris. Ipse suscitasse le-
»gitur spiritum Othoniel, spiritum Deboræ,
»spiritum Gedeonis & aliorum omnium, quo-
»rum ministerio ad liberationem populi sui ute-
»batur. Lex Imperialis minorem viginti quin-
»que annis ad tutelæ officium non admittit, sed
»nec Ezechieli donec tricesimum annum compleat,
»aperiuntur cœli ut Dei visiones intelligat. Nec
»Moyses ad liberationem populi de Ægypto mit-
»titur, donec annos septuaginta transcendat. Do-
»leo quod Prioratum desideras, Prioratum au-
»tem leviter obtineres, si desiderares esse poste-
»rior. Ille qui solus de pulvere erigit pauperem,
»in schola Evangelicæ disciplinæ nos erudit non
»appetere prælaturam. Ardes desiderio lucendi
»aliis, utinam arderes ardenti desiderio non lu-
»cendi. Sufficiat tibi si in Claustro ardeas. Si
»enim vis lucere coram hominibus, timeo ne lu-
»men quod in te est tenebræ sint. Bonum est ar-
»dere, sed igne charitatis, non vanitatis. Ardeat
»siquidem & luceat ille quo major inter natos mu-
»lierum veritatis testimonio non surrexit. Tu
»verò quandiu sub modio es, ardere tibi potes
»& lucere, sed paucis; lucere autem publicè non
»est tibi datum, donec super candelabrum collo-
»ceris; sustineas igitur interim & ardeas sapien-

ter. Ardet enim reprobus, sed sicut ignis in spi-« nis. Exarserunt & iniqui (sicut legitur) in con-« cupiscentiis suis. Si vis exire de Claustro, ut ob-« tineas libertatem, devias & aberras; recedens« enim à Claustro, elongaris à Deo. Nec possum« te videre liberiorem, quàm si pro Christo Clau-« stralem subeas & impleas servitutem. Dicis quod« si haberes Prioratum, aut saltem liberam egre-« diendi & prædicandi licentiam, fructum in Ec-« clesia Dei faceres tempestivum; faceres quidem,« nisi quod jam mundus osculo Judæ proditorio te« venderet: & cum te fallaci osculo alliceret, an-« gelis sathanæ diceret; *quemcumque osculatus« fuero, ipse est, tenete eum :* ama quæso Clau-« strum, & abscinde ab animo tuo desiderium« exeundi; nam juxta sententiam cordis mei, si« paradisus in hac vita præsenti est, vel in Clau-« stro est, vel in scholis; quidquid enim extra« hæc duo est, plenum est anxietate, inquietudine,« amaritudine, formidine, sollicitudine & dolore.« Tu verò nescio quam somniasti dulcedinem se-« culi in Claustro; quam si fortè per insipientiam« apprehenderis, avolabit ut somnium, & inter« nugatorias beatitudines quas suspiras invenies« te delusum. Fallax & seductoria illa evagandi« voluptas, consumet Claustralis innocentiæ fru-« ctus, & quod nunc reputas honorabile & lucro-« sum, in tuæ famæ dispendium & periculum ani-« mæ convertetur. Hæc egregiè Blesensis Epistolâ« 13.

CAPUT XLVIII.

Primum medium conservandæ sanctitatis in Canonico Regulari Paræco seu Beneficiato ab Augustini exemplo desumptum, est fuga mulierum, maximè conviventium.

PRæclara sanè est Divi Chrysostomi, & aurea sententia, ex lib. 6. de Sacerdotio, ubi de Rectore animarum sermonem faciens, præter alias insignes dotes, quibus eum instrui oportere testatur; addit. *Summâ etiam puritate animi opus esse; non enim potest* (ait) *qui gregis curam suscepit, viris tantùm curandis operam dare, sed etiam mulieribus; quâ in parte magnâ profectò opus est providentiâ, quod facile ad peccandum quisque proclivis sit. Sed oportet Rectorem animarum pro illarum salute si non majorem at parem certè curam studiumque impendere; eas enim invisere ægrotantes, & solari lugentes, & increpare languentes, & adjuvare afflictas oportet, quæ omnia dum fiunt plures irrumpendi aditus dæmon invenire potest, nisi exactissimâ quis ac munitissimâ custodiâ se sè vallaverit, quippe animum ipsum ferit ac commovet non impudicæ tantùm, sed etiam pudicæ mulieris oculus.* Illius salutis aleæ ac periculi ex allocutione vel convictu mulierum, non ignarus Augustinus animarum Rector; in tantum eas refugiebat ut de eo Possidius scripserit, *nil un-*

quam fuisse vel humilius vel continentius. Tantum nempe per sacri baptismi lavacrum mutatus fuerat ab illo priore Augustino, qui nonnisi gloriam inanem aucupabatur & in cœno carnis volutabatur. Sed quomodo nil Augustino continentius? Audi laudatum Possidium cap. 26. *Si fortè ab aliquibus fœminis ut videretur vel salutaretur, rogaretur; nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset.* Et id de exteris fœminis; convictrices autem nullas unquam habere voluit etiam sanguine propinquiores, easque maximâ sanctitate commendabiles. Quod idem Possidius ibidem sic declarat. *Fœminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitûs sui Præposita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant; quas personas sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis secumque manentibus fœminis esse non possent, & quod ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de iis posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci; & illos qui cum Episcopo vel quolibet Clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminis unà commorantibus aut adventantibus, humanis tentationibus posse perire; aut certè malis hominum suspicionibus pessimè diffamari; propterea igitur dicebat nunquam debere fœminas cum servis*

Dei etiam castissimis in una manere domo, ne aliquod scandalum vel offendiculum hoc exemplo poneretur infirmioribus. Tanti autem momenti illud Augustini dictum & factum fuisse existimavit Ecclesia, ut suis legibus inseruerit *D.* 8. *C. legitur.* Illud idem sanxêre Patres 5. Concil. Aurelian. Can. 3. & 2. Concil. Alvern. Can. 3. Hinc est quod Theodulphus Episcopus Aurelian. *Capitul. cap.* 12. *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 214. ait. *Nulla fœmina cum Presbytero, in una domo habitet, quamvis enim Canones matrem & sororem & hujusmodi personas, in quibus nulla sit suscipio, cum illo habitare concedat, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, sive occasione illarum veniunt aliæ fœminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.*

CAPUT XLIX.

Alterum medium assequendæ aut servandæ sanctimoniæ in Canonico animarum Rectore, haustum ab eodem Augustino, societas commanentium Clericorum seu Concanonicorum.

DE Augustino Rectore animarum civitatis Hipponensis vix constituto scribit Possidius, cap. 5. ejus vitæ, *factum Presbyterum statim cum servis Dei vivere cœpisse secundum modum & Regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maximè ut nemo quidquam proprium in illa so-*

cietate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur unicuique, prout cuique opus erat. Et de Episcopo Augustino cap. 25. *Cum ipso semper Clerici unà etiam domo ac mensâ, sumptibusque communibus alebantur.*

Hinc est quod summi Pontifices instituêre ut parentis Augustini sequuti exemplum Canonici Regulares Parœci & Beneficiati, socios haberent convictores. Sic Benedictus XII. statuit Constitutione 30. *Quod Canonici Regulares obtinentes Prioratus, in ipsis residere, & si suppetant facultates, socium vel socios sui Ordinis secum habere, juxta suas facultates teneantur, ad idque compellantur Parochi renuentes eos accipere, censuris Ecclesiasticis.* Ante Benedictum idem decreverat Innocentius III. Capite *Quod Dei timorem. De statu Monach. & Can. Reg.* sed mitiori lege. Cum enim quæsitum ab eo fuisset an Plebanus S. Gravini, qui professus fuerat Canonicum Regularem, posset post professionem suum plebanatum retinere, Pontifex affirmativè respondit, *dummodo* (ait) *si commodè fieri possit unum Canonicum Regularem secum habeat ad cautelam, cujus in his quæ Dei sunt, & Regularis observantiæ tam consortio quàm solatio perfruatur.* Dixit, *si commodè fieri possit*; nam idem Pontifex id in rigore præcipi censet solis Monachis, his verbis ibidem. *Licet enim in Lateranensi Concilio de Monachis caveatur, ne singuli per villas & oppida per quascunque Paræciales ponantur Ecclesias, id tamen specialiter de Canonicis Regularibus non cavetur, quia etsi à sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, Regulæ tamen inserviunt laxiori.*

Alexander III. in litteris Joanni Abbati sancti Joannis in vineis Suessionensibus; statuit, *ut si in civitate Suessionensi, castro vel villâ, aliquem ex suis Canonicis Paræcialem esse Presbyterum contingat, in eadem domo cum fratribus suis moretur.* Et Hugoni Abbati anno 1179. *Præsenti scripto vobis duximus indulgendum, ut liceat vobis in Ecclesiis vestris cum vacaverint, quoslibet de Canonicis vestris ponere, dum tamen soli non remaneant, ita quod Diœcesano de spiritualibus, vobis verò de temporalibus, & Ordinis observantiâ debeant respondere.* Eidem Hugoni Lucius; *In Paræcialibus Ecclesiis vestris liceat vobis tres aut quatuor de Canonicis vestris ponere, qui vobis de temporalibus & Ordinis observantia debeant respondere.*

Id etiam summoperè curarunt observari apud suos Canonicos, insigniores illius Ordinis Canonici viri, inter quos eminet Ivo Carnotensis qui Epist. 213. ait. *Nullus Clericus à communi vita excipitur, nec civilis nec suburbana Ecclesiæ Presbyter*; post hunc Stephanus Tornacensis S. Genovefæ Parisiensis Abbas: Epistolâ enim ad Electum Carnotensem 136. meminit duorum ex suis Canonicis apud Sosiacum curam Parochiæ gerentium, quos ei amicè commendat. Idem Epistolâ 171. Nivelloni Episcopo Suessionensi commendat Canonicos Regulares suos S. Vedasti de Firmitate Milonis, quorum *tenuem dicit esse lucellum, nec distento vivere marsupio.* Et tandem inauguratus Episcopus Tornacensis Epist. 199. Abbatem S. Genovefæ monet, ut si (Deo volente) contigerit, ut capellam suam Beatæ Virginis

Genovefæ (puta Nemethodorensis) pacificè possit habere, melius fore *ut per honestos fratres de Collegio suo eam gubernet, quàm aliquam ibi secularem personam instituere.* Id porro censuêre factitandum apud Canonicos Regulares, SS. Patres secundùm Decretum Concilii Vasensis 2. *an.* 529. *Can.* 1. *Placuit ut omnes Presbyteri qui sunt in Parochiis constituti, secundum consuetudinē quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni patres spiritualiter nutriant, psalmos parare doceant, & divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, ut & sibi dignos successores provideant, &c.* Hos autem Presbytero Parochiali aut Archipresbytero conviventes Clericos, Concilium Turonense II. anni 567. Can. 19. vocat *Canonicos.* Inde apud Regulares factum est, ut qui parvis illis conventibus in Parochialibus Ecclesiis Rector præesset, Prioris nomine insigniretur.

Ex illis porrò societatibus parvisque conventibus Canonicorum in Parochialibus Ecclesiis factum est, ut Rector, *Prioris* nomine insigniretur; sic enim vocantur, in litteris Apostolicis, Jureconsultis, & statutis Monasteriorum, ac etiam maximè in Polariis, (ut vocant,) quam quidem societatem quotidie solvi facultatum imminutione, sanè dolendum est, cum in id præcipuè instituta esset, ut Rector, *in his quæ Dei erant & regularis observantiæ tam consortio quàm solatio perfrueretur*, ut ait suprà laudatus Innocentius; & ruptâ illâ societate timendum sit (ut

verebatur Ivo Carnotensis Epist. 69. ad Galterum Abbatem Stirpensem ejusdem Ordinis Canonici) *ne disciplina frangatur Ecclesiastica, & ipsi fratres, qui in Claustris tanquam in castris contra tentationes fortiter stabant & vincebant, cum soli ad pugnam prodeunt, in tentationibus facilè superentur.*

CAPUT L.

Tertium medium pro retinendis in officio Paræcialibus Canonicis, revocabilitas; seu manualitas.

HAnc manualitatem seu potestatem Superiorum revocandi ad Claustrum Canonicos Regulares Beneficiarios, stabiliunt antiqua jura & decreta Summorum Pontificum. Alexander III. celebri diplomate eam decernit pro Canonicis Regularibus sancti Bartholomæi Noviomensis, cujus tenor hic est ex Authentico apud eos asservato. *Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, Abbati & fratribus S. Bartholomæi Noviomensis salutem & Apostolicam Benedictionem. Pia & rationabilia vota promovere nos convenit, & justa desideria singulorum & eorum maximè, qui sub Religionis habitu omnipotenti Deo placere desiderant, & ei gratum satagunt impendere famulatum; ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, auctoritate vobis Apostolicâ duximus indulgendum,*

ut liceat tibi, fili Abbas, cum consilio Capituli tui, fratres vestros, qui in Ecclesiis vestris fuerint, ab eisdem Ecclesiis ad Claustrum vestrum sine contradictione qualibet revocare; statuimus insuper, ut fratres qui in præscriptis Ecclesiis curam animarum habuerint, priùs debeatis Diœcesano Episcopo præsentare, à quo animarum curam suscipiant, ita quidem quod ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Datum Tusculani 4. Id. Martii.

Alexandrum sequitur Innocentius III. qui querelis Præpositi Nemanensis Ecclesiæ, Ordinis Canonici Regularis sancti Augustini, permotus, quod Canonici quidam illius Ecclesiæ Beneficiati obtinuissent litteras confirmationis & perpetuitatis in administratione suorum temporalium, sic rescripsit summus Pontifex Præposito Cathedralis Ecclesiæ Uticensis ejusdem Ordinis, *Ad nostram audientiam, Præposito Nemanensis Ecclesiæ significante pervenit, quod quidam Canonici Nemanensis Ecclesiæ à nobis litteras confirmationis super administrationibus suis obtinere laborant, Religionis suæ conditione suppressâ; cum igitur regularibus personis non consueverit Apostolica Sedes aliqua personaliter confirmare, mandamus quatenus confirmationes quas ab ipsis Canonicis, (cum Regulares existant) noveritis taliter impetratas, denuntietis irritas & inanes.* Extat hoc rescriptum *in Decretalibus Gregorii lib. 2. tit. 30. de confirmatione utili vel non utili.* Et ibidem eidem Præposito Nemanensi idem summus Pontifex rescribit. *Porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, quod plures ex Religiosis, qui Prioratibus & aliis administrationibus*

præsunt, à nobis super ipsis quoad vixerint possidendis, confirmationis litteras se adserunt impetrasse, quâ occasione bona ipsorum Prioratuum distrahunt & consumunt, asserentes se tibi quoad Prioratus illos nullâ ratione subesse; cum igitur à Cancellaria nostra hujusmodi litteras emanasse non credamus, mandamus quatenus illos qui tales litteras exhibuerint, in quibus Prioratus vel Administrationes tanquam Religiosis confirmantur, eosdem plectas tanquam falsitatis auctores; si verò in eis non sit mentio Religionis eorum, illas tanquam tacitâ veritate subreptas denunties non valere.

Clemens V. in Concilio Viennensi & cap. *Quia Regulares de suppl. neglig. Prał.* decernit, ut Episcopi conferant Beneficia, Prioratus & Administrationes, quas Prælati Regulares ut eas uniant mensis suis, differunt committere. Supra quod verbum *committere*, Glossatores notant Beneficia Regularia non debere esse nisi manualia & revocabilia.

Denique Benedictus XII. Constitutione pro generali reformatione Ordinis Canonici inserta magno Bullario Laërtii Cherubini sic statuit; *Præcipimus quod Canonici Religionis præfatæ, qualiacunque in ipsa Religione, auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius Beneficia obtinentes, obediant Superioribus suis Religionis ejusdem, ipsorumque subsint correctionibus, punitionibus & statutis, ac Beneficiis ejusmodi ex causis rationabilibus privari, & ab illis amoveri possint; quemadmodum possent, si foret per Superiores ipsos de ipsis Beneficiis eis provisum.*

Quantum

Quantum verò ad Canonicatus & Dignitates Cathedralium Regularium, etiam de jure manuales esse probat Ægidius decisione 203. atque ideo Superiorem privare posse & destituere Canonicos, ut Rota declaravit apud Farin. Decisione 20. numero 4. parte 1. Et idem censet Barbosa de Canonicis cap. 1. numero 19. Profert autem hujus rei memorabile exemplum Joannes Molanus lib. 1. de Can. cap. 14. ubi ponit Rescriptum Ecclesiæ Coloniensis ad Canonicos Trajectenses, cum enim in Ecclesia Trajectensi fervor regularis disciplinæ relaxaretur, & Godebaldus Episcopus cœpisset primam Præbendam Decano majoris Ecclesiæ conferre, quibusdam renitentibus; Ecclesia Coloniensis quam super ea re consuluerant, in hunc modum respondit, *Dominis ac fratribus nostris sanctæ Trajectensis Ecclesiæ tam majoribus quam minoribus salutem, ut Præpositura, Decania, vel aliqua Claustralis obedientia pro Beneficio habeatur, aut Beneficium nominetur, Ecclesiæ nostræ consuetudo non patitur.* Addit Molanus sub Philippo 48. Episcopo, eamdem Coloniensem Ecclesiam de fervore regularis observantiæ omnino remisisse; unde conjicitur, sic rescripsisse Colonienses Canonicos ante annum 1170. quo Coloniensi Ecclesiæ præerat idem Philippus, testibus Auctoribus *Galliæ Christianæ*; qui & notant ex eodem Molano laudato, eo anno & sedente eodem Philippo, *Canonicos Colonienses factos fuisse seculares.* Quot verò annis ante 1170. illud rescriptum emanarit, colligimus ex iisdem Auctoribus *Galliæ Christianæ* qui Godebaldi illius Episcopi Trajectensis meminêre in Catalogo Trajectensium Episcoporum, anno

1119. & fatis concessisse anno 1128. scribunt, cujus ut patet ætate in Coloniensi & Trajectensi Ecclesiis, quarum hæc tunc ab illa dependebat; Canonicatus & Dignitates, Beneficia non erant, sed Officia & Administrationes omnino manuales, nullaque ratione titulares.

CAPUT LI.

Stephani Episcopi Tornacensis sententia de manualitate Canonicorum Regularium Beneficiariorum.

REnuebant illius ætate Beneficiarii Canonici S. Joannis in Vineis Suessionensibus obtemperare Abbati suo Hugoni eos à Beneficiis ad Claustrum pro nutu revocare volenti, favebat ipsis Nivello Episcopus Suessionum. Consulit Hugo Stephanum tunc Abbatem S Genovefæ Parisiensis, quid rerum ageret in tali observantiæ regularis discrimine? Is Canonicæ & Religiosæ vitæ fervidus propugnator, mores ejusmodi Canonicorum improbans, inobedientiamque detestatus, urget summum Pontificem ut tanto malo mederetur, *in Epist.* 109. ubi sic scribit, *Præter communes Ecclesiæ Dei pressuras, quibus nova monstra diebus nostris Christum iterum crucifigunt, & de patrimonio ipsius animarum tributa in delicias lascivientes effundunt, clamat Regularium Pater Augustinus Regulam auream, quam ab Apostolis mutuò acceperat, diripi, frangi & pedibus conculcari, inter hujus corru-*

ptionis & insaniæ filios tanquam mortiferæ cohortis duces erigunt capita Canonici S. Joannis Suessionensis, regularem in se præferentes habitum, & secularem obitum inferentes, in Patrem armati, mortali vulnere matrem confodiunt, & eum quasi signum ad sagittam exponentes etiam in alios ejusdem professionis consocios crudeliores existunt. Per obedientias inobedienter vivunt, nec Abbati revocanti, respondere, nec corrigenti volunt acquiescere, nec credere corripienti; hujus nequitiæ suæ velamentum, & excusationis opponunt causam, Auctoritatem Episcopi sui, qui contra sacram quam professi sunt disciplinam, armat eos & animat ne Abbati suo reverentiam exhibeant, quam ei inter prima suæ conversionis auspicia tanquam jurati milites promiserunt. Insurgat, Pater, vestra severitas; imo exerat se veritas contra tantæ insolentiæ bestias contumaces, & eripite pauperem à potente, cui præter Sedem Apostolicam non est adjutor, ut exemplo istorum discant alii sub obedientia Prælatorum disciplinam suscipere pariter & doctrinam; & Epist.179. *Verum perhibemus testimonium quod ab exordio Ordinis nostri Parochiales Canonicos nostros in Episcopatibus in quibus sunt, liberè & absque ulla contradictione pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum nostrarum; vel pro correctione culparum consuevimus amovere, & in Claustrum reducere, & quoties res urgebat excommunicare.* Quibus justis querelis motus Pontifex Alexander III. tùm Abbati S. Joannis in Vineis, tùm S. Victoris Parisiensis, tùm etiam S. Bartholomæi Noviomensis rescripsit, fore in potestate

Abbatis *de consilio & assensu fratrum discretorum in obedientiis Priores ponere, & eos inde absque contradictione alicujus personæ Ecclesiasticæ vel secularis liberè ad Claustrum revocare, sicut constat prædecessoribus licuisse*. Ejusdem etiam tenoris litteras obtinuêre Canonici S. Genovefæ à Clemente VII. & Celestino III. ut colligitur ex Diptycis earum Ecclesiarum. Idem renovavit Benedictus XII. præcedenti capite laudatus.

CAPUT LII.

Afferuntur rationes Iureconsultorum pro manualitate Beneficiariorum Canonici Ordinis.

PAnormitanus secutus alios juris Canonici Interpretes super caput *Ad nostram audientiam* in Decret. Gregorii lib. 2. tit. 30. duas profert non spernendas pro Beneficiariorum Ordinis Canonici manualitate rationes.

Prima est. Quia (ait) Regulares non possunt sibi aliquid appropriare, sed id totum Monasterii est, quocunque se verterint & quacunque arte acquisiverint, unde & nil eos retinere debet in Beneficio, & nil officitur eis dum revocantur.

Secunda est. Quia ejusmodi perpetuitas bonum obedientiæ dissolvit, & vim voti paupertatis maximè deprimit, & Claustralium correctione impediti, cum duriùs aliquando correpti de Beneficiis adipiscendis cogitant, ubi perpetuò pro li-

bidine vivant. Facillimè autem Beneficiati Canonici Regulares in officio continebuntur, si suarum *Administrationum* privationem formidarint, quæ eo nomine, vel *Obedientiarum* vulgò nuncupantur, propter infirmam illam naturam manualitatis aut revocabilitatis Beneficiorum.

CAPUT LIII.

An solo nutu, vel justis de causis possit Superior revocare Canonicum Regularem Beneficiarium.

RESpondent Jureconsulti, *Imola*, *Rebuffus*, & *Navarrus*, non posse ejusmodi Canonicos, nec debere revocari, aut destitui, solo nutu seu pro libito aut voluntate Superiorum, absque causa probabili, æquâ ac rationabili, quia (inquiunt) *nemo sine culpa jure suo privandus est.* In eam rem *Zipaus* laudat Constitutiones editas à summis Pontificibus pro facultate destituendi & amovendi, quam habent Superiores erga subditos, quoties eis videbitur; sed (ait) eâ facultate non pro libidine, sed arbitrio boni viri uti oportet, atque justis de causis. *Quia* (inquit) *honor delatus finem certi temporis ac loci non habet.* Addit præterea non licere Superioribus, amovibiles ad nutum destituere ex causa infamante, nisi cognitâ & probatâ: *Quia* (inquit) *Prælati non habent in sui subditos potestatem vitæ & necis, quâ gravior est infamia.* Præterquam quod in totius Ordinis ac etiam Cleri opprobrium

verteretur; unde docet Navarrus peccare graviter Prælatum, qui suum destituit Religiosum sine justa causa.

Hinc est quod Alexander III. in Diplomate superiùs relato pro manualitate Beneficiariorum, decernit revocationem seu destitutionem fieri debere, *cum consilio Capituli*. Et Benedictus XII. *justis ac rationabilibus de causis*.

Sed, amabo, tenentur Superiores eas causas explicare aut dicere revocandis? Respondet laudatus Zipæus affirmativè, si causa sit infamans, quia tunc debet cognosci & probari, cujus rei exemplum suppeditat Divus Benedictus cap. 65. suæ Regulæ, ubi vult Præpositum destituendum moneri & corrigi ante destitutionem; & si non se correxerit, tunc ejiciendum esse de ordine Præpositura, & alium ejus loco subrogandum. In eum modum correctus Beneficiarius fortè emendaret in se causam seu culpam propter quam revocandus esset, cum eam monitus agnosceret. Verùm si causa non sit infamans, justa tamen & rationabilis sit, hanc non tenetur explicare revocando Superior, quia ei tunc nulla fit injuria.

Quapropter, (ait Navarrus comment. 2. de Regularib. num. 65.) Beneficiarius Regularis non potest agere de spolio contra suum Superiorem spoliantem se absque malo animo, Beneficio Regulari manuali secundum *Innocent.* Et sequitur *Rota: nam* (inquit) *si malo animo spoliaret, posset agere.* Ut cum Prælatus accusatus ab eo, vel inquisitus ad ejus instantiam, spoliat; secundum Archidiaconum & Rotam; quia præsumitur id facere animo vindicandi, vel aliàs malo. Et consequenter eadem ratione posset agere, quo-

ties præsumeretur id malo animo facere secundum Innocent. *in cap. insinuante. Qui Clerici vel voventes.* Quod autem addit Navarrus prorsus durum est ac tanti viri pace, non admittendum, scilicet *Superiores raro vel nunquam revocare manuales Beneficiarios, nisi ob indignationem & stomachum, quos propterea* (ait) *Gallica Parlamenta ferè semper restituunt.* Nam reverâ óptimo animo sæpissimè revocant, vel ad exercitium virtutis, vel etiam ut suos inferiores in altiorem gradum vel utiliorem collocent in Claustris; ut rectè monuit supra cap. 50. Stephanus Tornacensis. Unde dixerim manualitatem Beneficiariorum Ordini Canonico & Ecclesiæ utilissimam fore, quandiu Superiores revocantes solam Dei gloriam & salutem animarum præ oculis habituri sunt; at verò injuriosam Beneficiariis & Ecclesiæ damnosam, dum non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt sectaturi, & Beneficiariis cedentibus favore demeritos subrogaturi. Quod tamen ne ultrò fieret, pertimescens Ecclesia, perpetuitatem Beneficiariorum Regularium novo jure induxit, prætulitque antiquæ manualitati, cum derogatione Capitum *Porrecta.* & *Ad nostram audiendiam.* Quæ habes supra cap. 40.

CAPUT LIV.

Canonicus Regularis Beneficiarius non potest testari de' suis redditibus.

SEculares Beneficiarii possunt testari de bonis patrimonialibus, quasi-patrimonialibus, & par-

ciùs vivendo comparatis. De primis nulla est difficultas; de quasi-patrimonialibus patet, quia ad eos pertinent sine ullo onere ea distribuendi pauperibus; de parciùs vivendo comparatis etiam liquet, quia Ecclesia concedit, ut illa possint pro voluntate expendere; ejusmodi enim bona sic comparata, nullum pauperibus præjudicium afferunt, vel operibus bonis, sed tantùm genio & sensualitati quam expedit domare, unde illa parcitas, ait Navarrus quæst. 3. monito 11. non est peccaminosi, sed honesta & laudabilis. De bonis verò purè Ecclesiasticis testari non possunt; id enim, ait Navarrus quæst. 3. mon. 1. & 44. mille Pontificiis legibus & Canonibus prohibetur, cum bonorum sui Beneficii non sint domini, sed dispensatores, eo modo quo jubet ipsis Ecclesia. Nec obest quod aliqui dicunt testari posse de bonis Ecclesiæ, ubi est consuetudo; nam acerrimè contendit Navarrus quæst. 3. monit. 2. consuetudinem illam nullibi vigere, & sicubi vigeret non valere, quia esset contra legem naturalem, violareturque præceptum de non furando, & aliud de non concupiscendo rem alienam. Unde testamenta approbata à Principibus, condita ab Ecclesiasticis, non valent nisi quantum ad patrimonialia. Quod prudentissimo sanè consilio decrevit Ecclesia; perspiciebat enim Beneficiarios teneri ad eroganda reliqua suorum redditüum pauperibus, dum vitâ potiuntur; perspiciebat etiam huic erogationi maximo esse impedimento avaritiam; & denique experientiâ teste & docente intelligebat, nil esse consultius ad invitandum eum cui ususfructus aliquorum bonorum relinquitur, ad liberalitatem in vita exercendam, quam ei ejus-

modi usumfructum relinquere sub conditione, ne de illis fructibus testetur, seu moriens relinquere possit; quæ est vera & germana ratio, propter quam fuit adempta Clericis testandi facultas, etiam in favorem pauperum, quibus in vita donare poterant.

Quod si secularibus non licet testari de bonis purè Ecclesiasticis ex Beneficio provenientibus, à fortiori non licet Canonicis Regularibus Beneficiatis; idque ex duobus impedimentis, videlicet suæ Religionis, & naturæ reddituum Ecclesiasticorum.

Concedere tamen privilegium testandi Beneficiario Religioso potest summus Pontifex, & concedit quotidie, ait Navarrus quæst. 3. monit. 11. Ita tamen ut neque Religioso neque seculari Beneficiario possit justè facere facultatem testandi pro libito de redditibus Ecclesiasticis ad profana, verbi gratiâ in divites cognatos & extraneos sine ullo paupertatis vel pietatis intuitu; pro quo vide Navarrum in comm. de spoliis Clericorum §. 6. notatu 5. & tractatu de redditib. quæst. 3. monito 6. nam (ait) hoc esset contra legem naturæ. Cum verò dispensat summus Pontifex, & facit potestatem testandi ad pia, agit tantùm contra legem humanam, de qua ut superior dispensare potest. Ubi & notat Navarrus aliquos Pontifices & leges civiles valida aliqua censuisse testamenta Clericorum de bonis Ecclesiasticis in profana; sed id intelligendum esse quoad forum exterius tantùm ad sedandas sæpenumero lites, sed non quantum ad forum interius, secundum quod nulla & illicita sunt. Non potest autem (ait idem Navarrus Commentario super Caput *Non di-*

catis num. 54.) Prælatus inferior Papâ, dare suo Religioso facultatem testandi ad pia opera; id enim jure communi prohibetur cap. 2. *de Testament.* & frequentior fieret ejusmodi dispensatio in præjudicium pauperum, quibus in vita nil aut parum largirentur Beneficiarii, unde ea potestas dispensandi jure arctanda erat ad solum summum Pontificem. Ex quo patet abusum esse dum Prælati & Abbates aliquando dispensant cum Religiosis, ut condere possint testamenta seu dispositiones ultimæ voluntatis post mortem valituras.

Supererant maximi momenti quæstiones circa Beneficiarios Regulares; quâ ratione (verbi gratiâ) disponere possunt de suis redditibus? an computum reddere suis Superioribus teneantur? quo etiam modo possint disponere de parciùs vivendo comparatis? an possint donare, acquirere? & similes; quas ne prolixior sim hîc prætermitto, contentus monere lectorem, eas omnes quæstiones movere doctissimum Navarrum Canonicum Regularem, easque doctrinâ solidissimâ & mirâ subtilitate solvere, in illo tractatu egregio quem *de redditibus Ecclesiasticis* inscripsit, maximè qq. 1. & 3. monitis ibidem variis.

Finis Libri tertii.

LIBER QUARTUS
DE HABITU
CANONICORVM
ET ALIORUM CLERICORUM.

CAPUT PRIMUM.

De variis vestibus Canonicorum.

VARIA vestium genera Canonicis Regularibus præscribuntur à Benedicto XII. in suis Constitutionibus editis pro reformatione eorumdem paragrapho 40. ubi fit mentio vestium talarium, *albi*, *blavi & nigri coloris*, quibus pro locorum consuetudine uti licet; sed præfertur color albus cæteris, ita ut summus Pontifex decernat, *ut quilibet color semel assumptus non possit mutari nisi in album.* Deinde fit mentio *rochettorum* seu *camisiarum* (ut vocant) *romanarum*, *superpelliceorum*, *almutiarum*, *forcaturarum*, *capparum choralium*, quas à Festo om-

nium Sanctorum usque ad Pascha gerunt majores Clerici; item *rotondellorum* & *clochiarum.* Diu ante Pontificem Benedictum præfinierat suis Clericis Augustinus, *byrros* & *tunicas lineas*; sic enim ait sermone 2. de communi vita Clericorum. *Nemo det byrrum vel lineam tunicam nisi in commune.* Porro notandum est, *byrrum* & *almutias* fuisse capitis, & humerorum tegumenta; *rochetta, superpellicea, camisias romanas*, vestes esse lineas, sed diversæ formæ. Quid verò significent *clochia?* pauci norunt. Imprimis suspicor esse mendum scribarum & Typographorum, qui in Constitutionibus editis pro Canonicis à Benedicto XII. *elochias* posuerunt, pro voce *clochias*; quæ apud Cœnobitas Antonianos est genus cappæ circa collum plicatæ, quam ipsimet vocant *une cloche*, ob similitudinem cum campana, quæ in summitate parvi est ambitûs, in ima verò parte laxioris. Lucem his affert non parvam Concilium Basiliense in Appendice, ubi sic habetur. *Canonici Regulares pro veste exteriori portent clociam, mantellum vel rotondellum.* Sic colligitur ex M S. originali domini Harlæi. Ex quo emendari debet vulgaris editio quæ ponit, *portent croceum, mantellum, vel rotondellum.* Quam corrigens Binius ponit, *portent croceum mantellum vel rotondellum*, hallucinatus etiam in voce *clociam*, quam in Originali sequitur virgula, quæ adeo non refertur ad *mantellum.* Quis enim unquam vidit Clericos mantellis croceis indutos? Cappas autem quas gestant in Choro à Festo omnium Sanctorum usque ad Pascha, communes habent cum Canonicis secularibus cum aliqua discrepantia in Gallia, cum similitudine verò omnimoda

in Italia, Germania ac Belgio. Quamquam in plerisque locis etiam Galliarum Regulares ejusdem omnino formæ utantur ac seculares. De *rotondellis* Tamburinus *disputat. 20. quæst. 2. num. 9.* scribit esse mantellos longos à parte anteriori apertos. Tractaturo igitur mihi de Habitu Canonicorum secularium & Regularium, & aliorum Clericorum, quibus omnibus communes sunt supradictæ vestes, priùs incumbit disserere de diverso colore vestium talarium, qui in usu fuit, ac etiam videtur esse apud Canonicos & alios Clericos. Quapropter sit

CAPUT II.

Variæ opiniones recensentur de colore vestium talarium usitatiore apud antiquos Clericos.

DIversi diversa sentiunt; alii scribunt vestes Clericorum fuisse violaceas, vel hiacynthinas, alii albas, alii furvas seu fuscas; alii rubeas; alii denique nigras.

Vestes antiquiorum Clericorum violacei coloris fuisse tradidit Cardinalis Baronius ad annum 393. cum violaceo confundunt hiacynthinum aut etiam purpureum; qui colores etiam in usu sunt apud plures Canonicos etiam Regulares, quales vidimus apud S. Aubertum Cameracensem, & sancti Eligii ad Atrebatum. Rubeum in usu fuisse suo tempore omnibus Anglicanis testatur Petrus Blesensis *Epistolâ ad Corruptorem suorum operum.*

Ubi scribit *magis Deo placere purpuratam humilitatem Canonici secularis, quàm Canonici Regularis pannosam superbiam.* Vigebat etiam Erasmi ætate rubeus ille color, ut colligitur *ex Epist. ad Jodocum Jonam lib.* 15. ubi scribit, Coletum Decanum Londinensem uti solitum pullâ veste, cum alii Canonici vulgò induerentur purpurà. Et tandem Joannes Cognatus in historiâ Tornacensi tom. 2. cap. 30. memorat Canonicos Tornacenses usos fuisse purpureis vestibus ab anno 1300. usque ad annum 1536.

Clero antiquo violaceum colorem adstruit Cardinalis Baronius, ex loco Hieronymi *Epist. ad Nepotianum de vita Clericorum*, monentis eumdem, *ut vestes pullas aquè devitet ac candidas*; inde enim concludit vestes Clericorum fuisse medii coloris, violacei scilicet. Sed contrà scribunt aliqui locum Hieronymi damnantis pullam in Clerico vestem perinde ac candidam, amplissimum Cardinalem fefellisse; quippe qui non animadverterit pullam vestem Hieronymo aliisque idem esse sæpe ac sordidam, & albam vestem eidem Hieronymo idem fuisse ac pretiosam; unde voluisse, neque nimis cultum, neque exquisitè incultum Nepotianum incedere. Ait enim postea idem Hieronymus eidem Nepotiano, *ornatus ut sordes pari modo fugiendos esse; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Ubi vides quas pullas dixerat vestes, sordes postea appellare. Eodem modo quam candidam vestem nominat Hieronymus Epist. 23. ad Marcellam, ibidem sericam vocat, & lib. 1. contra Pelagianum mundam appellat. *Nos* (inquit priori loco) *quia sericâ veste non utimur, Monachi vocamur, si tunica*

non canduerit, statim illud è trivio, impostor & græcus est. Et posteriori loco carpens Pelagium, qui sub veste nigra teterrimam hæresim confovens illuvie & pœdore sordidus incedebat, ait, *Cavete Clerici, Cavete virgines, periclitamini nisi sordidas vos & pannosas vulgus aspexerit, quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem.* Tandem de eodem Nepotiano in Epist. ubi ejus epitaphium celebrat, mentem suam clariùs aperit Hieronymus de candida & pulla veste, dum ait, Nepotianum exceptâ veste, *quâ tecto tantùm corpore frigus excluderet, nil sibi amplius reservasse, cultumque provinciæ sequutum, nec munditiis, nec sordibus notabilem fuisse.* Alludit iis omnibus locis Hieronymus ad modum loquendi Divi Jacobi, qui *in Epist. cap.* 2. divitem describit *in veste candida*, & pauperem *in sordido habitu.* Quapropter Laurentius Lantmeter vir doctus, *in lib. de veteri Clericorum habitu*, scribit, fortasse Hieronymum non dissuasisse Nepotiano vestem albam, sed candore artificioso splendentem, non Λευκὴν sed λάμπραν, ob quam notatum fuisse Sisinnium Episcopum Novatianum refert Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 1.

Præterea Baronii sententiam impugnant vetusti Patres; nam Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. cap. 11. & Tertullianus de habitu muliebri cap. 8. scribunt, *ne ipsis fœminis aut effœminatis juvenibus concessos fuisse fucatos colores & tincturæ adulterio infectos.* Inter quos recensent hiacynthinum, hoc est violaceum, quippe qui velleri nativus non est, sed adscititius; quod si rejicit Tertullianus tinctas vestes pro fœminis,

multò magis pro Clericis. Et de utrisque habet loco citato, *Non placet Deo quod non ipse produxit, nisi si non potuit jubere purpureas oves nasci; si potuit, ergo jam noluit, quod noluit non licet fingi. Ab interpolatore natura est, nimirum enim Deus demonstravit succis herbarum & concharum alveis lanas incoquere, exciderat illi cum universa nasci juberet, purpureas & coccineas oves mandare.* Nil ergo hîc obtinere videtur Baronii sententia de violei coloris usu apud antiquos Clericos.

Nigras vestes asserit veteribus Clericis Caracciolus Theatinus in Notis ad Constitutiones sui Ordinis; variaque ad id probandum corrogat ex antiquitatis promptuariis. Sed facilè ruunt ejus argumenta, notando cuncta quæ profert exempla antiquorum, gestantium pullam vestem pertinere ad Monachos, nullo verò modo ad Clericos, veluti quæ refert de S. Martino *ex Severo Sulpitio dialog. 2. cap.* 4. & de Rustico Monacho ex Hieronymo, & ubi observat Sisinnium Novatianum ab Arsacio Constantinopolitano Episcopo & Episcopis Catholicis notatum fuisse, quod albas vestes more & astu suæ sectæ gestaret; id sanè explicari debet de veste quæ λάμπρα, non λευχὴ dicitur, & de qua suprà monuimus. Enimvero constat ex Baronio ad annum 393. & Spondano ad annum 57. num. 29. colorem nigrum apud Clerum invectum esse, dum multi Clerici Cathedrales Monasticam vitam arripuêre, vel cum plerique Monachi ad varios Episcopatus assumpti sunt, qui conformitatis causâ ad nigras vestes assumendas suos Clericos impulêre. Consuetum enim colorem nigrum apud Monachos notat Baronius ad annum

annum 754. nam cum Monachi arguissent Copronymum, quod esset Iconoclasta, jussit ille, ut nullus consuetudinem haberet cum Monachis, nec eos salutaret, imo vocaret *tenebrosos & idololatras.* Tenebrosos (inquit Baronius) à nigro vestium colore. Hinc est quod tanta de colore nigro vestium prædicat pro Monachis Petrus Cluniacensis lib. 4. Epist. 17. dum ait: *Mihi videtur visum fuisse magnis Patribus illis Monachis nigrum colorem magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui convenire; quibus studiis quia totam Monachi vitam maximè invigilare oportet, decreverunt ut color moribus, vestes virtutibus, quâ possent cognatione jungerentur; vestes enim candidæ magis gloriam quàm abjectionem, magis gaudium quàm mœrorem antiquitùs designavêre.*

CAPUT III.

Præfertur & stabilitur sententia existimantium colorem album usitatiorem fuisse apud antiquos Canonicos.

SCitè Petrus Blesensis Epist. 97. dirimit litem motam aliquando inter Cluniacenses & Cistercienses, de colore albo vel nigro, ac etiam monet, ne quis albâ veste præ nigra gloriolam quærat: *Sive in alba (ait) sive in pulla veste, quicumque operatur Domini voluntatem, acceptus est illi. Inter album & nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Judæi & Græci; attendit Dominus mentem*

non vestem, merita non colorem; sivè cum Nazareis candidior nive sit aliquis, sive cum beato Job super carbones denigrata sit cutis ejus, uterque salutem in Domino operatur. Sanè in domo Jacob sunt agni albi & nigri. In vinea Sorec sunt uvæ albæ & nigræ; sed & sponsa quæ liliis convallium prealbescit, ipsa eadem nigra est & formosa; apud Christi sponsam non est absurda varietas, cum ipsa circumamicta varietatibus describatur. Si igitur hîc colores vestium investigamus apud antiquos, non gloriolam ambimus, non justitiam in hoc collocamus; sed tantùm curiositati antiquitatum indagatrici nonnihil indulgemus. Quapropter observamus imprimis multa suadere albas fuisse vestes priscorum Clericorum: quod ut pateat, prænotanda sunt aliqua circa colorem vestium apud plerosque populos. Veteribus Romanis placuisse colorem album auctor est Lipsius lib. 1. Elect. sed labente Imperio sicut toga sic & color albus ferè abiit in desuetudinem, ac pullæ omnes plebeïæ vestes, unde *pulla paupertas* dicta, & discrimen ortum inter *Candidatos* & *Pullatos*; ubi *Candidati* dicuntur non qui peterent, sed honestioris Ordinis cives; *pullati* infima plebs sive vulgus; exinde veteres Christiani partim veste candidâ, partim pullâ. Ægyptii Christiani similiter usi sunt veste albâ, ut testatur Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pædagog. cap.* 10. Hinc describitur Antonius ab Athanasio, candente præcinctus veste, non ut Christianus appareret (ut Baronio visum fuit) nam Monachi habitu, talis, satis superque cognitus fuisset; sed ut ad judicem, Ægyptiis mixtus albâ indutis veste securiùs procederet, quòd Monachis

qui pullâ veste dignoſcebantur civitate eſſet interdictum. Porro in Chriſtianos Ægyptios, ab Eſſeis qui circa Alexandriam maximè floruerunt, eum colorem fuiſſe derivatum notant quidam; nam eos albis indutos deſcribunt Joſephus *de bello Judaïco lib. 2. cap. 7.* & Philo *lib. de vita contemplativa*, eoſque *Candidatos* vocant. Sunt etiam qui exiſtimant apud Judæos viros honoratiores inceſſiſſe in habitu candido, tenuiores autem obſoleto, hocque indicare aiunt Divum Jacobum in Epiſt. cap. 2. in qua virum nobilem deſcribit veſte candidâ, pauperem habitu ſordido. Et videtur inter alios id ſenſiſſe Lorinus, qui de uſu coloris albi loquens docet ſignum ſemper lætitiæ fuiſſe, & vitæ inſtitutique liberioris; inter Chriſtianos quidem non diſſoluti; ità tamen ut ſoli divites nitidum & candentem aſſumerent qui à Jacobo dicitur λαμπρὰ, alii ſimpliciorem paratuque facilem; nam juxta Lipſium *l. 4. Epiſt. 16.* color albus eſt is qui lanæ nativus, candidus qui ex arte ſplendet.

Afri Chriſtiani albo colore ſimul cum Ægyptiis conveniebant, cujus rei argumentum ſumitur ex Tertulliano Afro, quem ſuprà audivimus rejeciſſe omnem veſtis tincturam, ille enim *libro de Reſurr. carnis*, ſic ait. *Si famulum tuum libertate donaveris & alba veſtis nitore, & aurei annuli honore & patroni nomine ac tribu menſaque honoratur.* Veſtis igitur libertorum alba in Africa, ac liberti novi in toga apparebant, ideſt communi civium veſte; ita Tertullianum intellexit Lipſius. His pro colore albo, veſtium tam apud ſacros quàm alios prænotatis, nunc juvat inquirere qualis fuerit color veſtium in uſu apud anti-

quiores Clericos, qui post datam Ecclesiæ pacem vixerunt; tunc enim cœpit se Ordo Ecclesiasticus apertiùs à laïcis in externo cultu discernere. Album igitur colorem probat multiplex auctoritas.

Primò. In eam præclarum est dictum Hilarii *Epistolâ ad Abram. Sufficit mihi lana, sufficit mihi color quem natura attulit, sufficit mihi textus insumptuosus.* Refertur à Nebridio à Mondelheim *lib. Antiquitatum Monasticarum*, unde color albus agnoscitur apud hunc Latinæ Ecclesiæ Patrem.

Secundò. De sancto Athanasio Mediolanensi Archiepiscopo vivente anno Christi 872. sub Hadriano Papa, refert Petrus apud Baronium, quod cum ejus Ecclesiam & bona invasisset Prorex Mediolanensis ejus consanguineus, ipsumque carceri mancipasset, illi mandari fecit per nuntium, *si vult ut eum non persequar rejecto Candidatorum regimine, Monachicum indumentum assumat, mihique Ecclesiam ad ordinandum sponte relinquat, Clericos verò quos secum detulit, illicò remittat.* Ad quem vir Dei dixit. *Sponsam quam Deo donante suscepi, nulli viventi vivens volensque relinquam, Monachi schema non accipiam, scortum est enim primam relinquendo conjugem alteri sociari &c.*

Tertia auctoritas sumitur ex Anselmo Canonico Leodiensi, relato à Laurentio Lantmetero *in lib. de veteri Clericorum habitu.* Ille, inquam, Anselmus in gestis Pontificum Leodiensis Ecclesiæ in Eraclio, qui sedere cœpit *anno* 959. sic de eo scribit. *Ipse inter cætera disciplinarum instituta constituit, ut in Adventu & à Septuagesima usque ad Pascha, Clerus pullâ veste ami-*

ciatur, eo quod niger color pœnitentiæ & afflictioni magis conveniat quam albus; qui proinde reliquo tempore in usu erat.

Quarta auctoritas petitur ex Honorio Augustodunensi lib. 1. cap. 232. Gemmæ animæ. Hic generatim Clericis tribuit indumentum album, & non est quod quis existimet loqui eum de *Clericorum linea*, quia de ea paulò post agit sub nomine *camisia*.

Quinta hauritur ex Chronico Hannoniæ, Miræo, & Herimanno 3. Abbate sancti Martini Tornacensis, apud Joannem Cognatum 2. *volum. Histor. Tornac. cap.* 30. ubi refertur, quod cum Odo Canonicus & Scholasticus majoris Ecclesiæ Tornacensis circa annum 1092. induxisset in animum cum quibusdam Concanonicis transire de Canonicatu seculari in Regularem; & re verâ, in Ecclesia sancti Martini ad id sibi suisque concessâ à Ratbodo Episcopo Noviomensi simul & Tornacensi, professus fuisset cum suis institutum Canonicorum Regularium Divi Augustini; tunc se se maximum impedimentum obtulit perseverandi in eo statu, nempe quod ob vicinitatem Ecclesiæ sancti Martini, & majoris Ecclesiæ, juniores Clerici Regulares facilè averterentur à proposito regulari per consuetudinem sociorum & familiarium antea Canonicorum secularium eos visitantium; quapropter inito consilio cum Haymerico Abbate Aquiscinctinensi, relictâ Canonicâ vitâ, assumpsit Monachatum. *Nam* (inquiebat Haymericus) *juxta urbem habitatis, & fratres vestri juniores à secularibus suis sociis decepti ad seculum reducuntur, quia unus vester & eorum est habitus; si autem Monachi essetis, postea*

nullum de vestris tentarent reducere, quoniam cum Monachorum niger sit habitus, Clericorum verò candidus, tanto horrori Clerici habent habitum Monasticum, ut quem semel viderint Monachum, nunquam deinceps dignentur habere socium.

Sextam suppeditat Petrus Damiani, qui de Canonicis Majorum Ecclesiarum sui temporis sermonem habens, eos describit, *in Ecclesia solio sublimatos, & in Episcopali sede veste candidâ refulgentes*; & Episcopo Bisuntino gratulatus de præclaro Ordine suæ Cathedralis Ecclesiæ, ait, *Claustrum quod tenebat dextrum latus Ecclesiæ, ubi candidus Clericorum cœtus, tanquam Chorus nitebat Angelicus.*

Colophonem apponet id quod circa annum Domini 1003. contigisse sub Roberto Francorum Rege, narrat D. *du Chesne* pag. 28. quodque hausit ex Glabro Rodulpho Hist. lib. 3. de innovat. Eccles. his verbis: *Eo quoque tempore, inter cætera beati Martini Turonensis Monasterium emicuit à venerabili viro Herveo ejusdem loci Archiclavo opere mirifico reædificatum, qui quidem susceptâ licet coactus Ecclesiæ illius curâ, vesteque albâ tectus more Canonico, mentem tamen & vitam possedit Monasticam.* Ubi vides *Canonicam* insignem D. Martini nuncupatam *Monasterium*, in quo Canonici albis vestibus induebantur anno 1003.

CAPUT IV.

An Divus Augustinus Canonicorum institutor aliquo peculiari cultu usus fuerit?

SAtis superque demonstratum est passim in præcedentibus D. Augustinum incessisse indutum lineâ veste, ac birro, vestibus scilicet exterioribus cum omnibus Episcopis communibus; hîc tantùm sermo ac quæstio est de veste quam subtus lineam deferebat. Quam dicimus ejusdem formæ ac coloris fuisse cum cæteris Clericis Africanis. Id manifestum est ex Epistola 248. scripta ad Religiosam Virginem Sapidam, quæ cum propriis manibus consuisset tunicam pro Diacono Carthaginensis Ecclesiæ suo fratre, & hic extremum diem obiisset, priusquam illam tunicam induere potuisset, illa eamdem dono miserat Augustino, enixè eum rogans ut illam pro defuncto fratre induere dignaretur. Quapropter Augustinus multis gratiis actis spondet in Epistola ad eam scripta, se in memoriam illius sancti Diaconi ejusmodi vestem delaturum. Ex quo luce meridiana clariùs patet, Augustinum nec cucullo nigro aut baltheo coriaceo, nec etiam ullo peculiari cultu usum fuisse præter morem usurpatum apud cæteros suæ ætatis ac Provinciæ Clericos. Id autem ita fuisse testatur ipse *de civitate Dei l.* 19. *c* 19. *Nil ad civitatem Dei pertinet quo habitu vel more vivendi, si non est contra divina præcepta, istam fidem quâ pervenitur ad Deum quisque sectetur;*

unde ipsos Philosophos quando Christiani fiunt, non habitum vel consuetudinem victûs, quæ nil impedit Religionem, sed dogmata falsa mutare compellimus. Et lib. 3. Doctrinæ Christianæ cap. 12. sic ait : *Quisquis rebus prætereuntibus restrictiùs utitur quàm se se habent mores eorum cum quibus vivitur, aut temporalis aut superstitiosus est. Si quis verò sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat aut flagitiosus est; in omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.*

At verò candidum colorem in more positum fuisse apud Clericos Africanos, colligitur ex loco Tertulliani superiùs allato, quo probat vestes libertorum in Africa fuisse albas, & proinde Christianorum, ac consequenter Clericorum.

Conjecturam etiam haud levem facit, quod Gelasius Afer, sancti Augustini Canonicus & Discipulus, videtur ex Africa hanc vestem albam Romam detulisse, dum apud Lateranensem Ecclesiam cum suis coëxulibus Clericis collocatus est; nam ex antiquissima traditione Lateranenses Canonici à Gelasio orti hoc colore vestis usi sunt pluribus seculis in illa omnium prima Ecclesia, & etiamnum utuntur in omnibus Ecclesiis Congregationis florentissimæ, quæ ab hac prope Canonica quam incoluerunt, dicitur Lateranensis. Et hinc factum existimant, quod albo colore vestis & lineâ de more induuntur summi Pontifices, quia olim plerumque ex Lateranensi familia assumpti, candidisque vestibus induti ad Pontificatum promovebantur. Quod forsan attendens Benedictus XII. *in Constitutionibus* pro reformatione

Canonicorum Regularium decrevit quemcunque colorem suo tempore ab illis assumptum, sive violaceum, sive ceruleum, aut nigrum, non posse mutari nisi in album; quo testatur se percupere ut omnes Canonici Regulares albis vestibus induantur, & in hoc antiquissimis Lateranensibus à Gelasio Augustini Clerico & convictore institutis se se conformarent.

Porrò non valet, nec concludit quidquam ratio à Gabriele Pennoto allata, pro vestibus albis Augustini & ejus Clericorum, desumpta ex Regula quæ jubet vestes ab ipsis, aut à fullonibus debere lavari; nam hanc Regulam ex Epistola 109. viris tantùm accommodatam, & nunquam pro ipsis ab Augustino exaratam, sed pro fœminis lucem clarius ostendimus libro tertio.

CAPUT V.

Vestis albæ mysteria explicantur.

CHristus Dominus ad innocentiam morum & probitatem vitæ hortatus homines, præclarè loquebatur, eos qui malè agunt odisse lucem; & sicut decet filios lucis ambulandum esse, quo sanè lucem bonarum actionum symbolum esse denuntiabat hominibus. Sed nil ita exprimit lucem sicut candidus color, secundum Clementis Alexandrini sententiam, qui *lib.* 3. *Pædag. cap.* 11. alludens ad candidas recèns baptisatorum vestes ait, εἰρηνικοῖς ἄρα ἀνθρώποις καὶ φωτεινοῖς καταλληλον τὸ λευκόν, id est pacificis hominibus & lucidis album convenit; & lib. 2. Pædag. cap.

10. ait. *Eos qui sunt candidi & non intus adulterini, candidis & minime curiosis, ac operosis vestibus uti est convenientissimum.* Item lib. 3. cap. 11. *Nobis concedit Pædagogus uti albo colore, ut non arti varieganti, sed naturæ generanti nos accommodantes, quidquid est fallax & veritatem ementitur, repellentes quod est simplex & uniusmodi veritatis amplectamur.* Deinde vocat album *veritatis colorem.* A Platone illud est, qui *lib. 12. de Legibus*, ait colorem album divinis rebus congruere, & pacificis hominibus, qui ad Deum proximè accedere dicuntur. Album etiam colorem luci attribuit Lucretius lib. 6. dum ait:

Octavoque die candenti lumine solis, &c.

Et apud Nonium in verbo *recentari. Jam jam albicassit Phœbus & recentatur.* Apuleius lib. 11. Milef. dicit, *vidi solem candido coruscantem lumine.* Plato item, solis corpus λαμπρότατον καὶ λευκότατον pronuntiavit. Apud M. Paulum Venetum lib. 2. de Regionib. Orientalib. cap. 15. refertur de *Tartaris*, quod primo anni die tum viri tum mulieres albis vestibus induuntur, quasi novam lucem auspicentur. Sed nil magis identitatem lucis & candoris exprimit ac illa verba D. Pauli, *Christum candorem lucis æternæ compellantis.* Ex quibus tandem manifestum est, albedinem & lucem unum & idem esse, quod bona opera & innocentiam vitæ designet. Id uno verbo Seneca declarat ad Lucullum Epist. 3. dum ait, *omnes Candidatos viros bonos dicimus*; qui enim ambiebant Magistratum, idcirco Candidati

prodire solebant in publicum, ut integritatem probitatemque ex colore omnium purissimo præ se ferrent. Colore igitur candido vestis monentur Canonici nostri morum innocentiam sectari, conformesque fieri Christo, qui cum Sacerdos summus esset, Leviticique Ordinis institutor, obtulit semetipsum immaculatum Deo in odorem suavitatis, maximè cum singulis diebus offerant Deo, (ut ait Ambrosius) sacrificium virginitatis.

Pacem etiam peti vel nunciari candido signo vel veste passim legere licet apud Homerum, Cæsarem, Livium, Ammianum, Tacitum, & alios antiquos Auctores. Et inter posteriores sed præcipuos scriptores Genebrardus lib. 4. Chronographiæ sub annum 1495. narrat Tamerlanem illum, qui bellorum gloria *Magni* nomen peperit, ubi prælium hostibus indiceret, tria signa per tres continenter dies sustulisse, alterum candidum, quo pacis & deditionis dabat optionem; nigrum alterum, quod luctuosum pœnitentiæ exitum & triste supplicium minabatur; tertium denique coccineum, quo cruentum bellum ostentabat igni ferroque miscendum. Albis igitur insigniti vestibus Canonici, invicem sectari pacem ac concordiam monentur, & qui Rectores sunt animarum, more discipulorum Christi, pacificare in domibus, id est sopire jurgia statim atque nata sunt,

Ex hac pace oritur libertas etiam albis indumentis significata: nam antiquitùs in manumissione servorum candida vestis porrigebatur, ut mox notavimus ex Tertulliano. Et Christus Apostolos suos manumisit, dum eis diceret, *jam non dicam vos servos*, & in ipsis omnes Clericos & Sacerdotes, qui quidem lineis vestibus albis se-

culares, & Regulares Canonici laneis simul & lineis candidis utuntur, ut se se verè liberos esse profiteantur, eâ scilicet libertate, quâ Christus nos redemit.

Denique Christus in Thabor, Angeli in Resurrectione & Ascensione Christi induti describuntur veste albâ sicut nix; quia scilicet candidus color cœlestium mentium gaudia gloriamque designat; quod apprimè docet Cyprianus *lib. de Mortalit.* dum fidelium cœlo adscriptorum gloriam describens ait, ***non accipiendas in eorum funere atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserant.*** Nec minus exprimit eleganter Hieronymus Epist. 27. de obitu Paulæ, ***ô beata*** (inquit) ***rerum commutatio; flevit, ut semper rideret; vestita cilicio est, ut nunc vestibus albis uteretur, & diceret, Conscidisti saccum meum & induisti me lætitiâ.*** Quibus sanè vestibus candidis induti Canonici nostri fuere, ut seriò discant cœlibem prorsus, & qualem decet sanctos vitam ducere se debere.

CAPUT VI.

De veste linea extima Canonicorum, ac etiam Episcoporum & aliorum Clericorum.

PRimò. Linea illa vestis Canonicorum Regularium, & Episcoporum atque aliquorum Abbatum, seu Abbatum non Monachorum; substantivè & sine addito *linea* dicitur, quia ex lino

contexitur. Patet ex Ordine Romano, ubi sic enumerantur vestes Pontificis, *Linea, Amictus, Alba, Cingulum &c.* De sancto Cypriano Pontius refert, quod remansit in *linea*, dum tunica & birro exutus gladii ictum excepit. Quod elucidans Baronius ad annum Christi 261. num. 40. ait, *Neminem certè esse puto adeo obtusum ingenio, ut cum acta Cypriani referant ipsum birro atque tunicâ exutum remansisse in linea, existimet de linea interula intelligendum, quæ super nudum indui consuevit, non enim* (ait) *decebat sacerdotalem decorem, Cyprianum ad interulam usque nudari, cum præsertim ad hoc non cogeret Magistratus, nec carnificina functio postularet. Quid enim opus erat ad capitis obtruncationem ad subuculam usque exui? cum præsertim eâ de re nullum extet exemplum. Sic igitur nil aliud est quod dici possit, nisi lineam illam Cypriani, commune illud omnibus Episcopis lineum indumentum fuisse.* Simile prorsus est, quod apud Adonem refertur in Martyrologio 26. Novembris, de S. Alexandro Episcopo & Martyre, qui sub Antonino dicitur fecisse martyrium stans *in linea.* Hac usus est cum suis Clericis Augustinus, ut testatur serm. 2. de Clericis, *Nemo* (ait) *det tunicam lineam nisi in communi, qualem decenter ferre potest Presbyter aut Diaconus &c.* Et Divus Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum scribens, ipsum monet utpote Monachum, & ex Monacho Clericum; *laudabilem esse si pretium vestium linearum non habeat, & absque habitu lineo incedat Clericis consueto.* Mitto illud antiquissimum quod de sancto Jacobo Hierosolymitano refertur,

ipsum *lineis vestibus indutum* incedere consuevisse.

Secundò. Vocatur etiam illa vestis linea *Ephod* à Baronio loco citato, dicitque lineam Cypriani, esse illud indumenti genus, quod in veteri lege *Ephod* appellabatur. De veste linea scribens Joannes Buschius in Chronico Windesimensi lib. 1. cap. 23. ait. *Hac linea sancta vestis & sacerdotalis, quâ filii Aaron, qui omnes erant Sacerdotes, in officiis divinis indui consueverant, Ephod nuncupatur; qua verus jam est habitus omnium Canonicorum Regularium.*

Tertiò. *Cottam* præterea vulgò nominant hanc lineam vestem; pro cujus vocis intelligentia sciendum quod Etrusci *Cottam* vocant eam vestem, quam Latini *Togam*. Joachimus Perionius de Linguæ Gallicæ cum Græca cognatione lib. 3. vocabulum Gallicum *Cotte* deducit à Græca voce χιτώνιον, quæ *tuniculam* significat, aitque, mutatis inter se litteris duabus factum esse *Cotinium*. Unde & *Chituna* est tunica linea. Quamquam Angelus Caninius putat Punica hæc esse potius vocabula quàm Hebræa. Ignatius Braccius addit, non incongruè à *Cottis*, quod apud Dores *caput* significat, ex Rhodigino lib. 7. cap. 13. *Cottam* dici posse, eo quod in eam caput primò inseratur, mox reliquo corpore velato solum ferè caput ex ea conspiciatur exertum, unde & talares fuisse cottas colligitur.

Quartò. *Subtile* adhuc appellatur ejusmodi linea vestis exterior Canonicorum, idque in variis Constitutionibus Ordinis Canonici; testem hujus rei habemus Joannem Buschium laudatum, qui loco citato sic scribit. *Vestem illam lineam, quam*

nos Subtile vocamus, gestant Domnus Apostolicus, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi & Pontifices. Eo etiam nomine donat vestem lineam Joannes Mauburnus, in Historia seu, ut ait, *Venatorio* Ordinis Canonici.

Quintò. *Camisia Romana* dicitur hæc linea vestis, à Benedicto XII. in Constitutionibus Canonicorum Regularium, ac etiam à Gretsero post Curopalatem, qui sic habet *cap. 6. num. 3. Sacerdotes quidem stant* cum suis tunicis, & his quæ illis superinjici solent, ferentes quoque Camisia candida super vestes, φοροῦντες καμίσια ἐπάνω τῶν ἱματίων λευκά. Supra quod Gretserus cap. 14. in cap. 1. Curopalatis, inter ministros Altaris recenset *Camisatos*; quorum erat ferre ad altare carbones, & sacris lebetibus calefaciendis occupari, ut illic more solito aqua fervens sacris calicibus tempestivè infundatur. Solebant enim Græci, calici jam consecrato sub ipsum Communionis tempus infundere aquam calidissimam, ut quemadmodum ex latere Christi sanguis & aqua plena calore profluxerunt, ita communicantes, eadem calentia percipiant, quasi ipsum Christi vivificum latus ore apposito contrectarent. Ait præterea idem Codinus, cap. 7. num. 23. *ingrediuntur Psaltæ cum suis camisiis.*

Sextò. *Superpellicei* nomen obtinuit hæc linea vestis, & idem esse cum Camisia Romana scribit Gretserus; nisi quod formâ differunt in eo quod Camisiæ Romanæ manicas habent strictas, superpellicea verò latiores & ampliores. Porrò vestem lineam dici superpelliceum docet Durandus Mimatensis Episcopus in suo Rationali. *Quia*

ſuper pelliceas tunicas eam induebant Clerici, reputantes quod Adam poſt peccatum talibus pelliceis veſtitus eſt. Mentionem faciunt celebrem & antiquam vocis *ſuperpellicei* Odo Pariſienſis cap. de Sacramento Altaris in Conſtitutionibus Synodalibus; dum decernit, *nulli Clerico licere ſervire Altari, malè ornato, & nonniſi in ſuperpelliceo & cappa clauſa.* Et Stephanus Epiſcopus Tornacenſis Epiſt. ad Albinum Cardinalem, quâ ſcribit *ſe ad eum dono mittere ſuperpelliceum novum candidum & talare.*

Septimò. *Colobii* etiam nomine indigitata fuit apud Græcos, linea illa veſtis, & nil aliud eſt quàm veſtis linea manicis defecta, qualem hyeme ſub cappis geſtant plerique Canonici ſeculares, & Novitii in Ordine Canonico. Ab Ægyptiis Monachis fortè defluxit ad Clericos, nam eos deſcribit Caſſianus lib. 1. de habitu Monachorum cap. 5. *Colobiis indutos lineis, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferentes manus, ut amputatos habere eos actus & opera mundi hujus, ſuggerat abſciſſio manicarum.* Quæ interpretatio conſonat etymoni Græco vocis κολόβιον, quæ ἀπὸ τοῦ κολοβοῦ derivatur, quod ſignificat mancum ſeu mutilum. Ejuſmodi tandem veſtis lineæ quæ manicis careat vel ita breves habeat, ut cubitum non excedat, meminit Benedictus XII. in Conſtitutionibus pro Canonicis Regularibus; ſunt tamen qui ex craſſo lino confectum colobium dicant, & ſummam & unicam veſtem fuiſſe quâ corpus tegerent Monachi Ægyptii, quam ex lino deferebant ob ardentiores regionis calores; unde cenſent Clericos ab his fuiſſe mutuatos ſuas lineas.

Octavò.

Octavò. Affine Colobiis est *Sarrocium*; *vestis* scilicet *linea ad latus aperta*, *& nonnisi quatuor digitis infimè clausa*, *sine manicis*. De qua meminit pro suis Concanonicis Regularibus Germanis *Nebridius à Mondelheim*, Auctor *Antiquarii Monastici cap.* 145. Eò respiciunt, qui rusticorum thoraces lineos, *Sarrocia* vocant Gallicè *des Saros*. Eo genere lineæ vestis videmus uti Canonicos nostrates seculares sub Cappis in hieme. Porro *Sarrocium* quasi *sacrum Roccum* dici, conjicere licet. Quid autem *Roccus* significet, mox habes.

Nonò. *Rochetti* verò vocabulum, pro designanda linea veste Canonicorum Regularium ac Prælatorum, omnibus celebrius est, tam in Ceremoniali Romano quàm Scriptoribus variis, & in usu etiam loquendi, licet ejus etymologia nonnihil contineat obscuri. Baronius dicit Italum esse hoc vocabulum, ad annum 261. num. 40. loquens de linea Cypriani. Crassus lib. 1. cap. 21. gallicum putat à voce *Richa*, apud Avenionenses trita, quæ originem apud eos habuit, cùm degerent Avenione summi Pontifices & Clerus Pontificius; nam in Calepini Dictionario Latina vox *Supparus*, Gallicè vertitur, *Rochet*. Ignatius Braccius vocem petit à Græco idiomate ῥοῦκοι, quæ, ut vetera lexica testantur, nil aliud sonat quàm corymbos ornatûs gratiâ Sacerdotum stolis annexos; limbus autem rocheti lineis corymbis aut simili artificio decoratur. Vel à ῥῶ seu ῥέω & χιτών, siquidem Ρῶ particula molle quid & delicatum significat, ut magnus ait Etymologistes, χιτῶν etiam ex eodem tunicam significat & præcipuè lineam, ita ut *Rochiton* Græcis, sit Latinis *Tu-*

nica mollior. Et hoc affine videtur vocabulo *subtile*, quo diximus suprà vestem lineam indigitari. Idem Auctor ab Hebræa voce *Rah*, derivari posse scribit *rochetum*, quæ significat *spectare, intueri*; & à nomine *Chetan*, quod est *linea*. Quâ ratione *rochetum* esset linum spectabile vestisque linea speciosa. Alio etiam modo desumi potest ab Hebræo *Ruoch*, quod significat *hereditatem*; quia dum vestis linea Clericalis in prima initiatione assumitur, profitetur Clericus inaugurandus se Deum sibi partem & hæreditatem accipere. Gretserus verò *rochetum* dici putat à Germanorum vocula *Roch*, vel *Rock*, quæ significat vestem pretiosam; id ait in Commentario super Codinum, qui cap. 3. loquens de vestibus Officialium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, scribit, *Despotam gerere tunicam coccineam sive Ruchum.* Eamdem vocem similiter usurpat Nicætas in Andronico lib. 2. φοροῦντα ῥοῦχον χίστον μέχρι καὶ τῶν γονάτων, id est, *ferebat scissam tunicam usque ad genua.* Et tandem Helgaldus in vita Regis Roberti ait. *Exui se vestimento purpureo quod lingua rustica dicitur Rochus.* Inde forsam Ρουχαρεῖον, *Rucharium* seu *Vestiarium*; vox etiam Codino usurpata. Ab ea igitur voce ῥοῦχος sive Rochus, desumitur appellatio vestis lineæ Episcoporum & subinde Canonicorum Regularium, quæ cum ex talari brevior facta fuisset, & ad genua tantùm defluxisset, *rochettum* dici cœpit; sicut ex diminutione *byrri, byrreti* vox invaluit. Invaluisse autem circa annum 1290. colligitur ex Actis Guillelmi cujusdam Episcopi Andegavensis, apud Auctorem Spicilegii tom. 10. pag. 298. à quo tempore usurpari passim cœpit, ma-

ximè cùm vestes lineæ Canonicorum Regularium ex talaribus breviores factæ, eo etiam nomine donatæ sunt, ut patet ex pluribus locis in hoc ipso libro adductis, maximè cap. 10. sequenti.

CAPUT VII.

Apud Philosophos, & Sacerdotes prophanos, sicut & Iudæos, usus erat vestis lineæ, exterioris; & ab his defluxit in Christianos.

ÆGyptii Sacerdotes, sicut Isidis & Serapidis sacrificuli extimè lineas gestabant vestes; testibus Herodoto lib. 2. num. 46. Apuleïo in Apologia de *lineo textu*, & Hieronymo in cap. 44. Ezechielis. Ab Ægyptiis edoctus Pythagoras eodem vestitu suos uti voluit, Jamblico Auctore lib. 1. de vita Pythagoræ cap. 21. dum enim eis puram & candidam præcipit, lineam intellige, si quidem ut scribit Apuleïus Apolog. 1. p. ex oratione sua Oeæ habita, *quod ex lino contextum est, purissimum est rebus divinis velamentum, quippe lana segnissimi corporis excrementum est, Orphei & Pythagoræ scitis prophanus vestitus.* Apollonius Tyaneus lib. de claris viris, ut se syncerum Pythagoreum demonstraret, nonnisi lineo vestitu induebatur, Auctore Philostrato lib. 1. de vita Apollonii cap. 6. rationem verò affert cap. 20. ejusdem lib. quod linea vestis sit purum quidpiam ex puro natum aquæ & terræ donum. Indorum etiam Brachmanes

eundem habitum gestabant, ut refert idem Philostratus lib. 3. cap. 4. qui ejusmodi candidam & lineam vestem gestarent ἱερόςτολοι à Plutarcho nominantur lib. 3. de Iside & Osiride. Quantum verò ad Sacerdotes Judæos Hieronymo teste Epist. 128. ad Fabiolam, duplex iis vestis linea assignabatur, una interior usque ad genua protensa, quæ femoralia dicitur, alia talaris & exterior, quam Josephus *Byssinam* appellat. An porro Judæi à prophanis vel è regione, vestes lineas mutuati fuerint? nil hîc moror. Sed à Judæis hanc vestem traxisse Sacerdotes Christianos nil vetat credere, cujus rei exemplum dedit cæteris Jacobus Minor Hierosolymorum Episcopus; & ab eo peculiariùs hanc gestasse, apud Antiquos celebrantur, DD. Cyprianus & Augustinus, locis suprà relatis.

CAPUT VIII.

Apud Clericos Christianos usus vestis lineæ invaluit, extra sacra, foris, & in usu quotidiano.

ID ita usuvenisse, probare videtur D. Hieronymus, qui Epistolâ ad Nepotianum *de vita Clericorum*, satis indicat consuetudinem fuisse suo tempore, ut Clerici prodirent in publicum vestibus lineis induti, ita tamen ut carpendos esse non existimaret eos, qui ejusmodi lineas non deferrent, modò id fieret ex paupertate, non verò ex simulatione paupertatis. *Ornatus* (ait) *ut for-*

des pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet; non absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere laudabile est.

Consuetudo autem illa antiqua dignoscitur ex abusu ex ea nato; cum enim linea vestis usualis non absimilis esset albæ, quâ utuntur Sacerdotes in ministerio altaris, (id enim vidimus adhuc observatum apud Sandionysianos Canonicos Rhemenses & alios) mos iste apud negligentes Clericos passim inoleverat, ut præter, & supra usualem hujusmodi vestem lineam, aliam eamque sacram non superinduerent sacra facturi; quem abusum corrigere volens Leo IV. solemni decreto vetuit in Homilia Pastorali relata à Baronio ad annum 855. *Ne ullus in Alba, quâ in suo usu utitur, præsumat Missas cantare.* Et tanti ponderis existimavit esse hanc constitutionem Riculphus Episcopus Suessionensis, ut inter suas pro Clericis editas Constitutiones anni 889. Leonis edictum renovaverit sub his verbis. *Prohibemus Presbyteris nostris uti eâdem Albâ in sacris mysteriis, quâ utuntur foris in quotidiano & exteriori cultu.* Inde jubentur etiam *Prælati (nisi sint Monachi) in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in publico & in Ecclesia superindumentis lineis vestiri.* cap. 16. Quod observatum vidit suo tempore Joannes Buschius loco suprà citato. *Plures etiam vidimus* (ait) *locorum Ordinarios in Ecclesiis, Monasteriis, Castris & domiciliis suæ Diœcesis rochetum Romanum seu Subtile, quod idem est, supra cætera vestimenta sua patenter deferre, in eo ce-*

lebrare, divinis interesse & ad mensam manducare.

Moris etiam illius antiqui haud leve vestigium agnoscimus in majoribus Ecclesiis quibusdam Urbis Romæ, ubi Canonici super rochetta gestant etiam superpellicea in Choro, seu super camisias quas vocant *Romanas*, induunt adhuc vestes lineas ampliores cum laxioribus manicis rotundis; quod etiam factitant aliqui Cathedralium Ecclesiarum Galliæ Decani, veluti Antissiodorensis, Noviomensis, & alii; nam quid opus simul duas vestes lineas assumere, dum se se ad divinum officium in Choro persolvendum accingunt? nonne unica ad modum simplicium Clericorum ad id operis sufficit? ut quid enim entia sine necessitate, ut aiunt, multiplicare? procul dubio illa *rochetti* gestatio & *superpellicei* superjectio, vel superstitiosa & inutilis est, vel significat olim Clericos illos majorum Ecclesiarum in usu quotidiano & domestico usos fuisse rochetto seu camisia Romana, cui superinduere cœperunt postea ampliorem & honestiorem, dum ad divina officia celebranda pergebant; sicut modò in usu est apud Canonicos Regulares.

Conjecturam etiam non levem trahere possumus hujus rei, ex consuetudine ferè ubique invalescente in majoribus Ecclesiis, quâ Pueri Chorales utuntur Albis talaribus non plicatis intra collum & humeros: nam ista vestis linea seu alba non est sacra, ad instar Albarum quarum usus est inter sacrificandum; & existimaverim esse rochettum quo majores Clerici vulgò utebantur extra sacra, & de quo suprà loquuti sunt Leo IV. & Riculphus Episcopus Suessionensis. Nam rigor

omnis disciplinæ antiquorum Canonicorum, in habitu, tonsura, modestia, statione, genuflectione, inclinatione corporum, videtur remansisse in istis Pueris & junioribus Canonicis.

CAPUT IX.

Rochetum seu Camisia Romana est habitus proprius & præcipuus Canonicorum Regularium.

PAtet imprimis ex institutione Divi Augustini, qui cum utpote Episcopus ejuscemodi lineâ uteretur, eâ voluit condecorari suos Clericos, sic enim ait in sermone 2. de Clericis suis. *Nemo det mihi birrum vel lineam tunicam nisi de communi, qualem decenter gestare potest Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus.* Ex quo qui postea ducem sequuti sunt Augustinum Clerici, vestem lineam exteriorem pro indumento præcipuo & peculiari assumpsêre. Id censet inter alios Stephanus Episcopus Tornacensis in Epist. ad Albinum Cardinalem, his verbis. *Verum in te ostendunt Augustini Discipulum, & exclusa cupiditas, & frugalitas inclusa, Regularem habitum per gratiam Dei sic præfers exterius, ut interius conserves; hujus habitûs indicium principale vobis mitto superpelliceum lineum &c. Suscipe munusculum, minus æstimans panni pretium quàm vel mittentis animum vel muneris sacramentum.* Succinit Joannes Buschius in Chronico Windesimensi lib. 1. cap. 23. *Hæc linea* (ait)

vestis sancta & Sacerdotalis, quâ filii Aaron, qui omnes erant Sacerdotes, in officiis divinis indui consueverant, Ephod nuncupatur, quæ verus est jam habitus Canonicorum Regularium, tempore quoque gratiæ novi testamenti, hæc linea vestis præcellentis est gloriæ & dignitatis Apostolicâ Auctoritate in usum Ecclesiasticæ prælationis assumpta. Hanc etiam districtè præscribit Canonicis Regularibus Concilium Magalonense anni 1214. Tandem Joannes Andreas in Clementinam I. de electione, in verbo, *habitus*, Canonicorum Regularium vestem lineam eorum *habitum essentialem* esse pronuntiat, quod huc usque animo Canonicorum Regularium tantùm insedit, ut qui integram vestem ejusmodi lineam, vel commoditatis vel compendii causâ deposuerint, saltem linteolum pensile ab humeris pendens & ad latus vergens servaverint, tanquam Religionis Canonicæ ac verè Clericalis præcipuum & unicum insigne. Hoc autem *linteum pensile* vocatur in quodam Diplomate Apostolico anni 1487. Canonicis Regularibus Hospitii S. Bernardi Trecensis directo, *banda linea, parvum colaretum lineum, & continentia*, quâ uti eis conceditur dum foras prodeundum esset, commoditatis gratiâ, idque ut ibi dicitur, *dimisso ampliori rocheto.*

Quod quidem *parvum colaretum* existimarim esse, illam *parvam peciam lineam circa collum,* quâ meminit usos, suo tempore, Canonicos quosdam Regulares Mauburnus, & quâ etiamnum quidam nostrâ ætate utuntur in Gallia.

Porro obligationem quâ tenentur gestare ejusmodi lineam simul & formam præscribendo, sic

describit Benedictus XII. *in Constit. cap.* 40. *Decernimus quod praedicti Canonici eas vestes lineas ubique deferant*; *extra Ecclesiam verò, Claustra, & loca regularia & ubique sub palliis uti possunt superpelliceis, quorum manicae usque ad cubitum, & caetera usque ad tibiam protendantur*; *non derogando tamen consuetudini quorumdam locorum, qui ab antiquo vel ab institutione habent usum superpelliceorum ad formam rochettorum seu camisiarum Romanarum.* Et postea sub gravi interminatione prohibet eis illam vestem unquam dimittere vel occultare, etiamsi sint Beneficiati, cap. 41. *Qui autem* (ait) *exhibens se in publico habitum seu superindumenta linea temerè occultaverit, si monitus emendare noluerit, sit suspensus à Beneficio, si Beneficiarius est*; *si verò non, inhabilis ad Beneficia censeatur.*

CAPUT X.

De forma rochettorum seu camisiarum Romanarum; & quid significent?

TAlares fuisse ejusmodi vestes lineas indicat Leonis IV. & Riculphi Episcopi Suessionensis auctoritas suprà relata; dum enim vetant ne Sacerdotes celebrent in Alba usuali, sed ut sacram supervestiant, ostendunt satis hujusmodi rocheta olim fuisse talaria, sacrisque Albis quibus utimur in sacrificio non fuisse dissimilia. Id etiam apertè demonstrat Stephanus Tornacensis, qui Epistolâ

laudatâ ad Albinum Cardinalem & Concanonicum, ſcribit ſe ei dono xeniali mittere veſtem lineam, quam dicit, *novam, candidam, & talarem.* Perduravit etiam iſte mos apud S. Dionyſii Rhemenſis Canonicos Regulares antiquiſſimos, quòd legam ſub Regula D. Auguſtini in Gallia. Denique patet ex Concilio Baſileenſi Seſſ. 21. ubi Clerici jam incipientes uti brevioribus lineis, jubentur, ſuperpellicea munda ultra medias tibias longa deferre, dum Horas Canonicas perſolvunt. Rocheta ejuſmodi talaria decurtata ſunt ob iter, equitationem, vel laborem, circa decimum tertium, ſeculum, quod patet ex Benedicti XII. Conſtitutionibus editis pro Canonicis Regularibus Avenione datis paragrapho 40. ubi reſcribit veſtem lineam amplam intra Clauſtra, breviorem extra indulget, quam vocat ſuperpelliceum: *Non derogando* (ait) *conſuetudini quorumdam locorum, quæ ab antiquo uſum habent rochettorum ſeu camiſiarum Romanarũ.* Succeſſit tandem *lineola*, quam Gabriel Pennotus lib. 2. cap. 69. vocat *haſtam lineam*, & alii *bandam lineam*, vel *parvuum colaretum.* Qui quidem cultus apud omnes ferè Canonicos Regulares uſu venit per Hiſpaniam, Galliam, ut adhuc pleriſque in locis viget, ut ſuperiori cap. monuimus, ſed in dies antiquatur per Canonicos Regulares Congregationis Gallicanæ & Lateranenſes, qui camiſiam Romanam intra & extra geſtare conſueverunt, & unitis ſibi Collegiis geſtandam præceperunt.

Diverſa autem fuit forma rochetorum quantum ad manicas, nam apud quoſdam uſus fuit veſtis lineæ, quæ nullas haberet manicas, & in ipſamet carentia manicarum, erat adhuc differentia: nam

alii ita manicis defecta rocheta gestabant, ut per scissuram hinc inde factam brachia, nudasque manus circumferrent, & vocantur *colobia* à Cassiano. Talia gerunt hyeme sub cappis Canonici seculares & Novitii in Ordine Canonico. Alii verò gestabant rocheta sine manicis, adeo ut nullâ scissurâ ad utrumque humerum factâ, ita defluebant, ut totum corpus involverent & brachia manusque absconderent, quæ dum ad aliquid gerendum exerebantur, hinc inde fluentem levabant & sustinebant lineam. Et hujus formæ rochetta etiamnum deferunt Canonici Regulares Cathedralis Ecclesiæ Uticensis in Gallia Narbonensi, & Thuarsienses in Pictavia, & Conimbricenses in Lusitania. Communior tandem usus invaluit, ut rochetta deferantur cum manicis strictis, tam à Canonicis Regularibus quàm Prælatis.

Quantum verò ad mysteria quæ occultat nobile illud vestis genus, Stephanus Tornacensis Episcopus eâdem Epistolâ citatâ ad Albinum, censet longitudine illâ talari rochetorum designari perseverantiam finalem. Id forsan hauserat ex Alcuino, qui lib. de Divinis Officiis cap. de Vestibus Sacerdot. aït. *Quod sint talares, hoc designat operis cujuscumque boni perfectionem.* Eódem respexit Rabanus Maurus lib. de Ord. Antiph. cap. 16. linearum talari longitudini aptans illud, *Esto fidelis usque ad mortem.*

Quid autem forma stricta rochetorum indicet, audi Bedam lib. de Tabernaculo. *Hæc linea manus & brachia debet stringere, ne quid nisi utile faciant, pectus ne quid inane cogitet, ventrem ne delicias ultra modum appetendo gulosus fiat, subjecta ventri membra ne lasciviant.*

genua ne ab orationis instantia torpeant, tibias & pedes ne currant ad malum.

Petrus Damiani lib. 2. Epist. 10. scribens Domino Petro Lateranensis Canonicæ Priori, sic lineæ vestis mysteria exponit. *Clericis*, ait, *Propheticum lumbar aptissimè congruit, de quo Jeremias ait, Dixit Dominus ad me, vade & posside tibi lumbar lineum, & pones illud super lumbos tuos. Quid hîc Jeremiæ persona nisi Dominum, quid lumbar nisi Ordinem significat Clericorum? Quia sicut lumbar intimum est humano corpori & arctiùs adhæret quàm reliquæ vestes; ita Clericalis Ordo familiariùs divinis agglutinatur obsequiis quàm cæteri homines, sicut illic de Israëlitico populo divina vox ait; sicut enim adhæret lumbar ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israël, sic etiam Clerici specialiter adhærent Christo præ cunctis membris Ecclesiæ; isti nempe sunt lumbar lineum arctiori divino corpori familiaritate connexum, linum siquidem laboriosè pervenit ad candorem, & Clerici modò litterarum studiis insudando, modò per intervalla temporum quibusdam gradibus ascendendo, difficilè promoventur ad sacri Ordinis dignitatem.*

Denique *linum*, ut scitè Plinius ait, *semper injuriâ fit melius*; quo perbellè significatur Clericos lineâ veste admoneri ad quæque contemptibilia & dura pro Christo perpetienda, ipsiusque gloriam patientiâ & sui mortificatione esse procurandam, quod aptè significat linum.; donec enim ad optatum candorem & splendorem perveniat, non leves injurias patitur, scilicet evelli solet, siccari, macerari fluvio, iterùm siccari,

tundi malleo ſtupario, decorticari, ſcindi ſpatâ ligneâ, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illidi crebro, in ſilice texi; quæ omnia moraliter, piè, & ampliſſimè in ſequenti capite dabimus ex Stephano Tornacenſi Epiſcopo, poſtquam dixerimus cum Caſſiano, *lineo illo habitu ſeu velamine ſignificari Clericos ab omni converſatione ſeculari mortificatos & mundo mortuos eſſe, quia mortuorum corpora lineis involvi ſoleant.*

CAPUT XI.

Concio Stephani ex Abbate ſanctæ Genoveſæ Epiſcopi Tornacenſis, habita in Feſto ejuſdem Divæ ad Canonicos illius Eccleſiæ: ubi rocheti & cappæ myſteria amplè & piè explanantur.

INter Epiſtolas hujus ſancti Viri editas, extat una ad Albinum Cardinalem, quem cum videret in Regularium Canonicorum habitu (quem olim ſuſceperat,) geſtando Religioſiſſimum, ad eum dono xeniali miſit veſtem lineam ſuperpelliceam, unà (ut ait) cum myſtica & morali ejus expoſitione, quam pro concione ad Concanonicos Regulares ſanctæ Genoveſæ in Feſto ejuſdem Divæ habuerat. Quam quidem cum legam ab aliquibus doctis & piis deſiderari, qui eam periiſſe dolent; hîc ex M S. ſancti Victoris exſcribi curavimus. Cujus quidem argumentum hoc cape. Anno 1147. Eugenius III. Pontifex Maximus Pari-

ſiis à Ludovico VII. Rege exceptus in Eccleſiâ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ eadem eſt ſanctæ Genovefæ; cum ſcandalo oborto, pugnâ nimirum acri inter ſummi Pontificis Officiarios, & Canonicorum illius Eccleſiæ ſecularium famulos, utrimque contendentes ad ſe pertinere tapetem illum pretioſum, qui ſub pedibus orantis ſummi Pontificis ſubſterni ſolet; cum, inquam, comperiſſet ſcandali auctores fuiſſe illos Canonicos, & præterea, occaſione natâ deterrimos mores didiciſſet, Canonicos Regulares ſancti Victoris aſſentiente Rege adſcivit huic Eccleſiæ pulſis ſecularibus. Quod pro Concione Canonicis ſuis Genovefæis poſtea explicans in Feſto eidem Virgini ſacro, Stephanus tunc Abbas, fictione perbellâ, inducit Divum Auguſtinum unà cum Diva Virgine Genovefa deputatum cœlitus, ut Canonicum Ordinem inſtaurarent, illum leges Regularis vitæ præſcribentem, hanc habitu donantem ſuos novos incolas & hoſpites; veſte ſcilicet lineâ & cappâ nigrâ, quæ olim totum habitum Clericalem unicè conflabant. Concio curioſorum palato forſan incondita, piis tamen Canonicis, ac cæteris Clericis non erit inutilis nec injucunda. Thema concionis de B. Genovefa hoc eſt, non inelegans.

QUÆSIVIT LANAM ET LINUM, ET OPERATA EST CONSILIO MANUUM SUARUM.

» Anno ab Incarnatione Domini 1147. factum
» eſt verbum in Palatio Regis cœleſtis; & fide-
» liter pertractatum ac feliciter conſummatum.

Venerunt nuntii, qui dicerent Ecclesiam Apostolo- «
rum Petri & Pauli in Monte acuto sitam, «
in qua gloriosa Virgo Genovefa requiescit «
in corpore, multis expositam periculis, & in- «
formi statu suo morum potius quàm murorum «
minari ruinas, filios ejus singulariter & seculari- «
ter vivere, æmulari, agere perperam, inflari, «
ambire, quærere quæ sua sunt, vagari post gre- «
ges sodalium suorum, & Ecclesiastica stipendia, «
quæ sunt tributa egentium animarum, pro vo- «
luntate & voluptate sua consumere, portiones «
de communi facere, & non vivere in communi, «
divina officia minus sollicitè, minus devotè, mi- «
nus religiosè celebrare, diurnum pariter & no- «
cturnum horarum pensum debitum non solvere, «
nec curare. Propter hæc præsentem statum mu- «
tari debere & mundari sancta & in melius or- «
dinari, placuit sermo in oculis Domini sabaoth, «
& Principum ejus, qui ait vera sunt hæc, quæ «
dicuntur & correctionis manum desiderant. Sed «
cura hæc (inquiunt Principes cælestis aulæ) dif- «
ficilis est, quia invaluit morbus, & consuetudi- «
nem objiciunt, quæ est contraria veritati. Et ego, «
respondit Dominus, non sum consuetudo sed ve- «
ritas. Mala autem consuetudo non minus quàm «
perniciosa corruptela vitanda est, quæ nisi citiùs «
radicitùs evellatur, in jus privilegiorum assumi- «
tur; nunc verò manifestâ veritate cedat consue- «
tudo veritati. Sed ad hæc quis idoneus? quem «
mittam & quis ibit nobis? Nemo, inquiunt, «
Domine, magis idoneus est ad correctionem Cle- «
ricorum, quàm is qui de vita Clericorum san- «
ctam scripsit Regulam; ipse est Pater Augusti- «
nus Regularium Magister. Ad hæc quæritur «

»Augustinus per exploratores & ministros, & »cum non inveniretur inter alios Doctores, reve»latum est cuidam in visione quod esset inter Se»raphim ardentes dilectione & Cherubim haben»tes plenitudinem scientiæ, cum illis tractabat de »perfectione charitatis, cum istis de cognitione »veritatis. Vocatus adest, ad unius jussionis vo»cem in auditu auris obedientiam præstiturus. »Ecce inquit Dominus, ecce ego mitto te ad ho»mines seipsos amantes, ut evellas & dissipes, »ædifices & plantes, tibi datus est spiritus sa»pientiæ & intellectus, nec poteris causari cum »Moyse quod sis incircuncisus labiis; data est »enim tibi facundia ut quod intelligas commodè »possis eloqui. Et ille. Domine, inquit, si Cle»ricis istis sum necessarius non recuso laborem, »fiat voluntas tua; ecce ego mitte me, libellum »quem spiritu tuo docente de vita Clericorum »scripsi, deferam mecum, arguam eos & statuam »contra facies suas qualiter in communi & de com»muni vivere debeant, novam assumentes emen»dationem morum præcipuè in castitate, obedien»tia, & communione rerum, proponam eis eas »institutiones quas pro regendis Clericis ab Apo»stolis mutuò accepi, fideles ab eis recepturus »usuras, & Dominus prævalens prævalebit. Egre»dere igitur, ait Dominus, & fac ita. Sed viri »potentes sunt, ait Augustinus, & prudentiores »filiis lucis in generatione sua. Cui Dominus: Si »timueris eorum potentiam, nonne ego sum for»tis & potens in prælio, ego ante te ibo & glo»riosum terræ humiliabo. Si prudentiam eorum »objicias, nonne ego sum, qui comprehendo sa»pientes in astutia sua? Tu etiam nosti quod

sapientia

sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum. Ecce servus meus fidelis & prudens Eugenius Petri successor descendit ad partes istas, spiritum consilii dabo ei, in accessu illius omnis sapientia eorum devorabitur, potestatem habet ligandi & solvendi, non erit qui possit resistere sapientiæ & spiritui qui loquitur per eum; devotus autem filius meus Christianissimus Rex Ludovicus accingetur spiritu fortitudinis; nec enim sine causa gladium portat, habet zelum Phinées & Mathatiæ, si quis restiterit tibi, percutiet in manu potenti & brachio extento. Cum hæc agerentur & secretius in consilio decerneret Dominus; nuntiatur Genovefæ Virgini fidelis sermo & omni acceptione dignus. Erat autem ipsa inter Choros Virginum, sequens agmen & Agnum quocunque iret; gavisa est in sermone isto, & in gratiarum actione totam se colligens procidit ad pedes sedentis in throno, ipsa cum senioribus coronam suam virgineam mittens ante eum, Benedictus es (ait) Domine, Pater cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & revelasti ea parvulis. Complacuit tibi dare locum sepulchri mei his qui sunt pauperes spiritu, quibus promisisti regnum cœlorum, verè hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Peractâ gratiarum actione currit ad Reginam Virginum Virgo: Domina, inquit, de plenitudine virginitatis & munditiæ tuæ porrige mihi, unde novis futuris Canonicis meis formam candoris imponam; linum scilicet candidum, & ab ancilla tua Magdalena peccatrice postulabo lanam; ex lino tuo Superpelliceum, ex lana ejus Cappam fratribus

»meis conficiam, qui habitus est Canonicorum »Regularium non solùm proficiens, sed & sufficiens. In superpelliceo candor munditiæ, in »cappa rigor pœnitentiæ, ut qui viderint eos »superpelliceis indutos, dicant de eis, candidi fa»cti sunt Nazarei ejus, cum respexerint cappas »eorum, dicant de eis, nigri sunt sed formosi, »filiæ Jerusalem. Et ait Maria, Vade & sicut »petisti fiat tibi. Statim Genovefa Virgo ac»cinxit fortitudine lumbos suos, ut manum suam »mitteret ad fortia, & digiti ejus apprehende»rent fusum. Convocat in auxilium choream »Virginum quarumdam specialium virtutum, quæ »in confectione linearum vestium sunt peritæ, »multâ enim operâ opus est in præparatione hu»jus lini. Virgines ipsæ sunt pura intentio, pru»dens inquisitio, fluens compunctio, fervens me»ditatio, purgans confessio, fidelis oratio, jugis »operatio, subtilis discretio, spiritualis commu»nio. Per manus istarum Virginum linum vir»gineum seritur, metitur, rigatur, siccatur, à »stipula separatur, in fila extenuatur, texitur, »inciditur, suitur, & sic superpelliceum nostrum »perficitur. Intentio seminat, inquisitio metit, »compunctio rigat, meditatio exsiccat, confes»sio à stipula separat, oratio in fila extenuat, »operatio texit, discretio incidit, communio suit. »Habent singulæ istarum Virginum binas laboris »sui cooperatrices & consortes. Intentio, quæ »firmamentum est totius operis, prima procedit, »cujus comites sunt humilitas & taciturnitas; hu»militas humo semper proxima semen in terram »jacit, taciturnitas operit, ne vel ab elationis »tollatur vento, vel à volucribus vanitatis co-

medatur. Inquisitio metere dicitur, quia qui«
munditiam appetit, sicut occasiones peccandi«
fugit, ita & causas & media continendi ubi-«
cumque & undecumque potest, inquirit; huic«
adsistunt diligentia & vigilantia; diligentia ma-«
nipulos colligit, vigilantia ligat & constringit. «
Compunctio in aquam mittit, ut madefaciat; cui«
duæ comites adsistunt frequentia & copia; fre-«
quentia rigat, copia mollificat. De prima dici-«
tur, *lacrymis meis stratum meum rigabo*; de«
secunda: *Quis dabit capiti meo aquam & ocu-*«
lis meis fontem lacrymarum? Verè mollifica-«
tur & in amorem Domini liquescit anima quæ«
copiosè ad suam munditiam lacrymas effundit. «
Fervens meditatio exsiccat, quia quidquid lubri-«
cum vel fluxum invenerit, calore sancti desiderii«
decoquit & devastat. *Concaluit*, inquit ille, «
cor meum intra me & in meditatione mea exar-
descet ignis. Meditationi adsistunt dilectio &«
devotio. Dilectio facit linum calidum, devo-«
tio candidum. Confessio à stipula separat, cum«
virtutes segregans à vitiis, virtutes tacet, vitia«
accusat; habet & illa duas comites, quæ sunt«
severitas & veritas; severitas, quia qui confi-«
tetur sibi non parcit, imo quasi ferro rigorem«
lini constringit; veritas nil abscondit, imo pur-«
gans & mundans omnia, stipulam omnino à li-«
ni substantia exsufflat & excutit. Oratio in fila«
extenuat, quando rectè ad Deum preces emit-«
tens, Deum sibi reconciliat, *Dirigatur* (inquit)«
oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.
Adsistunt & huic duæ Virgines, supplicatio, &«
gratiarum actio; supplicatio dona postulat, gra-«
tiarum actio donantem laudat; supplicatio me-«

»retur veniam, & gratiarum actio coronam. Il-
»la tenet colum, ista trahit filum. In colo linum
»involutum & quasi confusum globo peccatorum
»scilicet, sed filo linum explicatur remissionis
»beneficio. Operatio texere dicitur, unde & vi-
»ta nostra operibus occupata telæ comparatur,
»*succisa*, inquit, *velut à texente vita mea.* Duæ
»hujus Coadjutrices sunt, conversio & conver-
»satio; conversio orditur, conversatio filum filo
»coaptans continuè texit; & quia nescit homo an
»odio, an amore dignus sit, quasi pendula tela
»est vita, sive operatio nostra, ut enim dictum
»à quodam,

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

» Solent textores inter lignum superius, & li-
»gnum inferius pendentem texere telam, unde
»Poëta,

Lassaretque duas pendula tela manus.

» Sedet operatio nostra inter lignum superius,
»idest spem, & lignum inferius, idest timorem.
»Quantum detrahitur timori, tantum additur
»spei; sicut contingit in illis duobus lignis, in
»quibus tela texitur, ut quantum per involutio-
»nem additur alteri, tantum per evolutionem al-
»teri detrahatur. Discretio incidit, ipsa est enim
»quæ superflua resecat, & auget imminuta, ip-
»sa nec modum excedit nec infra subsistit, deser-
»viunt ei temperantia cohibens, & prudentia
»supplens, juxta illud Poëtæ

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Communio ipſa eſt quæ fuit; facit enim unius« moris habitare in domo, ipſa docet ſervare ſpi-« ritûs unitatem in vinculo pacis, ipſa facit ut« una ſit fides mentium & pietas actionum. Hæc« habet duas præcipuas Virgines cooperantes ſibi, « quæ ſunt veritas Sacramentorum & unitas mo-« rum; altera communio Sacramentalis, altera« communio ſocietatis; prima colligit omnes Chri-« ſtianos Catholicos, ſecunda Religionis profeſſos; « de prima dicitur in Symbolo *Sanctorum Com-« munionem*, ſecundam exprimimus in profeſſio-« ne Regulari noſtra, ubi præter emendationem« morum, promittimus communionem bonorum. «

Itaque perfecto ſuperpelliceo lineo Beata Vir-« go Genovefa ſollicita de conficienda cappa, cur-« rit ad Beatam Mariam Magdalenam, poſtulans« ab ea pœnitentiæ lanam; nam & ipſa de lana« capitis ſui pedes Domini, quos lacrymis lave-« rat, exterſit; lana de carne naſcitur, & pœni-« tentia in afflictione carnis exercetur. Dominus« ait: *Quia dilexiſti multum, dimittuntur tibi« peccata multa*; da mihi igitur, inquit ad eam Ge-« novefa, de lana tua; nam etſi tu priùs capra« fueris, ſed modò ovis facta es. De vaſe contu-« meliæ vas gloriæ facta, de lana tua cappam« pœnitentiæ conficiam fratribus meis & filiis meis« Canonicis novis, & plorabunt tecum ad pedes« Domini Jeſu. Nigra erit hæc cappa, quoniam« hic color aptus eſt pœnitentiæ. Ad hæc Mag-« dalena; Euge ſoror mea Genovefa Virgo Deo«

Dd iij

»devota, quid à me petis, quod ipsa poteris præ»stare continuò filiis tuis; tu enim sequeris Ag»num quocumque ierit, ex quo lanam tuo insti»tuto decerpas & accipias, tribuatque ipse secun»dum cor tuum, & omne consilium tuum con»firmet. Sume tamen quod volueris de lana »mea, ut qui in Ecclesia tua deserviunt Canoni»ci, ad condignos fructus pœnitentiæ movean»tur exemplo meo. Sed ad compositionem cap»pæ hujus quam postulas, necessaria sunt opera »superiorum virginum; igitur debet lana tonde»ri, lavari, siccari, carpinari, filari, texi, inci»di, ac sui. Per rectam intentionem tondeatur, »per compunctionem lavetur, per meditationem »siccetur, per confessionem carpinetur, seu pur»getur, per orationem filetur, per operationem »texatur, per discretionem incidatur, per com»munionem suatur & conservetur. Tingenda est »ista lana nigro colore, qui convenientior est pœ»nitentibus, idque duplici tincturâ, memoriâ sci»licet mortis, & memoriâ extremi judicii. Hæc »duo si cordibus pœnitentium profundiùs inse»derint, cappam Canonicis Regularibus conve»nientem habebunt; cor enim sapientum in tri»stitia est. Cui Genovefa: Beata es tu, & bene»dictus sermo oris tui. In hac voce vestem li»neam, & cappam tanquam vestem nuptialem »secum de cœlestibus afferens Genovefa, Reli»gionis habitum suis imponit. Et ecce impletum »est in ea, quod de forti muliere dictum est, »*Non timebit domui suæ à frigoribus nivis*; fri»gus est nivis congelatæ, & frigus nivis lique»factæ. Nix congelata est iniquitas inveterata, »nix liquefacta est luxuria inquinata; qui autem

vestiti sunt duplicibus in domo Virginis nostræ, « in cappa pœnitentiæ non timebunt frigus nivis « congelatæ, idest iniquitatem induratam; in su- « perpelliceo munditiæ non timebunt frigus nivis « liquefactæ, idest luxuriæ inquinationem. Hac « duplici veste regulariter induti, videamus ne « superpelliceum nostrum sordibus polluatur, & « ne cappa nostra scissuris rumpatur, ut per mun- « ditiem omni tempore vestimenta nostra sint can- « dida, & per continuam pœnitentiam tanquam « tunica talaris sit cappa nostra. Amen. «

CAPUT XII.

De byrris Clericorum, Canonicorum & Episcoporum.

POstquam explicuimus varia nomina, formam, ac mysteria vestis lineæ Clericorum, restat aliud vestimentum præcipuum apud Canonicos & Episcopos inquirendum, scilicet ***byrrus***; sub quo nomine comprehenduntur, ***cappa***, (de qua tam piè disseruit suprà Stephanus Tornacensis) ***Almutia***, ***Camelaucion***, ***Mozetta***, ***Homophorium***. Habitus enim Canonicalis sicut & Episcopalis, lineâ & cappâ præcipuè continetur. De Canonicali quidem id pronuntiavit suprà Stephanus, dum hæc duo sufficientem habitum Canonicorum scripsit; nam olim vel byrreti aut pilei quadrati, ac etiam gestationis almutiorum super unam scapulam, vel super brachium non erat mentio; hæc enim commoditas induxit, dum cappam integram

aut byrrhum lacernum (quæ idem sunt,) æstate præsertim onus minimè ferendum existimantes hyemis tempori tantum opportunum judicavêre. De Episcopali verò acta D. Cypriani sæpius relata meminêre, lineæ ejus vestis, & byrri tanquam præcipui habitûs, & ipsemet Augustinus nonnisi hæc duo memorat, tam pro se quam suis Canonicis. *Nemo* (ait) *det mihi byrrum vel lineam tunicam, nisi in commune*; *nolo enim talia afferat sanctitas vestra, quibus ego solus quasi decentius utar*; *sed qualia decenter habere potest Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus.* Hinc mos etiam ad nostra pervenit tempora, ut Canonici Regulares exemplo Pontificis Augustini usi sint veste lineâ & byrro, tamquam præcipuo habitu. Byrrum Itali, vocavêre *Camail*; nam *Camela* Italis est genus pilei, ut observat Anselmus Solerius lib. de Pileo. Unde camelaucion παρὰ τὸ ἐαύνειν τὸ χαδμα, quod prohibeat solis ardorem. Hispani vocant *Mosettam*; Latini vel potius Germani *Almutium*, Græci ὠμοφόριον; Latini *Cappam*, à capite, cui imponitur, vel quòd corpus capiat & ambiat. Porrò camelaucion idem est cum almutia Anselmo Solerio lib. de Pileo, pag. 152.

CAPUT XIII.

Quodnam sit vocabulum Byrrus, *& quod genus indumenti?*

NOn parva difficultas est scire, quale sit vocabulum *Byrrus*; an debeat dici in masculino genere *Byrrus*, vel *Byrrum* in neutro? & an scribendum *Byrrus*, vel *Birrus?* D. Augustinus *Byrrum* usurpavit in neutro genere, sermone 18. de verbis Apostoli cap. 10. & in sermone 50. de diversis. Concilium Gangrense Can. 12. Cælius Rhodiginus *lib.* 16. *antiq. lect.* Flavius Vopiscus apud Molanum in masculino. Sanctus Gregorius *lib.* 7. *Regist. Epist.* 5. byrrum albam memorat datam in baptismo.

Sed Balsamon & Zonaras graviorem de byrro movent quæstionem in Canonem 12. Concilii Gangrensis, unde scilicet derivetur vox *Byrrus?* existimant manare à Græca voce βήροις, quæ significat sericeas vestes: quibus favere videtur titulus in Codice Justiniani de vestibus holoberis lib. XI, tit. VIII. Cujacius enim ibi consentit Zonaræ, per vestes holoberas intelligens totas sericas, ac etiam Justellus in cap. 12. ejusdem Concilii; pretiosos propterea byrros memorant Cassianus lib. 1. de Institutis Renuntiantium. Cap. 7. scribens ipsos planeticarum ac byrrorum pretia ambitionemque declinasse; & Flavius Vopiscus in Carino. Attamen non desunt, qui viles byrros memorent. D. Augustinus meminit byr-

rorum nullius pretii pauperibus accommodatorum serm. 50. de diversis. Petrus Pithoëus laudatus à Joanne Molano lib. 3. de Canonicis, scribit byrrum fuisse vile vestimenti genus. Persius Satyrâ 1.. refert quemdam *Byrri tetrâ indutum lacernâ*, & Ausonius ad Drepanium, *horribilis Burræ meminit*. Codex Theodosianus lib. 14. *Byrrum servorum habitum* pronuntiat; dantur igitur byrri pretiosi, dantur viles: unde nil certi adstruunt Balsamon & Zonaras, proptereaque meritò Baronius explicans Canonem 12. Concilii Gangrensis, ubi de byrris, & post hunc Anselmus Solerius lib. de Pileo sect. 13. rejiciunt etymologiam byrri à sericis.

Meliùs mihi videntur aliqui trahere à voce Græca πυῤῥὸν. mutatâ scilicet tenui mutâ π. in mediam β. Id censent Isidorus in Orig. lib. 1. cap. 26. scribens, quod interdum aliæ litteræ in locum aliarum ritè ponuntur, verbi gratiâ β. & π. quibus quædam cognatio est; nam pro πυῤῥὸν, ait, βυῤῥὸν dicimus. πυῤῥὸν autem significat igneum seu ignei coloris. Eam sententiam tuetur Joannes Mauburnus *in Venatorio*, & ait, *Byrrhum dicitur (auctore Joanne Tortelio) quasi pyrrum, idest igneum, est enim coloris rufi & ignei, nec mirum si Clerici & Episcopi sancti illius temporis tale vestimentum inducbant, quod sacerdotum adhuc similitudinem aliquam antiquorum illorum tenebat sacerdotum, quibus purpura donata erat, sicut legitur de Simone summo sacerdote purpurâ à Rege donato.* Confirmat eam sententiam Erasmus in Ecclesf. l. 3. ubi ait Augustinum repudiasse pileum πυῤῥὸν pretiosum, ex loco desumpto ex sermone 50. de divers. idest

pileum rubrum seu subrubeum. Succinunt pro pileo rubro seu πυῤῥῷ & byrro, Patres Concilii Frisingensis mox laudandi; & inter Grammaticos Martialis Scholiastes ad Epigramma 2. & Ambrosius Calepinus in voce *Burrus*. Ex quo patet scribendum esse *Byrrus*, non *Birrus*, ac Græcum esse vocabulum. Explicationi byrri à subrubeo seu rufo colore favet ipse Baronius ad annum 261. num. 41. notans summum Pontificem hujusmodi byrro subrubeo uti, & in hoc servare aliquod vestigium antiquitatis, & byrri S. Cypriani. Movet tamen Anselmum Solerium lib. de Pileo sect. 13. quod aliqui hinc ansam arripuerint scribendi, pilei rubri usum antiquissimum fuisse, & initio omnibus Episcopis communem, indeque posse concludi Innocentium IV. non fuisse primum, qui in Concilio Lugdunensi anni 1244. Cardinales rubro galero donarit: nam contendit byrrum antiquum non fuisse merum capitis tegmen, cujusmodi est hodiernus Cardinalium dibaphus seu galericulus rubeus.

Præterea, byrros fuisse pelliceos, censent Ambrosius Calepinus in voce *Burrus*. Joannes Molanus lib. 3. de Canonicis, & alii apud ipsum, qui & existimant eam vestem esse quam nos *Almutiam* dicimus. Petrus Pithoëus eamdem sententiam sequitur. Laurentius Lantmeter lib. de Veter. Cleric. habitu cap. 12. citat Glossarium Camberonense, ubi byrrus significat pannum villosum à villis seu pilis caprarum, & Severus Sulpitius dialog. 1. byrrum dicit Endromidam hirtam & asperam, & recentiores Vocabulistæ vocant *Caputium forratum*, quod caput & humeros tegit.

Denique byrrum fuisse brevem capitis & humerorum amictum, docet Venantius Fortunatus, cum narrat de Lothario Rege, quod allamberet S. Germani Parisiensis Episcopi *palliolum*. Idem sentit & probat Baronius in actis Cypriani; ex eo enim quod referunt Cyprianum complicuisse byrrum ad genua, arguit perbrevem fuisse & facili negotio ad genua complicabilem, ad differentiam tunicæ, quam antea Diaconis tradidisse eadem Acta narrant. Eodem modo censet explicandum locum Gangrensis Concilii Can. 12. *Si quis virorum putaverit sancto proposito, idest continentia convenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo justitiam habiturus, & reprehendat vel judicet alios, qui cum reverentia byrris utuntur, anathema sit.* Nam reprobans sensum Balsamonis & Zonaræ, qui dicunt, ideo Eustatianos Monachos palliatos, incessisse eos, qui byrris utebantur, quia byrri erant vestes pretiosæ; adstruit potius fuisse damnatos ejusmodi Monachos, quod amicti pallio sui longitudine & latitudine diffluente, eos damnarent, qui byrro nempe palliolo seu breviori uterentur operimento.

Nec obest quod *Byrrus*, quem ad genua complicuisse dicitur Cyprianus, vocetur *Lacernus*; talis enim dicitur, quia lacernæ seu tunicæ fluenti Cypriani superimponebatur, huicque adaptabatur super humeros. Nam lacerna propriè est ampla vestis sine caputio, quod hîc *Byrrum* dicimus. Quæ quidem ab Ambrosio Calepino post Festum talis dicitur, quasi *lacera* defectu caputii. Id apprimè discriminavit Severus Sulpitius 1. Dialog. cap. 14. dum invehitur in voluptuosos Clericos his verbis, *Hac caris viduis ac fami-*

liaribus mandant tributa virginibus, illa ut byrrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam. Byrrum enim rigentem ſtatuit, lacernam verò fluentem. Byrrus igitur ſolitariè ſumptus, eſt palliolum ſeu caputium quod caput & humeros tegit, dum verò inſutum eſt pallio amplo ſeu lacernæ, dicitur *Byrrus lacernus*; nec aliud prorſus eſt quàm quod poſtea alio vocabulo vocavêre cappam, quâ etiam utuntur omnes Prælati, Cardinales, Doctores ac Magiſtratus, in ſolemnioribus actibus, ſed byrro ſuper ſcapulas devoluto; ab eo tempore quo byrretorum uſus invaluit. Byrrus etiam ſolitariè ſumptus, eſt *Almutia* ſeu *Caputium*, quod aliqui vocant *foderatum*, quod cum æſtàte eſſet incommodum ob *foderaturam* ſeu lanam ovium, aut villos caprarum, ex quibus fuiſſe conflatum ſuperiùs dictum eſt; ſuper utrumque humerum à capite defluxit; deinde uni ſcapulæ impoſitum, quod Doctores & multi Canonici Regulares huc uſque obſervant, & tandem ſuper brachium ſiniſtrum geſtatur ab omnibus ferè ſecularibus & Regularibus Canonicis; quâ de causâ adinventa fuêre byrreta, quaſi parvi byrri ſoli capiti operiendo deſtinati, exemplo antiquiſſimorum Patrum, Hieronymi & Paulini, quorum ille gratias huic agit Epiſt. 10. in hunc modum. *Pileolum texturâ breve, charitate latiſſimum ſenili capiti confovendo libenter accepi & munere & muneris auctore lætatus.* Quæ quidem, ſicut byrrus à pyrron dicitur, ſic byrreta idem ſunt ac pyrreta, ſecundum illud Concilii Friſingenſis anni 1440. Can 4. *Pyrretum capiti ſuperpoſitum cum caputio humeris impoſito, portare ipſis in publico deam-*

bulantibus prohibemus. Ex Epitaphiis variis Claustri S. Genovefæ observant nostri Canonici jam byrreti rotundi usum invaluisse, abacto super humeros caputio, anno 1252. Rotundum adhuc etiam fuisse suâ ætate notat Petrarcha lib. 1. de Remed. Dialog. 12. & hoc (ait Solerius pag. 113.) in signum perfectionis quam corona seu figura sphærica designat. Sensim autem sine sensu byrretum rotundum in quadrum evasit abhinc 200. annis, ut ex variis picturis celebriorum virorum apertè colligitur. Quam quidem formam quadratam non minus fœtam mysteriis censet Anselmus Solerius; quæ in Sacerdote, cujus labia custodiunt scientiam, est symbolum immobilitatis & stabilitatis, quâ omni vento doctrinæ non circumferatur. Est etiam Crucis Dominicæ expressio, propter quam pius Caracciolus in Regulam Theatinorum, admonet & manè cum sumitur byrretum, & vesperi cum deponitur, figendum esse ipsi osculum. Sed altius mysterium hîc deprehendit Anselmus Solerius pag. 146. nempe, eandem esse hujus formæ quadratæ rationem, quæ quondam *quadrati* quod viris aut ex muneris quod obibant debito, aut virtutis eximiæ decore perfectis quondam supra verticem collocabatur, pro quo laudat Joannem Diaconum lib. 4. vitæ sancti Gregorii cap. 34. & Alemannum, dissert. de parietinis Lateran. cap. 7. eratque (ait Solerius) vel mortis monela, quasi operculum loculi condentis cadaver, aut nota præcellentiæ; eo modo quo nunc *umbella quadrata* considentibus viris principibus, superponitur; aut tandem insignis virtutis indicium, quâ ratione Methodius lib. de Virginitate τετραγώνους, idest quadratos,

viros perfectæ ac consummatæ virtutis pronuntiat.

CAPUT XIV.

De Almutiis, qualis sit illa vox, quod indumentum, & unde apud Canonicos?

ALmutium aut almutiam, vestem scilicet intimè & extimè pelliceam, vel extimè tantùm, quam olim super caput & humeros, deinde super humeros tantùm, postea super unam scapulam, & tandem super brachium sinistrum gestant Canonici, quidam trahunt à voce *Armutium*, seu ab armis tegendis; quam D. Paulinus in Epist. 3. & 7. ad Severum, *Armilausam* vocat; ubi Fronto Ducæus post Isidorum lib. 19. Original. cap. 22. & Suidam in etymologico scribit, *Armilausam* dici quasi *Armiclausam*, quòd claudat armos antè & retrò. Accedit quod Ordinarium Ecclesiæ Laudunensis fert, *Canonicos debere intrare in Chorum cum suis Armilausis*. De almutiis secundùm Concilium Basileense Sess. 21. *Canonici Ecclesias ingrediantur Almutias vel byrreta tenentes in capite*. Bayfius *de re vestiaria*, cap. 16. benè deducit à verbo Latino, *Amicio*, quasi dicas *Amicia* vel *Amictia*, cui respondere videtur Gallicum vocabulum, *Amuces ou Aumuces*.

Cujus autem generis sit vocabulum, & unde originem duxerit, ignorare se doctissimus Molanus

profitetur lib. 3. de Can. cap. 5. qui tamen has aliorum affert explicationes. Primò ait, nonnullos *almutium* dicere quasi Flandricè esset *aëlmuetsse* voce corruptâ ab *aëlmoësse*, quam Latinè *eleemosynam* dicimus, quasi Canonici ex eleemosynis victitarint, & in illius signum saccum mendicitatis in brachio gestarent. Verum, ait Molanus, hi veteris moris ignari voluntarias sequuntur imaginationes. Secundò ait, Goropius Becanus Hieroglyf. lib. 2. Almutia dicta esse vult, quasi *Aldenmutsen*, hoc est antiqua pilea, ex quo intelligimus olim primarios Sacerdotes pileis pellitis more Gothorum veterum & Germanorum hujus temporis usos fuisse cum appendicibus infularum; quod caudæ fimbriarum in almutiis clarè demonstrant. Sed (ait Molanus) has cimbricas conjecturas Doctorum virorum judiciis obtrudere aut commendare non audeo. Tertiò refert Molanus auctoritatem Baysii ab *Amiciendo*, à qua Galli, (ait Molanus) almutii vocem confixere. Quartò memorat Molanus Laurentium Benard qui à Gallico derivat, *haut musse*, quasi esset *en haut musser*, supernè abscondere caput. *Benard Paranes.* 15. Quintò meminit Gesneri deducentis à mure Pontico; est enim, inquit, vestis sacerdotum maximè Canonicorum ex pellibus murium Ponticorum, sive Variorum cum caudis ad imum dependentibus in margine, cui respondet Teutonicum *Almuis*, quasi totum ex moribus. Quid de hac ultima interpretatione sentiat Molanus non dicit. Re vera gestavêre ejusmodi almutias de muribus Ponticis vel Variis olim Canonici, ut notavimus cap. 7. lib. 2. De hujusmodi etiam loquitur Benedictus

dictus XII. in Constit. pro Can. Reg. §. 40. his verbis. *Prohibemus de cætero ne dicti Canonici ferant forcaturas de ventribus Variorum aut squirolorum cum dorsis permixtis, sed sint de civilibus, simplicibus albis, nigris aut griseis.*

A quibus autem id genus vestimenti hauserint Canonici, facile est invenire; nam vestis pellicea duplicis generis fuit apud ipsos una totum corpus tegens, de qua variæ Constitutiones Canonicorum meminêre, præsertim illæ Godegrandi Episcopi Metensis: & à qua vestes lineæ quæ illi superponuntur dictæ fuerunt *superpellicea*, teste Durando Mimatensi Episcopo suprà cap. 6. num. 7. Quibus quidem pelliceis successêre vestes de panno. Et adhuc apud Canonicam sancti Eligii ad Attrebatum, Novitii gestant ejusmodi pellicea alba de pellibus ovium confecta, cui superinjiciunt lineas vestes, interim dum in sacris constituti coloris violacei vestibus induuntur. Altera vestis pellicea, *Armutium* seu *Almutium* est de quo hîc agimus.

Utramque à Monachis mutuati sunt Canonici. De prima quidem patet, nam id genus vestis suaserat olim Monachis paupertas & austeritas. Joannem Baptistam pelliceis seu pilis camelorum indutum ideo scribit Chrysostomus Homil. 10. in Matth. ut habitu ipso doceret mundi contemptum, & omnem superbiæ rationem contemnendam, homines quoque ad omnem laborem ipso habitu præpararet. Et de eodem genere vestimenti Monachis conveniente ad exemplum Joannis, ait Chrysologus serm. 148. his verbis. *Induebatur tortuosissimi animalis pilis, nil habentis recti, nil gratiæ, nil decoris, quem natura dedit labori*

duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit servituti, tali pœnitentiæ Magister indui debet vestimento. Paulinus Epist. ad Severum 10. & Macarium 36. ait. *Deum dilexisse in Monachis, quod Eliæ melotem & setigerum Joannis habitum imitarentur.* Severus Sulpitius de Monachis sancti Martini scribit, *plerosque eorum camelorum setis vestiri solitos, mollior enim habitus* (ait) *illis pro crimine erat.* Tali forsan habitu vestitum Divum Benedictum & inter fruteta inventum pastores feram crediderunt.

De secunda veste pellicea, quam *Almutium* dicimus, etiam à Monachis eam hausisse Canonicos, palam est. Sic censet Laurentius Lantmeter *lib. 1. cap. 27. de Vet. Cler. habitu.* sic Haëftenus Monachus Affligeniensis *in disquisitionibus Monast.* Nam teste Cassiano, Monachi Ægyptii pro summa veste, pellem caprinam gerebant; quam *Melotem* appellat, à μῆλον, ovis. Similiter sanctus Pachomius apud Palladium in Lausiacis cap. 38. vult singulos Monachos gestare pellem ovillam, quam communicaturi deponant. Acta Divi Antonii referunt ipsum Athanasio legasse *melotem* & pallium tritum. Hieronymus Hilarioni præter tunicam saccineam, pelliceum tribuit Ependytem, idest humerale pelliceum. Tandem Theodoretus Philot. cap. 6. refert de Simeone prisco, quod *exiguum ex pelle caprina contextum pannum super humeros habebat.* Et hæc quadrant cum iis quæ supra notavimus de byrro, quem villosum fuisse indumentum super caput & humeros gestatum probavimus, indeque nil differre ab Armutio aut Almutio. Conjicio verò mutuationis Almutiarum à Monachis apud Canoni-

eos, causam fuisse convictum seu commixtionem utrorumque in variis olim Ecclesiis; Monachi enim Benedictini jubentur in Regula sancti Benedicti cap. 55. gerere *cucullam in hyeme villosam seu hirtam, hirsutamve*, à qua procul dubio Armutia, vel Almutia Canonicorum; & æstate eandem *cucullam* gestare *puram*, ideft laneam absque villis, unde forsan manavêre cappæ Canonicales. Postea in ornatum assumpta sunt almutia supra brachium, etiam æstate; & cappæ Canonicales adhuc in multis Ecclesiis, hyeme, sunt villosæ seu forratæ saltem in caputio. Quam cohabitationem observant Platina in vita sancti Gregorii ex Anastasio Bibliothecario, & Baronius in vita sancti Unuani Hamaburgensis Episcopi ad annum 1013. quem scribit, *Congregationes mixtas antea ex Monachis & Canonicis ad Canonicam Regulam primùm traxisse.*

CAPUT XV.

Quid moraliter significent Almutia?

BYrrum seu almutium ovis errantis reducendæ typum referre in Clericis, docet Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 136. simili ratione Græci Sacerdotes juxta Curopalatem cap. 1. ὠμοφόριον gestabant, de quo sic Gretserus ibi. *Est proprium Episcoporum gestamen, quod ex lana confectum (inquit Simeon Thessalonicensis) sine dubitatione à Verbo carnem ex Virgine propter nos susceptam, humanaque natura assum-*

ptionem declarat. Ideo enim ex lana texitur, quoniam erraticam ovem, hoc est, naturam nostram significat, & quoniam ipse quoque Agnus pro nobis occisus vocatus est; ipsa item verba quæ humeris eo tegendis profert, sententiæ huic suffragantur, (ait enim) sublatâ in humeros, Christe, naturâ, quæ erraverat, assumptus Deo & Patri illam obtulisti. Hinc intellige cur byrri, vulgò *Camails*, Episcoporum debeant esse non serica, sed lanea, saltem ex superiori parte.

Id etiam mysterii significant almutia Canonicorum, quæ olim ex agninis pellibus erant conflata, ut colligitur ex Constitutionibus Godegrandi, Petri Ravennatensis, quæ ad calcem Petri Damiani recensionis Cajetani ponuntur, Ordinis vallis scholarium Canonicorum S. Genovefæ capite *de vestiario*, & aliis. Cum enim Collegia Canonicorum sive secularium, sive Regularium, fuerint tot Seminaria Parochorum; ovium custodiam habent designatam ex gestatione ejusmodi almutiarum, quas olim super humeros ferebant, eóque exprimebant Christum Pastorem bonum portantem infirmas oves in humeris suis.

Concludo præclaris sanè verbis Divi Caroli Borromæi, dum monet, in Concil. Mediol. 5. *Canonicum, dum humeris vel brachiis almutiam pelliceam imponit, eam cogitationem suscipere, in se restinctas ac planè mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones atque cupiditates, ut ejus rei significans est illa animalis intermortui pellis quam de more gestat.*

CAPUT XVI.

De Cappa Canonicorum, qualis ſit; unde, & quid ſignificet?

NEmo neſcit cappam, quæ totum corpus circumveſtit, conflaturque ex lacerna ſeu pallio longo ſyrmate terram attingente, cui in ſuperiori parte aſſuitur, vel ſuperimponitur caputium pelliculis ſuffultum, vel ſolummodò laneum, habitum Canonicorum eſſe; quæ ſic dicitur quod totum corpus capiat.

Hujus generis indumenti iis adſcribit Benedictus XII. in Conſtitutionibus editis pro Canonicis Regularibus. Concilium Baſileenſe *ſeſſ.* 21. & Hiſtorici, inter quos Jacobus de Vitriaco *in capite* 24. *Hiſtoriæ Occidentalis*, & Stephanus Tornacenſis concione de ſancta Genovefa, ſuperiùs relatâ, ubi refert completum habitum Canonicorum eſſe togam lineam & cappam. Ita olim peculiare erat indumentum Monachorum, ut Concilium Aquiſgranenſe ſolemni edicto vetuerit, ne Canonici cucullas Monachorum induerent; ſic enim habet. *Reprehenſibilem apud pleroſque Canonicos inoleviſſe comperimus uſum, eo quod contra morem Eccleſiaſticum, cucullas, quibus ſolis Monachis utendum eſt, induant; cum utique illorum habitum penitus uſurpare non debent, à quorum propoſito quodammodo diſtant; ſicut enim turpe eſt, virum veſtem muliebrem, & mulierem veſtem virilem induere: ita val-*

de indecorum est, Canonicum vestem monasticam induere; unde is abusus meritò ab his qui sanum sapiunt, reprehenditur, & proinde ne abhinc fiat penitus inhibemus.

Caverat etiam Urbanus II. cap. 19. quæst. 2. cap. 2. *Ne Canonici Regulares utantur cucullis monasticis, nisi publicè lapsi sint*; tunc enim tantum vult, *ut memorialem delicti perpetrandi cucullam deferant.*

A Monachis tandem transiêre ad Canonicos, ut censet Lantmeter *lib. 1. de veter. Cleric. habitu.* Invectæ autem sunt (ut opinor) & apud Clericos & Canonicos prius byrratos, ex convictu cum Monachis in plerisque Ecclesiis, vel ex Monachis ad Episcopatum assumptis, qui Canonicos ad quamdam Monachismi speciem adegêre. Hinc est quod Molanus relatus à Benedicto Haëfteno *de disquisitionibus Monast. pag.* 511. ait, Canonicos olim veluti argumentosas apes multa sanctissima instituta ex Regula sancti Benedicti in suam Regularem observantiam transsumpsisse, & sub Canonico habitu, Monachorum vitam perfectè implesse. Hujus rei exemplum, & ad rem, habemus in materia capparum, relatum à Baronio ex Osberto ad annum 970. de Ethuvoldo, qui ex Monacho factus Episcopus Wintoniensis, cum post varios conatus nequivisset Clerum suum ad disciplinæ normam adducere, die illo quo in Missæ sacrificio pro Communione canitur, *servite Domino in timore &c.* in medium projectis cucullis aliquot monachalibus dixit. *Si verè cogitatis servire Deo in timore, & exultare ei cum tremore, apprehendite disciplinam, id est vestem monasticam.* Eodem sanè

modo & color niger in veſtibus apud Clericos uſu venit, ut Baronius obſervat ad annum 393. Quantum autem ad ſignificationem cappæ, præter ea quæ fusè & piè ſupra diſſeruit Stephanus Tornacenſis, addunt Curopalates & S. Carolus Borromæus; ille quidem cap. 1. & Gretſerus ibidem, Græcos Sacerdotes uſos fuiſſe quodam genere veſtimenti, quod *Pheloxem* vocabant; nilque aliud erat quàm pallium oblongum ſeu cappa manicis carens; de quo veſtimento differens Simeon Theſſalonicenſis ait, φελώνιον *monſtrat ſaccum, quo per ludibrium Salvator indutus eſt, ideo & ſacci formam habet, nec enim in eo ſunt*, quæ apellantur μανίκια ſeu manicæ. Sanctus verò Carolus *in Concil. Mediol.* 5. dicit, *cum Canonicus cappam induit, quæ humeros contegit & brachia quaſi devincit; ex eo amictu intelligat ſe repreſſas quaſique devinctas habere debere appetitiones, ac ſe totum ad Dei voluntatem accommodare.*

CAPUT XVII.

In quo differant Cappæ Canonicorum à Cucullis Monasticis.

QUamquam autem Canonici ſe ſe quodammodo in ritum monaſticum compoſuerint aſſumptione capparum, attamen aliquod diſcrimen ſemper interceſſit inter cucullos Monachorum & cappas Canonicorum. Modicum notat Lantmeter lib. 1. de vetere Cleric. habitu cap. 6. quòd *Monachorum pallia anguſta eſſent, cappæ verò hodiernæ laxæ ac longo ſyrmate terram verrentes.* Sed majus diſcrimen inter utrumque indumenti genus notare licet; nam differunt in eo quod cuculli Monaſtici manicas habent amplas, juxta Clementinam *de ſtatu Monachorum*, *Ne in agro*, ubi decernitur, ut Monachi veſtem gerant, largas manicas habentem uſque ad pugnum protenſas. At verò cappæ Canonicales non ſunt manicatæ, ut declarat Concilium Lateranenſe IV. œcumenicum cap. 16. & Eboracenſe anni 1194. Can. 6. & Spondanus tom. 1. Continuat. Annalium Baronii ad annum 1208. num. 6. meminit Conſtitutionis Synodalis, quæ prohibet Clericis geſtare cappas manicatas. Deinde cuculli ſunt ſtricta capitis tegumenta, ut docent Caſſianus & Dorotheus; cappæ verò habent caputia ampliſſima. Præterea cuculli debent eſſe acuminati in vertice capitis, teſtibus Martiale, Radero & Scaligero,

alibi relatis; non ſic verò caputia Canonicorum, quæ in vertice capitis ſunt plana & formata ſecundum capitis figuram. Attamen Clementina, *Ne in agro.* ſtatuit, deinceps ad vitandam obſcuritatem verborum, *Cucullæ* nomine intelligi debere habitum longum manicas non habentem, nomine verò *flocci* habitum longas & amplas habentem manicas, quamquam *floccum* multi adhuc *Cucullum* vocent.

CAPUT XVIII.

An liceat Canonicis Regularibus, Prælatis aut Beneficiatis, uti cultu Clericorum ſecularium in ſuis Epiſcopiis aut Beneficiis?

ALia eſt in hac materia & quæſtione, cauſa Monachorum, alia eſt cauſa Clericorum, & Canonicorum Regularium. Circa primos, ideſt Monachos, obſervant aliqui, contrarium morem fuiſſe in Eccleſia Latina & Græca, circa Monachos ad Epiſcopatum aut Clericatum aſſumptos. In Græca quidem ſuum ſchema Monaſticum inviolabiliter retinuiſſe; & in exemplum adducunt factum Photii laïci, qui in Patriarcham inauguratus, morem hunc geſtandi cultûs Monaſtici adimplens ſpecie tenus, ante omnia fuit in Monachum attonſus.

Apud Latinos autem cenſent iidem, geſtationem Clericalis veſtis olim fuiſſe liberam Mona-

chis ad Clericatum assumptis, quòd olim per Episcopatum & Clericatum Monastica professio quodammodo dirimeretur; id in usu fuisse in Africana referunt, sed sine teste, aut auctoritate. De Ecclesia Gallicana, licet insectando, hunc morem fuisse, insinuat satis Severus Sulpitius in Dialog. 1. cap. 14. *Si quis è Monachis,* (ait) *Clericus fuerit effectus, dilatat continuò fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursationibus, ipse etiam ubique discurrit; & qui ante pedibus aut asello, ire consueverat, spumanti equo superbus invehitur, parvâ prius ac vili cellulâ contentus habitare, erigit celsa laquearia, construit multa conclavia, sculpit ostia, pingit armaria, vestem respuit grossiorem, indumentum molle desiderat, atque hæc caris viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus, illa ut byrrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam.*

Affine est illud Hieronymi ad Jovinianum factum Clericum ex Monacho lib. 1. cap. 25. *Post sordidam tunicam & nudos pedes cum ad candidam vestem & nitidam cutim se conferat, manifestum est quod terram cœlo, ventrem Christo præferat.* Sericis etiam ac lineis vestibus indutum describit ibidem Hieronymus his verbis lib. 2. contra eumdem cap. 13. *Antè nudo eras pede, modò non solùm calciato sed & ornato: tunc nigrâ subuculâ vestiebaris sordidatus & pallidus, nunc lineis & sericis vestibus & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* Idem Hieronymus non vult Nepotianum Clericum ex Monacho inauguratum, Monasticum schema

abjicere, ut nigras vel candidas vestes Clericorum assumeret, & in amictu lineo incederet. Quo datur intelligi id in more positum ab his qui ex Monachis in Clericos assumebantur. Verùm huic mori seu consuetudini pravæ occurrere volens summus Pontifex Innocentius III. in Concilio Lateranensi decrevit solemni edicto, *Monachos ad Episcopatum evectos gerere debere suum habitum Monachalem.*

Sed hæc, inquam, de Monachis dicta sufficiant; quod enim Canonicos Regulares spectat, res se se aliter habet, quia *Regulæ inserviunt laxiori*, ut pronuntiavit Innocent. III. capite, *Quod Dei timorem.*

Imprimis quod spectat Canonicos Regulares ad Episcopatum evectos, Leo decimus anno 1519. celebre diploma (quod est apud Bullarium Laërtii Cherubini numero 34.) direxit Episcopo Sebastiensi Zachariæ Lilio, patriâ Vicentino, & Canonico Regulari S. Bartholomæi Vicentiæ. Cui cum difficultatem circa habitum movisset Paris Grassus Magister ceremoniarum, eâ occasione Zacharias Ferrerius Jureconsultus edidit librum de habitu Canonicorum Regularium, ubi docet Canonicos Regulares Episcopos & Beneficiatos extra Claustra posse uti cultu Clericorum secularium. Cujus rationibus motus summus Pontifex Leo, & attentâ, quam audierat, consuetudine, sequens diploma expediri curavit. *Dudum cum ad Sebastensem Ecclesiam promotus esses in Pastorem, dubitatum fuit à nonnullis, cum tu qui Ordinem Canonicorum Regularium sancti Augustini expressè professus eras, in habitu &*

coloribus Pralatorum secularium de jure vel consuetudine permissis, incedere posses prout incedebas; & cum hujusmodi quaestio ad nos perlata esset, nos causam ipsam maturè terminare volentes, venerabili fratri nostro Nicolao Episcopo Albanensi, tituli sancta Prisca Presbytero Cardinali, viva vocis oraculo commisimus, ut super his se diligentiùs informaret, & demum nobis referret. Cum autem prafatus Nicolaus Episcopus nobis retulerit, de antiqua consuetudine, in pluribus locis, etiam in Romana Curia, ubi Pontifex resídet, receptum fuisse, ut Canonici Regulares in Episcopos promoti utantur habitibus & coloribus, quibus utuntur alii Clerici seculares in Episcopos promoti. Nos propterea fraternitati vestra viva vocis oraculo concessimus, ut habitum & colores, quos dicti seculares gestant, gestare possis, & ita etiam tenore prasentium, auctoritate Apostolica de novo concedimus in contrarium non obstantibus quibuscumque. Datum Roma apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 1. *Septembris* 1519. *Pontificatûs nostri anno* 7.

Major est difficultas de Canonicis Regularibus Episcopo inferioribus promotis ad Beneficia Curata, vel Claustralibus, honestâ & necessariâ de causâ foras exeuntibus; ut enim de consuetudine multis locis receptâ nondum pronuntiem, quâ plerique Canonici Regulares liberiùs quàm par est, cultum secularium Clericorum assumunt, lego singulare privilegium pro illa cultûs mutatione. *Martinus Episcopus servus servorum*

Dei dilectis filiis, Abbati & Canonicis Monasterii sancti Bartholomæi prope Noviomum Ordinis sancti Augustini salutem & Apostolicam Benedictionem. Syncera devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam promeretur, ut petitionibus vestris quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus; hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut Abbas & Religiosi Monasterii vestri, etiam Parochialium Ecclesiarum Rectores, qui ex dicti Ordinis institutis vestem superiorem albam gestare consueverunt, quoties ipsos pro tractandis, procurandis, & peragendis Monasterii & Parochialium Ecclesiarum negotiis, aliisque rationabilibus & honestis causis, Monasterium præfatum exire contigerit, veste superiori nigri coloris, donec in præfatum Monasterium sint reversi, liberè & licitè uti valeant, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis & consuetudinibus Monasterii & Ordinis prædicti, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus; auctoritate Apostolicâ tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Genesani Prænestinensis Diœcesis 4. Idus Augusti, Pontificatûs nostri anno II. Extat illud diploma & asservatur in prædicta Canonica sancti Bartholomæi Noviomensis, ubi illius Authenticum legimus.

Hujus privilegii seu indulgentiæ rationem & causam suppeditat Erasmus Epist. ad Lambertum Grunnium Scribam Apostolicum, his verbis: *Vestem Religiosam, quam dixerim non temerè*

abjiciendam, Canonici Regulares vel studii gratiâ, vel longinquæ peregrinationis causâ mutant aut celant nullius auctoritate, citra omnem reprehensionem; non enim est eadem Religio, linea vestis quæ cæterarum: nam Canonici medium genus sunt, & in favorabilibus Monachi, in odiosis non Monachi; & linea vestis non est Monachorum sed Episcoporum, & fortassis olim Clericorum, cultusque eorum est Romani Pontificis, cum maximè Pontificaliter celebrat, & ornari solet; illudque vivendi genus Canonicorum Regularium adeo liberum est, ut minimùm absit à libertate secularium. Sed contrà horrendum facinus est, si quis Dominicanus, aut Franciscanus suam vestem abjiciat. Sed illud exemplum singulare privilegii Canonicis Noviomensibus concessi, non sufficit ad stabiliendam legem universalem, & approbandum morem quo licentiùs mutant aut temerè celant suum cultum plerique Canonici Regulares. Et de auctoritate Erasmi dici debet, quod ipse in adagiis usurpat, *similes habent labra lactucas*; eamque ipsius sententiam esse *dignum patellâ operculum*, proindeque Erasmi farinâ respergi velle eos qui morem illum mutandi habitûs amplectuntur.

Quem quidem in dies desuescere videmus, & gaudemus, maximè in Gallia, ubi plurimùm inoleverat, idque, ut opinor, præclaro exemplo Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ, qui per totam Galliam respersi, cæteris in retinenda veste alba & linea veste integra, tàm domi quàm in Beneficiis præluxêre ab hinc pluribus annis. Unde nunc communis est apud omnes

ferè Canonicos Regulares ſententia, tutâ conſcientiâ, nec mutari aut celari poſſe hujuſmodi cultum niſi graviſſimis de cauſis, idque adhibitâ ſummi Pontificis auctoritate. Quam etiam liberior Eraſmus adhibendam ſibi exiſtimavit; ſic enim ſcribit Epiſt. ad Lambertum Grunnium, & Epiſt. ad Servatium ſuum quondam in Monaſterio Superiorem. *Hæc cum non ignorarem* (ſcilicet liberum eſſe Canonicis Regularibus celare aut mutare cultum) *negotia tamen cogerent mutare regionem, ac veſte Polypum fieri, cum cultus qui alicubi reverendus eſt, alibi prodigioſus habeatur, verſandumque mihi eſſet cum Magnatibus, qui non quâvis veſte delectantur; tamen, ut omnem implerem juſtitiam, ex amicorum conſilio impetravi à ſummo Pontifice,* (Julio II.) *ut pro meo arbitrio quodcumque ſignum inſtituti mei geſtarem.* Ubi nota, Eraſmum non obtinuiſſe à ſummo Pontifice tantam mutationem habitûs Canonici, ut omnino ad morem ſecularium Clericorum indutus incedere poſſet; ſed impetraſſe tantùm mutationem cultûs eâ conditione, *ut aliquod ſignum inſtituti Canonici geſtaret.* Quo docetur, ſatis ſuperque damnari conſuetudinem aliquorum Canonicorum, qui nullum omnino ſchema Religioſum oſtentant; excuſari verò eos, qui privilegio aliquo gaudentes, inſigne aliquod ſuæ profeſſionis geſtant, dum in publicum prodeunt, ſicut & plurimam maximamque laudem mereri, ac tutiſſimâ agere conſcientiâ eos, qui Canonicam veſtem in ſuſceptione habitûs Religioſi ſibi traditam, abſque ulla prorſus mutatione, tum intra

tum extra Clauſtri pomœria , ad quamcumque dignitatem promoti, inque officio quolibet conſtituti religioſiùs deferunt.

Finis Libri quarti.

LIBER

LIBER QUINTUS
DE CANONISSIS.

CAPUT PRIMUM.

An ſint Canoniſſæ.

SUNT & Regulares, ſunt & ſeculares; illæ quidem frequentiſſimæ in Italia, Hiſpania, Gallia, quarum celebriora Collegia extant Pariſiis pluribus in locis, Bleſis, Meldis, Rhotomagi, Rhemis, Cadomi, Noviomi, Andegavi, ac alibi paſſim; induunturque ut plurimum veſtibus albis, rochetis, ac etiam ſuperpelliceis lineis; hæ verò ſeu ſeculares non ita frequentes ſunt, utpote quarum inſtitutum improbavêre plurimi Pontifices. Tolerantur tamen aliquibus in locis, & earum illuſtriora Collegia ſunt, Nivellæ in Brabantia, cujus fundatrix fuit ſancta GERTRUDIS Virgo celeberrima, & ejuſdem loci prima Abbatiſſa, à ſancto Amando velata & conſecrata. Præfuit Regularibus Canoniſſis, ait Molanus, ſed modò eſt Collegium

utriusque sexûs, in quo Canonissæ eæque nobiles ac seculares digniorem obtinent locum.

Andanæ ad Mosam in Ditione Namurcensi extat celebre Canonissarum Collegium, quod construxit & locupletavit sancta BEGGHA Matrona, soror sanctæ Gertrudis, quæ Ansigiso viro perempto Romam adiit; unde cum benedictione Adriani Papæ, & donatis insignibus Reliquiis reversa, in honorem septem Ecclesiarum Romanarum, Andanæ Cœnobium septem Ecclesiarum fundavit, ubi fœminas sub Religione Canonica congregavit, & Claustris Regularibus munivit; obiit velata 16. Calendas Januarii, quo die Festum ejus celebratur in Ditione Namurcensi. Sed quæ olim erant Regulares, ait Molanus, nunc vocantur *Dominæ Andanenses & Canonicæ seculares.*

Malbodii oppido Hannoniæ, excitaverat Regularium Canonissarum Monasterium, quod nunc ad seculares pertinet, sancto ALDEGUNDA, velata & consecrata à sancto Amando, ibique Religiosis puellis Abbatissa præfuerat, obiitque anno 673. coliturque Malbodii festo solemni; ejus meminêre Usuardus, Aubertus Miræus, Bollandus, Triquetius, Binetus, Turianus Hugbaldus Monachus Elnonensis, & alii. Ei porro in regimine succesſêre cum maxima sanctitatis laude Divæ Aldetrudis & Madelberta, quarum festum sub novem lectionibus celebrari scribit Joannes Molanus, prioris quidem postridie sancti Matthiæ, posterioris verò 7. Septembris: cujus rei fidem facit proprium Malbodiense, quod habeo apud me.

Dononii (vulgò *Denain*) urbe sitâ inter Came-

tractum & Valentianas, visitur nobile Collegium cum Ecclesia, Claustro, Dormitorio & Regularibus locis Canonissarum secularium, obedientium Abbatissæ; quarum Institutrix fuit sancta REFRIDIS, Gallicè *Reffroy*, Virgo nobilissima, quæ cum sanctitatis laude obiit anno 800. die 8. Octobris, ibique eodem die colitur. Præfuerat ibi nobilibus puellis Regularibus ab initio, sed labente tempore in secularitatem degenerarunt. In Ecclesia utuntur talaribus rochetis, velis in capite, & amplo pallio nigro intus pelliceo, ut vidimus aliquando illac iter agentes.

Apud Monster Gilsen extra Belisiam, in tractu Leodiensi, extat etiamnum Canonissarum magni nominis Collegium sæculare, quod favente sancto Lamberto sub professione Religionis erexerat olim sancta LANDRADA Virgo nobilissima, cujus egregias dotes describit Joannes Molanus in Indice Sanctorum Belgii; quamque cælesti sponso puram animam reddidisse scribit octavo Idus Julii.

Montibus, primariâ scilicet Hannoniæ urbe, nobilissimum Canonissarum sæcularium Collegium visitur; quarum ab initio velatarum & Regularium fundatrix fuit sancta VALDETRUDIS vidua, sancti Vincentii Comitis Hannoniæ prius uxor, & parens sanctarum Aldetrudis & Madelbertæ, quas sub Regula Canonica Malbodiensi Collegio nunc seculari præfuisse mox diximus. Cujus quidem sanctæ Valdetrudis transitum celebrari quinto Idus Aprilis scribit Joannes Molanus.

Nominatissimæ etiam sunt Canonissæ seculares, Buchovii oppido Imperiali, sub titulo sanctorum

Cornelii & Cypriani, quas olim Divi Augustini institutum professas fuisse testatur Gaspar Bruschius, in libro de Monasteriis Germaniæ folio 18. pag. 2. Item apud Sylvam Ducis, seu *Bosleduc*, quæ est Episcopatus Provinciæ Mechliniensis. Esseni in Comitatu Marchiæ, Lindani in Suevia, Edelstedii in Diœcesi Augustæ in Rhætia. Romaricamonte, Spinali, & Bosseriis in Lotharingia, ac etiam in loco qui dicitur *Portus* in eadem Provincia.

Has Semimoniales vocat Claudius Espenceus *lib.* 2. *de Digamia*, *cap.* 11. ubi postquam virginitatem puellarum Vestalium temporariam, cum perenni nostrarum contulit, scribit, quod si quid modò commune est inter profanas & sacras nostras, propiùs accederent mulieres vulgò dictæ *Canonicæ sæculares*, quæ nec propriis facultatibus renuntiant, de quibus etiam testari possunt, juxta Triburiense. *Can.* 12. *quæst.* 5. *cap. ult.* imo quandoque nubunt, ut notat glossa *in cap. Dilecta*, *extra de major. & obedientia.*

CAPUT II.

De differentia inter Canonissas & Monachas.

SAnctimoniales, sacras nempe illas mulieres, quæ sunt gregis Christi portio illustrior, & illibatæ puritatis germen, in duas Classes dividere licet, in eas nempe quæ *Canonissæ* dictæ sunt, quarum mentio fit plurima in Conciliis &

decretis sanctorum Pontificum, & in eas quæ verè *Moniales* seu *Monachæ* nominantur. Earum quippe differentiam, sicut & Canonicorum inter se ac Monachorum notat Concilium Parisiense sub Gregorio IV. & Ludovico I. *an.* 829. *cap.* 46. in hæc verba. *Comperimus quosdam Canonicos & Monachos, posthabito religionis suæ pudore, Monasteria Sanctimonialium tam Monacharum quàm Canonicarum inconsulto Episcopo imprudenter adire &c.* Et in eo differre inter se existimo, quod Monachæ adinstar Monachorum (quorum est juxta Hieronymum flere & orare) ex suo instituto, solitudini, lacrymis, & pœnitentiæ præcipuam navare debent operam; quas propterea nigellis olim vestibus indui solitas, notant Hieronymus in Epistolis ad Rusticum, & de laudibus Asellæ, quæ sunt 4. & 15. & sanctus Augustinus *Epist.* 199. ad Ediciam, quæ à duobus Monachis inducta fuerat ut spreto marito Monasticum cultum indueret, quibus eo inscio suas facultates legaverat, sic eam excipit Augustinus. *Quid est absurdius quàm mulierem de humili veste viro superbire? Cui te potius expedirct obtemperare candidis moribus, quàm in nigellis vestibus repugnare; quia etsi te indumentum Monachæ delectabat &c.*

Canonissis verò adinstar Clericorum, animarum saluti, quantum per sexum & conditionem licet, incumbere permissum est, operam navando instituendis & catechisandis rudibus puellis; infirmis & ægrotis in Xenodochiis alendis & fovendis; Dei laudibus in Choro diu noctuque præcinendis. Quæ quidem munia ex officio & ex instituto videmus nunc exequi Canonissas in mul-

tis antiquæ fundationis Hoſpitalibus, ut Pariſiis, Rhotomagi, Sueſſione, Cadomi, Bleſis, Compendii, Noviomi, Andegavi, Pruvini, Trecis, & multis aliis locis, ubi nuſquam Monachæ ſed Canoniſſæ inſtitutæ ſunt, quæ paſſim cum miniſterio pauperum, pſalmodiæ ſacræ officiique divini penſum ritè & devotè perſolvunt.

CAPUT III.

Origo Canoniſſarum inquiritur, & earum Officia ac nobilitas deſcribuntur.

SI veteres, eaſque ſacras, revolvamus hiſtorias, reperiemus in illis, fœminas in his quæ ad Deum pertinent, à viris non omnino fuiſſe disjunctas; quas etiam pariter ut viros divina Cantica non ſolùm ceciniſſe, verùm etiam compoſuiſſe divinæ tradunt paginæ, à quibus ſanè in nova lege oriri potuerunt virgines illæ, quæ à divinis laudibus in Choro ex inſtituto cantandis, ornandis altaribus, & templis mundandis *Canoniſſæ* tandem appellatæ ſunt. Primum quippe Canticum de liberatione Iſraëlitici populi non ſolùm viri, ſed etiam mulieres Domino decantaverunt; ſic enim ſcriptum eſt Exodi 15. *Sumpſit ergo Maria Prophetes ſoror Aaron tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens, Cantemus Domino, glorioſè enim &c.* quæ cum cæteris præcinere deſcribatur, ſanè quam ordinatè, ſive concorditer pſallerent demonſtratur.

Habemus quoque ibi Deboræ, & Annæ, nec non Judith viduæ Cantica, ficut & in Evangelio Mariæ matris Domini. Conftat etiam filias Aaron cum fratribus fuis ad Sanctuarium & hæreditariam fortem Levi, adeo pertinere, ut hinc quoque Dominus eis alimoniam inftituerit, ficut in libro *Num.* fcriptum eft, ipfo ad Aaron fic dicente, *omnes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Ifraël Domino, tibi dedi, & filiis & filiabus tuis jure perpetuo.* Unde in utroque fexu quafi Levitas agnofcimus, ficut in nova lege Diaconiffas legimus, à quibus tandem officii fimilitudine ortæ funt Canoniffæ noftræ.

Quarum etiam Religionis exemplar fuiffe arbitror, fœminas illas excubantes ad oftium tabernaculi, de quarum fpeculis Moyfes vas compofuit, in quo lavarentur Aaron & filii ejus, ficut fcriptum eft *Exodi* 30. & 38. *Appofuit Moyfes labrum æneum, in quo lavarentur Aaron & filii eius, quod fecit de fpeculis mulierum, quæ excubabant ad oftium tabernaculi.* Ubi notanda fedula pietas & Religio ejufmodi fœminarum, quæ claufo etiam tabernaculo, foribus ejus adhærentes, fanctarum vigiliarum excubias celebrabant, noctem etiam ipfam in orationibus ducentes, & ab obfequio divino viris quiefcentibus non vacantes. Porro per tranfennam obfervare eft per fpecula defignari earum fœminarum opera exteriora, ex quibus animæ macula vel decor agnofcitur, ficut ex fpeculo corporali qualitas humanæ faciei; ex eis illarum fpeculis vas componitur, in quo fe abluant Aaron & filii ejus, quando fanctarum opera fœminarum, Clericorum & Prefbyterorum negligentiam increpant, & ad com-

punctionis lacrymas præcipuè movent. Sed ut ad propositum revertar, has excubatrices imitabatur ANNA Prophetissa, *quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte.* Quarum quidem sacrario excubantium officio, accessêre nostris Canonissis cura quædam sacrorum, & munia quædam Ecclesiastica, quæ sanctas fœminas tempore Apostolorum exercuisse, Divus Paulus insigni testimonio testatur *in Epist. ad Romanos*, ubi ait. *Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchris. Et ad Philipp. c. 4. Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* Quales fuere Phœbes Triphosa, Persis, Persidis, quarum nomina dicit esse scripta in libro vitæ. De his Aurelianense ait, *fœminæ quæ acceperunt benedictionem Diaconatûs.* Basilius vocat Κανονικὰς, & Socrates, *sacratas fœminas.* Officia autem quæ implebant narrat sanctus Clemens lib. 1. Constitutionum cap. 13. & l. 8. Const. 18. qualia erant, custodire januas loci, ubi mulieres in Ecclesia erant, & arcere indignas, & admittere dignas; visitare pauperes fœminas, solari ægrotos, ferre eleemosynas, sepelire fœminas, servire baptisandis mulieribus: unde ait Clemens. *Dum baptisantur mulieres, unget frontem oleo sancto Diaconus, postea illiniet eas Diaconissa. Et cum illuminantur mulieres, Episcopus unget frontem & Dioconissa absterget.* Idem ait de Confirmatione & de Extrema Unctione. Superior illis eligebatur, de qua Paulus, *vidua eligatur non minus 60. annorum*; unde & murmur Græcorum, quod non admitterentur in ministerio viduæ eorum. Quæ quidem omnia sectari,

implere, & exequi erat officii nostrarum Canonicarum. Sed quemadmodum apud viros Ecclesiasticos & Canonicos multa immutata fuere; ita apud ipsas sacratas fœminas ex antiquitatis vestigiis restant divinarum laudum celebritas, & cura pauperum & infirmorum in hospitiis, quæ pro majore parte totam Ecclesiam Christianam incolunt, pauperibus & infirmis alendis ac fovendis sedulò incumbentes. Et quantum ad divinas laudes, sacras illas exprimunt fœminas de quibus mox loquuti sumus; & ut ritè psalmodiæ officiique Divini pensum illud exolvant, hortatur his verbis Concil. Aquisgran. cap. 18. *Horas Canonicas cum omni devotione custodiant, ut divinum officium honestè compleant.* Et de indisciplinatis. *Separentur à consortio in Choro psallentium.* At verò in cura pauperum & infirmorum exprimunt sanctas eas mulieres, quæ relictis omnibus Christum Dominum sequutæ sunt, ejusque pedes post Resurrectionem tenuerunt; illæ enim capiti Christo inserviebant, hæ membris ejus, pedibus ejus; per pedes enim Domini pauperes repræsentari docet Augustinus, pedes enim abjectior pars poris, pedes onus corporis sustinent; sic & pauperes tanquam purgamenta mundi considerantur, pauperes sustinent onera divitum. Quanti autem sit meriti illa cura pauperum & infirmorum, monet Cardinalis de Vitriaco *Hist. Occid. cap. 19.* de illis ait. *Tantas autem plerumque pro Christo sustinent infirmorum immunditias & fœtidorum molestias penè intolerabiles, sibimet violentiam inferentes, quòd nullum aliud pœnitentiæ genus huic sancto & pretioso in conspectu Dei Martyrio posse arbitror comparari.* Ex-

cellentiam autem illius muneris quo ipſi Chriſto in pauperum perſonâ miniſtratur mirè expreſsêre mulieres illæ, quæ Chriſtum olim ſecutæ ſunt; obſervare enim licet ex ſacris ſcripturis, eas ſolas Chriſto miniſtraſſe, quæ proprias etiam facultates in quotidianam ejus alimoniam dicarant, & ei præcipuè hujus vitæ neceſſaria porrigebant, legitur enim Luc. 8. *Quod Jeſus iter faciebat per civitates & caſtella Evangeliſans Regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, Maria Magdalene, & Joanna uxor Cuſæ Procuratoris Herodis, & Suſanna & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Non ſolum autem Chriſtum nutriebant, ſed & ei in humillimis ſerviebant. Mirum eſt quod ex Evangelica lectione obſervamus, quod ipſe Dominus in menſa Diſcipulis, abluendo eorum pedes humillimum ſe miniſtrum exhibebat, à nullo verò Diſcipulorum, vel etiam virorum hoc eum ſuſcepiſſe novimus officium, ſed ſolas fœminas in his vel cæteris humanitatis obſequiis miniſterium impendiſſe; Martha ſcilicet miniſtrando ei, Maria Magdalene ungendo pedes, ſocrus Simonis ſanata etiam miniſtrabat ei. Nonne mirum etiam, Magdalenam in tantum de Chriſti benevolentia præſumpſiſſe, ut caput quoque ejus ſuperfuſo delibuerit unguento? Magna ſanè Domini benignitas, magna etiam mulierum illarum dignitas, ut tam caput quàm pedes nonniſi fœminis præberet inungendos; maxima denique infirmioris ſexûs prærogativa, ut ſummum Chriſtum omnibus Spiritûs ſancti unguentis ab ejus ipſa conceptione delibutum, mulieres quoque inungerent, &

quasi corporalibus sacramentis eum in Regem & Sacerdotem consecrarent.

Id sanè non vacabat mysterio, quod non aliud suspicor, nisi ut inde patesceret, sexum fœmineum charitatis erga pauperes & infirmos, qui veriora sunt membra Christi, præ viris fore depositarium, ipsasque teneritudine animi & officiis exterioribus fovendo & quasi pauperes & infirmos, viris prælucere aliquando debere. Sed hoc peculiariter fulgere videmus in nostris Canonissis Regularibus, quæ suo muneri minimè satisfactum putarent, nisi eadem obsequia Christi membris, idest pauperibus exhiberent, quam quæ ipsimet Christo exhibuere sacræ illæ ipsius comites & sequaces; id præstant in Hospitalibus, ubi, ut notavimus, passim videas non Monachas, sed Canonissas. Ibi Christum ungunt, ibi hunc pascunt, ibi ejus pedes abluunt, dum pauperes & infirmos curant, nutriunt, solantur, sepeliunt, ac denique humiliora quæque eis obsequia exhibent; quarum sanè sollicitudinem unà cum insigni castimonia conjunctam, omnes quasi pro miraculo stupent ac mirantur.

CAPUT IV.

De antiquitate Canonissarum ex sanctis Patribus.

OBservandum imprimis est easdem fœminas, quæ ab incunabulis Ecclesiæ, *Diaconissæ* vocabantur, quòd ministeriis quibusdam Ecclesia-

ſticis præficiebantur, ab antiquioribus Patribus, *Canoniſſarum* nomine fuiſſe poſtea nuncupatas. Eas hoc nomine inſignivit, & primus omnium mentionem fecit Divus Baſilius, apud quem extant tractatus ſub hoc titulo, ἐπιτιμία εἰς τὰς Κανονικάς, ac etiam Epiſtola πρὸς Θεοδώραν Κανονικὴν περὶ βίου κανονικοῦ. Item fit apud eum mentio lib. de vera virginitate ſub finem, de virgine quadam, quam vocat *Eccleſiæ Canonicam* ſub his verbis, ὅτι παρθένος τὶς τῆς ἐκκλησίας Κανονική.

Divus Athanaſius lib. de Virginitate circa medium, monet quandam virginem, ut Canonem ſuum ſervet per omne tempus vitæ ſuæ, ἀλλὰ πρὶν ἤ τινα εἰπεῖν σοι, σὺ σεαυτῆς φρόντιζον, ἕως ἂν ταχὺ ἀνασῇς, καὶ πάλιν τὴν κανόνα σου ἑλκύσῃς ὅλον τὸν χρόνον τῆς ζωῆς σου. Ideſt, *ſed antequam tibi quidquam ab aliis dicatur, tu maturè fac, ut tibi reſtituaris, Regulam tuam geſtabis per omne tempus vitæ tuæ.*

Divus quoque Chryſoſtomus Homiliam ſcripſit, quæ habet hanc tituli præfixionem, περὶ τοῦ μὴ τὰς Κανονικὰς συνοικεῖν ἀνδράσι. Ideſt, *quod Canonicæ non debent commorari ſeu commanere cum viris.* tom. 4. in medio. Editionis Cram. 1636. Alcuinus lib. de divinis officiis inſerto BB. PP. tomo 10. in cap. cui titulus eſt, *in Capite jejunii.* ubi ritum confeſſionis audiendæ & pœnitentiæ injungendæ tradi dicit. *Sacerdotem diſcernere debere inter pauperem & divitem, juvenem & ſenem, laïcum & Clericum, virginem & fœminam, Canonicam & Sanctimonialem.* Item nota Canonicam diſtingui à Monacha.

CAPUT V.

Quid de eisdem Canonissis, in Regulari observantia continendis Concilia tradiderint?

CAbilonense Concilium sub Carolo Magno cap. 53. sic ait. *Libuit namque sacro huic Conventui quasdam admonitiunculas breviter iis Sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant, quoniam hæ quæ sub Monastica Regula norma degunt, totius vitæ suæ ordinem, in eadem quam profitentur Regulâ scriptum habent.* 11. Canon earum Regulæ Aquisgran. anno 816. ait. *Habeant interiùs Refectoria, Cellaria, Dormitoria; dormiant singulæ in singulis lectis, in Refectorio quotidie reficiantur.* De velo dicitur, *nil prodest corpus velare & animam habere venenatam.* cap. 13. *Quæ se in Religione Deo devoverunt, divinis sunt erudiendæ disciplinis, & sponso suo Christo Domino cum omni humilitate & castitate subditæ esse debent.* Ibi fit mentio aliquarum, *quæ nil proprium habere volunt*; sicut de Canonicis dictum fuerat. Ubi iterum vides *Canonissas* antiquitùs distinctas à Monachabus.

Moguntiacum sub eodem Imperatore anno 813. cap. 13. hæc habet. *Abbatissas autem cum Sanctimonialibus omnino rectè & justè vivere censemus. Quæ verò professionem sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, Regulariter vivant; sin*

autem Canonicè vivant, pleniter & sub diligenti cura custodiam habeant, & in Claustris suis permaneant, neque foras exitum habeant.

Idem habet Ticinense sub Benedicto III. anno 855.

Parisiense sub Gregorio IV. anno 829. cap. 46. ait. *Comperimus quosdam Canonicos posthabito Religionis suæ pudore, Monasteria Canonicarum inconsulto Episcopo suo, imprudenter, atque irreverenter adire; quod factum quia Canonico convenit proposito, prorsus interdicimus, nisi fortè causâ prædicationis aut certè inevitabilis necessitas id facere coëgerit. Quod si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat. Episcopis sanè summoperè providendum est, ne Canonicorum accessus indiscretus in Monasteriis puellaribus passim fiat, quia persæpe hac occasione multis utriusque Ordinis Canonici scilicet & Monastici viris muscipulam diabolus injecit.*

Rhemense sub Eugenio III. anno 1145. statuit, ut *Sanctimoniales & mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt, juxta Beatorum Benedicti & Augustini Regulam, vitam suam in melius corrigant, superfluitatemque vestium, & inhonestatem deserant, in Claustro assiduè permaneant, earumque necessitatibus, relictis propriis, de communi provideatur. Quod si non impleverint, si qua ipsarum mortua fuerit, Christianorum careat sepulturâ. Prohibemus etiam, ne in earum Collegia, aliqua nisi quæ fuerit Regulariter victura, recipiatur.*

CAPUT VI.

De Canonissis secularibus.

GRavibus licet interminationibus caverint Concilia, ut in disciplina Regulari continerentur mulieres Canonissæ, attamen hæ non impediêre, quominus pleraque Canonissarum Collegia abjecto Canone & Regulâ, solo Canonissarum nomine retento, in omnimodam secularitatem devenerint. Quod lugens insignis vir Jacobus de Vitriaco in *Historia Occidentali cap.* 31. hæc de illis tradit circa annum 1220. *Ad imitationem & exemplum Canonicorum, in partibus Hannoniæ & Brabantiæ, & in quibusdam Teutonicorum & Alemanorum Provinciis, quædam sunt mulieres, quas Canonicas sæculares seu domicellas appellant, (non enim Moniales nominari volunt) sicut Canonici sæculares Monachi non dicuntur. Hæ si quidem adeo personas accipiunt, quod nonnisi filias Militum & Nobilium in suo Collegio volunt recipere, Religioni & morum puritati sæculi nobilitatem præferentes. Purpurâ autem & bysso, & pellibus griseis & aliis jocunditatis suæ vestibus induuntur, circumdatæ varietatibus cum tortis crinibus, & ornatu pretioso circumamictæ ut similitudo templi, gaudentes cum gaudentibus, liberales valde & hospitales. Pellibus autem agninis quantumcumque subtilibus & delicatis utuntur. Si aliqua inter eas pallio humilitatis*

causâ uti præsumeret, miseram & abjectam ac hypocritam eam vocantes, tantum nobilitatis suæ dedecus, nulla ratione sustinerent. Clericorum autem & puellarum & juvenum servorum etiam sibi ministrantium cincta obsequio; in domibus propriis honorificè & splendidè epulantur, nec desunt mensis earum consanguinei in primo gradu sibi propinqui, quos cognatos suos appellant. In Dormitorio autem juxta Ecclesiam suam de nocte quiescunt; quando tamen minui sibi appetunt vel amissâ sanitate in infirmitate prægravantur, vel aliquo gravamine comprimuntur, facilè eis conceditur causâ recreationis & relevationis in domibus propriis aliquanto tempore remanere, vel amicos & propinquos suos equitando visitare. Sunt etiam in prædictis Ecclesiis pariter Canonici sæculares; in diebus festis & solemnibus, ex altera parte Chori cum prædictis domicellis canentes, & earum modulationibus æquipollenter respondere studentes; ipsæ verò vel ut Sirenes in delubris voluptatis, vocem jucunditatis annuntiantes, ipsos Canonicos dum superari nesciunt, fessos & fatigatos frequenter reddiderunt; similiter in Processionibus composita & ornata, Canonici ex una parte & Dominæ ex alia concinentes procedunt. At quædam ex ipsis postquam diebus plurimis de Christi patrimonio vixerunt, relictis Præbendis & Ecclesiis, carioribus sibi personis, matrimonio copulantur, filiosque & filias procreantes matresfamilias efficiuntur. Aliquas tamen ex earum Congregatione vidimus, quæ saniori usæ Concilio de Vr Chaldæorum, & de medio Babylonis fugientes, postquam mundi

mundi incendia evaserunt, sumpto Cisterciensis Ordinis habitu, ad magnum perfectionis cumulum pervenerunt. Quamplures etiam inter eas commorantes agnovimus, quæ cum omni humilitate & castitate, salutem animarum suarum studiosè procurantes, tantò Deo magis acceptabiles extiterunt, quantò in igne posita non arserunt.

CAPUT VII.

Quid senserint de Canonissis secularibus summi Pontifices, & quibus modis earum tentata reformatio?

SEd paulò ante notatum tempus à Jacobo de Vitriaco, quo Canonissæ à Regulari statu deflexerant, jam hujus secularitatis vestigium extiterat in quibusdam earum Ordinis, quas sic in disciplinam redigere conatur summus Pontifex Honorius III. circa annum 1216. *Epistolâ ad Abbatem sancti Michaëlis Abradensis Diœcesis, lib.* 1. *Decretalium Greg. tit.* 33. his verbis. *Dilecta filia in Christo Abbatissa Lumburgensis transmissâ nobis petitione monstravit, quod cum ipsa plerumque Canonicas suas, & Clericos sua jurisdictioni subjectos, propter inobedientias & culpas, eorum officio beneficioque suspendat, iidem confisi ex eo quod eadem Abbatissa excommunicare non potest, suspensionem ejusmodi non observant, propter quod eorum excessus remanent incorrecti. Quocirca mandamus,*

quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut Abbatissæ præfatæ obedientiam & reverentiam impendentes debitam, ejus salubria monita, & mandata observent, Ecclesiasticâ censurâ compellas. Quanquam hæ Canonicæ videntur fuisse professione Regulares, cum eis præfuerit Abbatissa.

In tantam verò secularitatem devenêre circa annum 1294. ut Bonifacius VIII. cap. Indemnitatibus in 6. sic de illis loquatur. *Sunt etiam juxta quarumdam provinciarum consuetudinem mulieres, quæ nec propriis renuntiant, nec professionem faciunt regularem, sed vivunt ut in secularibus Ecclesiis Canonici seculares, quarum statum, Ordinem, seu Regulam nolumus, nec intendimus approbare.*

Denique Clemens V. in cap. *Attendentes.* sic de iisdem pronuntiat. *Illas quoque mulieres quæ vulgò dicuntur Canonicæ seculares, & ut seculares Canonici vitam ducunt, non renuntiantes proprio, nec professionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios præcipimus visitari, per hoc tamen non intendentes earum statum, Regulam, seu Ordinem approbare.*

His tandem in meliorem frugem revocandis adlaboravit Concilium Coloniense anni 1536. Provinciale, parte 10. cap. 19. his verbis. *Canonissarum quæ seculares ob id vocantur, quod perpetuæ castitatis, reliquáque vota Monastica non emittant, vitam, conversationem, mores, reformari necessarium duximus, ut alicubi plus nimio licentiosos ac plerisque scandalosos, quos, ut in ordinem & disciplinam, quoad fieri potest, revocentur, curandum est.*

Cui operi insudatum est non diù post, hoc est

anno 1548. ut notat Claudius Espencæus lib. 2. de Digamia cap. 11. in formula Reformationis per Carolum V. Augustæ in Comitiis exhibitâ verbis sequentibus. *Quæ continentiæ studium sectantur absque voti professione, & vitam in Collegiis Religiosam ducunt, quales vocantur Canonissæ, etiamsi non habeant (quam tamen decentissimum esset habere) mensam communem, sed suam quæque peculiarem; commune tamen debent habere dormitorium, ne pudicitiæ insidiatori sathanæ detur occasio ad incontinentiam tentandam. Debent quoque à nimis exquisito & procaci habitu abstinere, nec seculariter comptis incedere vestibus exculta, sed modesto, mundo, casto cultu, ut sint earum Monasteria scholæ pudicitiæ & virtutum, in quibus filiæ Nobilium discant non lascivire, nec superbire, sed Deum timere, orare, & piis assuescant exercitiis ac moribus bonis, ubi voluerint nupturæ in Domino. Talia autem Collegia sicubi in his virgines ob liberiorem vitam famam suam in periculum adducant, per superiores Episcopos reformentur.* Juxta quam Cæsaris reformationem eadem Synodus Diœcesana Augustensis cap. 12. Canonissas continentiæ studium, nullâ voti solemnitate obstrictum sectantes, hortatur ad mensæ communionem. Ita Espencæus loc. citato.

Hîc aptissimè poni potuisset egregia sanè Epistola Divi Basilii ad Theodoram Canonicam de Vita Canonica, perdigna sanè lectu ad commendandam Canonissarum in communi vita viventium institutionem, unà cum Epistola insigni Divi Augustini numero 109. quæ est Regula Canonissa-

rum Regularium ; ſed utramque hîc omiſimus cùm ob vitandam prolixitatem , tùm quia poſteriorem in vernaculam linguam à nobis verſam , in gratiam ſubjectarum nobis Canoniſſarum nuper edidimus, & ad calcem hujus operis iterum repræſentamus.

FINIS.

REGVLA
S. AUGUSTINI
EPISCOPI,
ET
ECCLESIÆ DOCTORIS;

Pro Canonicis Regularibus edita.

PRÆFATIO.

Hanc Regulam quæ sententiis & dictionis figurâ, Augustinum apprimè refert, quin & piâ civilitate humanitatis præfert Auctorem suum, hîc dedimus; ut morem gereremus pluribus Canonicis Religiosis, qui cum ex præscripto ipsiusmet Augustini, per singulas septimanas in publico consessu, sibi, & ex pulpito prælectam audire teneantur, conquesti sunt, doctas aures offendi pluribus mendis, quibus scatere videtur, & sententiis minimè cohærentibus, quibus fœdatum fuisse dolent hoc præclarissimum opus tanti Doctoris; maximè cum pronuntietur ex Manuscriptis codicibus ineruditorum manu conscriptis; quorum incuriâ crassi quidam errores irrepsere. Et cum hujusmodi Regula pro viris concinnata sit, & de-

prompta ex Epistolâ 109. *scripta ab Augustino Monialibus; & ita excepta sit, ut quæ purè spectant Sanctimoniales, debeant resecari, dum fit sermo ad viros; quidam minus acutæ naris, formas aliquas loquendi, quæ fœminis perbellè quadrant, viris autem nulla ratione conveniunt, sensuque omnino carent, minimè expunxêre. Quapropter hanc Regulam ex correctioribus Manuscriptis emendatissimam, typis mandari curavimus; studentes ex unâ parte legentium commoditati, qui editam, faciliùs declamaturi sunt de more in Regulari Conventu; quàm si (ut jam pridem) hanc ex vetustis membranis, iisque mendosis, & padore ac situ deformibus recitare & pronuntiare deberent: Ex alterâ audientium utilitati; dum eruditorum aures, sententiarum (quas tanti Doctoris Regula continet) & multitudine & suavitate demulcebuntur. Et quia non tantùm viri, sed & innumeræ sacratæ Virgines sub tanti Patris legibus Deo serviunt; imò cum hujusmodi Regula primariò exarata & directa sit sanctimonialibus quæ sub moderamine piissimæ Sororis Augustini in communi societate vivebant; necessarium duximus, hanc, in earum favorem, vernaculam reddere; maximè cùm perspectum habuerimus, majorem earum partem non habere ejusmodi Regulam nisi rudiori & obsoleto idiomate gallico, vertentium oscitantiâ maximè deformem, & Augustini sensum in difficilioribus minimè attingentem. Quapropter rogatos velim sanctioris ac omnium nobilioris Ordinis Canonici utriusque sexûs alumnos, ut sive repurgata sive translata Augustini Regula laborem æqui boniq; consulant.*

CAPUT PRIMUM.

De charitate Dei, & proximi, unione cordium, & communitate rerum.

ANte omnia (*Fratres Chariſſimi*) diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data.

Hæc igitur ſunt, quæ ut obſervetis, præcipimus in Monaſterio conſtituti.

Primùm, propter quod in unum eſtis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & ſit vobis anima una, & cor unum in Deo.

Et non dicatis aliquid proprium; ſed ſint vobis omnia communia.

Et diſtribuatur unicuique veſtrûm à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potiùs unicuique ſicut cuique opus fuerit.

Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique ſicut cuique opus erat.

Qui aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur: etiamſi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat invenire. Tantùm non ideo ſe putent eſſe fœlices quia invenerunt victum, & tegumentum quale foris in-

venire non poterant; nec erigant cervicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant: sed sursum cor habeant, & terrena, ac vana non quærant: ne incipiant esse Monasteria divitibus utilia non pauperibus; si divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam Societatem ex paupertate venerunt: magis autem studeant, non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari.

Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: Nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri, si anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quàm fuerat possidendo?

Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite, & honorate in vobis Deum invicem, cujus templa facti estis.

CAPUT II.

De Oratione, & officio divino.

ORationibus instate horis & temporibus constitutis.

In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod

factum est, unde & nomen accepit: ut si fortè aliqui, etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverunt.

Psalmis & Hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur.

CAPUT III.

De Jejunio, & Refectione.

CArnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potus, quantùm valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite: nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi: sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Et si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monasterium, aliquid alimentorum, ve-

ſtimentorum, ſtramentorum, operimentorum-ve datur, quod aliis fortioribus, & ideo fœlicioribus non datur: cogitare debent quibus non datur, quantùm de ſuâ ſæculari vitâ illi ad iſtam deſcenderint, quamvis uſque ad aliorum qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint.

Nec debent velle omnes, quod paucos vident ampliùs, non quia honorantur, ſed quia tolerantur accipere: ne contingat deteſtanda perverſitas, ut in Monaſterio, ubi quantùm poſſunt fiunt divites laborioſi, fiant pauperes delicati.

Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minùs accipere, ne graventur; ita & poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, ut citiùs recreentur; etiamſi de humillimâ ſæculi paupertate venerunt: tanquàm hoc illis contulerit recentior ægritudo quod divitibus anterior conſuetudo. Sed cùm vires priſtinas reparaverint, redeant ad fœliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quantò minus indigent. Nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos neceſſitas aliquando levarat infirmos. Illos exiſtiment ditiores qui in ſuſtinendâ parcitate fuerint fortiores: melius eſt enim minùs egere, quàm plus habere.

CAPUT IV.

De habitu & Caſtitate.

NOn ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.

Quando proceditis, ſimul ambulate, cùm veneritis quò itis, ſimul ſtate.

In incessu, statu, habitu, in omnibus motibus vestris, nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nullam, neque enim, quando proceditis, fœminas videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminosum est.

Nec solo tacito affectu, sed aspectu quoque appetitur & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et cùm invicem sibimet, etiam tacente linguâ, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis, alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.

Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in seipsum diligit fixum, ab aliis se non videri, cùm hoc facit; videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò sapientiùs. Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ malè placere: illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namque & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est; Abominatio est Domino defigens oculum.

Quando ergo simul estis in Ecclesiâ, & ubicumque ubi fœminæ sunt, invicèm vestram pudicitiam custodite: Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

CAPUT V.

De Correctione Fraternâ.

ET si hanc, de quâ loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrûm adverteritis, statim admonete ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur.

Si autem & post admonitionem, iterum, vel alio quocumque die idipsum eum facere videritis; jam velut vulneratum sanandum prodat quicumque hoc potuerit invenire, priùs tamen & alteri vel tertio demonstratum, ut duorum, vel trium possit ore convinci, & competenti severitate coërceri.

Nec vos judicetis esse malevolos quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cum timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potiùs debes eum manifestare, ne deteriùs putrescat in corde?

Sed antequam aliis demonstretur per quos convincendus est, si negaverit; priùs Præposito debet ostendi (si admonitus neglexerit corrigi) ut fortè possit (secretius correptus) non innotescere cæteris.

Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, ut jam coram omnibus possit non ab uno teste argui, sed à duobus vel tribus convinci.

Convictus verò, secundùm Præpositi (ad cujus dispensationem pertinet) arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam.

Quam si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestrâ societate projiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer; ne contagione pestifera plurimos perdat.

Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, vindicandisque peccatis diligenter & fideliter observetur, cum dilectione hominum & odio vitiorum.

Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo: si autem deprehenditur, atque convincitur, secundùm arbitrium Præpositi graviùs emendetur.

CAPUT VI.

De proprietate prorsus abdicandâ.

VEstes vestras in unum habeatis, sub uno custode vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tineâ lædantur. Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario.

Et, si fieri potest, non ad vos pertineat quod vobis indumentum, pro temporum congruentiâ, proferatur: utrum hoc recipiat unusquisque quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat; dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur.

Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, cùm queritur aliquis deterius se accepisse, quàm priùs habuerat, & indignum se esse qui non ita vestiatur, sicut alius frater vestiebatur: hinc vos probate, quantùm vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.

Tamen si sic vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod deposueratis; in uno tamen loco sub communibus custodibus habete, quod ponitis.

Ita sanè, ut nullus sibi aliquid operetur; sed omnia opera vestra in unum fiant majori studio, & frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis faceretis propria. Charitas enim, de quâ scriptum est, quòd non quærat quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit.

Et ideo quantò ampliùs rem communem, quàm propria vestra curaveritis, tantò vos ampliùs profecisse noveritis; ut in omnibus, quibus utitur transitura necessitas, supereminеat quæ permanet Charitas.

Consequens ergo est, ut etiam cùm quis suis filiis, aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus, in Monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum cui necessarium fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.

CAPUT VII.

De curandis fratrum necessitatibus.

INdumenta vestra, secundùm arbitrium Præpositi laventur, sive à vobis, sive à fullonibus; ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

Lavacrum etiam corpori, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur.

Fiat sine murmure de consilio medici, ita ut, etiam si nolit, jubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiamsi noceat, prodesse tamen creditur quod delectat.

Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur.

Nec eant ad balnea sive quocumque ire necesse fuerit, minùs quàm duo vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus jusserit ire debebit.

Ægrotantium cura sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliquâ imbecillitate, etiam sine febribus laborantium uni alicui debet injungi, ut ipse de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit.

Sive autem qui cellario, sive qui vestibus, sive

qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis.

Codices certâ horâ singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat.

Vestimenta verò, & calceamenta, quando indigentibus fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

CAPUT VIII.

De Charitate mutuâ.

Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festucâ, & animam faciat homicidam: Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum, homicida est.

Quicumque convitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu alterum læserit; meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit; & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras; quas utique quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis.

Melior est autem qui quamvis irâ sæpè tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam; quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur.

Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causâ est

eſt in Monaſterio, etiamſi inde non projiciatur.

Proinde vobis à verbis durioribus parcite; quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, unde facta ſunt vulnera.

CAPUT IX.

De Obedientiâ Superiori præſtandâ.

QUando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coërcendis, dicere vos verba dura compellet, ſi etiam in ipſis modum vos exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur ut à vobis ſubditis veniam poſtuletis: ne apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus juſto fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.

Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

Præpoſito tanquam Patri obediatur, qui omnium veſtrûm curam gerit.

Ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente fœlicem.

Honore coràm vobis Prælatus ſit vobis, timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum; corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, metuens imponat: Et quam-

Hh

vis utrumque sit necessarium tamen plus à vobis amari appetat quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem.

Unde vos magis obediendo non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini: quia inter vos, quantò in loco superiore, tantò in periculo majore versatur.

CAPUT X.

De Regulæ Observantiâ.

DOnet Dominus ut observetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bonâ conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratiâ constituti.

Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimanâ vobis legatur. Et ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt facientes; agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro; orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

REGLE
DE
S. AUGUSTIN.

EN FRANCOIS.

TRADUITE DE NOUVEAU DU LATIN de ſon Epiſtre 109. où aprés avoir exhorté ſes Religieuſes à l'union & à la charité, il leur preſcrit des loix admirables, pour les perſonnes qui vivent en Communauté.

PREMIERE PARTIE DE l'Epiſtre 109. de ſaint Auguſtin, où il exhorte ſes Religieuſes à une parfaite union entre elles.

CHAPITRE UNIQUE.

SI la ſeverité eſt toûjours diſpoſée de venger les crimes qu'elle rencontre; la Charité au contraire ne voudroit jamais trouver de fautes, afin de n'eſtre point obligée de les punir. C'eſt cette conſideration qui m'a empeſché de vous aller voir, comme vous le deſiriez; parce que j'ay

eu crainte que ma presence ne contribuast pas tant à pacifier vos differens, qu'à les augmenter. Car comment aurois-je pû user d'indulgence ou de pardon, si le tumulte qui s'est excité parmy vous eust paru aussi grand devant mes yeux que vos plaintes & vos cris l'ont fait retentir à mes oreilles; & ainsi comme peut-estre la rebellion au lieu de s'appaiser par ma presence, n'auroit pris qu'un pernicieux accroissement, parce que je me fusse vû obligé de vous refuser ce que vous demandiez, comme estant une chose dont les consequences étoient tres-dangereuses pour la discipline reguliere, & tres-nuisible à vous-mesmes; j'apprehendois avec raison, que vous trouvant autres que j'eusse desiré, vous ne m'eussiez pas trouvé tel que vous eussiez bien voulu. De sorte qu'à l'exemple de l'Apostre, qui mandoit aux Corinthiens qu'il prenoit Dieu à témoin, qu'il n'estoit pas encore venu à Corinthe de peur d'estre obligé d'user de châtimens envers eux; non pas qu'il pretendît exercer aucune domination sur leur foy, mais parce qu'il ne vouloit estre que le Cooperateur de leur joye; je vous proteste pareillement devant le mesme Dieu, que c'est par esprit d'indulgence envers vous que je ne vous ay pas encore esté voir. A la verité je me suis un peu regardé moy-mesme là-dedans; car la crainte que j'avois, que vous allant trouver je ne receusse de nouveaux sujets de tristesse, a fait que j'ay mieux aimé répandre mon cœur devant Dieu pour vous, & déplorer auprés de luy par mes larmes l'extrême peril où vous ont reduit vos disputes; que de me mettre en peine de les vouloir terminer de vive voix en vostre presence. Il est certain que la

joye que vous avez accoûtumé de me causer, & que la consolation que je goûte auprés de vous, lorsque je m'y viens quelquefois refugier comme en un asyle, contre la multitude effroyable des scandales qui regnent dans le siecle, se fussent changées en une douleur tres-amere à la veuë d'un si pitoyable spectacle; car quand je fais reflexion sur vostre nombreuse Communauté, sur la chaste dilection qui vous a lié; sur le saint genre de vie que vous avez embrassé, & sur l'abondance de la Grace qui vous a esté communiquée, jusques a ce point, que non seulement vous avez méprisé les liens du mariage, mais mesme que vous avez choisi une demeure commune, afin d'y vivre en societé & union, & de n'avoir plus entre vous qu'un cœur, & qu'une ame, pour benir & glorifier Dieu; quand, dis-je, je considere attentivement de si grands dons qui vous ont esté accordez avec tant de profusion, j'avoüe que mon cœur se remet un peu des violentes tempestes, dont il est agité au milieu de la mer orageuse de ce monde; & que je ne puis m'empescher de vous dire encore avec le mesme Apostre; Helas! vous couriez si bien, qui est-ce qui vous a arresté? Sçachez que vostre dessein n'est pas de Dieu qui vous a appellées à son service: Ne sçavez vous pas que comme dit l'Ecriture, *Un peu de levain*; je ne veux pas achever le reste, car je vous prie, & je desire, & je vous conjure, & je vous exhorte, que le levain mesme change le premier sa nature corrompuë en une meilleure; de peur que par sa contagion il n'infecte toute la masse, comme il avoit déja commencé. Si donc vous faites refleurir ces pensées saines que vous

avez suivies jusques à present ; priez de peur de tomber encore dans la tentation, & qu'il ne s'éleve encore parmy vous des disputes, des envies, des animosités, des dissentions, des detractions, des seditions, & des caballes ; car nous n'avons pas cultivé & arrosé si soigneusement en vous-mesmes le jardin de l'Epoux, pour n'y receüillir que des ronces & des épines ; que si aprés cela la chair gronde encore, priez afin d'estre delivrées de la tentation ; & pour celles qui continüeront à vous troubler, & qui ne se corrigeront point ; je leur declare qu'elles en porteront la peine, quelles qu'elles soient. Pensez un peu je vous prie combien c'est une chose deplorable, que lors que nous nous réjoüissons de voir des Donatistes revenir du schisme à l'unité de l'Eglise ; nous soyons obligez de deplorer des guerres intestines dans nos Monasteres.

Au reste si vous perseverez dans vostre bon propos, vous ne desirerez point d'autre Superieure que celle que vous avez, puisque vous avez crû en nombre & en âge sous sa conduite durant tant d'années qu'elle persevere dans le Monastere, & que comme une bonne mere elle vous a engendrées non pas selon la chair, mais selon l'esprit ; car comme il n'y en a pas une de vous qui lors qu'elle est entrée dans la maison ne l'aye veuë, ou soûmise à ma sœur, dont la vie est en odeur de sainteté, & qui sembloit la regarder comme une personne à qui elle destinoit sa place ; ou mesme qui ne l'aye déja trouvée Superieure, & qu'ainsi n'ait esté receüe par elle dans le Monastere ; vous avez esté instruites à son école, vous avez receû le voile de sa main, vostre nombre

s'est accrû sous sa conduite ; & à present vous voulez tout renverser, vous vous soulevez contre elle, & demandez une autre Superieure, au lieu que vous devriez pleurer si c'estoit nous qui eussions eû dessein de vous l'oster. Quoy ne sçavez vous pas que celle que vous traitez de la sorte est celle-la mesme dont vous connoissez si bien le merite, que c'est elle entre les bras de qui vous estes venuës vous jetter, lors que vous avez quitté le monde, & sous la conduite de laquelle vous vous estes beaucoup multipliées ? Je ne voy rien de nouveau qui puisse vous avoir causé ce changement d'esprit si étrange, si ce n'est un Superieur que vous avez depuis peu. Que si c'est à son occasion que vous cherchez la nouveauté, & que vous vous revoltez ainsi contre vostre mere; que ne demandez vous plûtost, que celuy-là vous soit changé, que non pas celle-cy ? Et si cette proposition vous fait fremir, à cause de la sainte charité que je sçay que vous luy portez en nostre Seigneur ; d'où vient que vous n'avez pas plûtost le mesme amour & le mesme respect pour vôtre mere ? Au reste, je sçay que vostre maniere d'agir est si opposée aux premieres regles que ce Directeur vous a données pour vostre conduite, que sentant sa reputation interessée dans cet accident, il est dans le dessein de vous quitter, plûtost que de se voir exposé pour vostre sujet aux bruits qui coureront infailliblement de luy, qu'il est cause de tout ce trouble, & que si jamais vous ne l'eussiez eû pour Superieur, vous n'auriez jamais songé d'avoir d'autre Superieure que celle que vous avez. Je prie Dieu qu'il daigne remettre le calme, la tranquilité, & la moderation

dans vos esprits; que l'ouvrage du demon n'emporte pas le dessus, mais que la paix de JESUS-CHRIST triomphe dans vostre cœur; que le depit de n'obtenir pas ce que vous prétendiez, ou que la honte d'avoir demandé une chose déraisonnable ne vous jette pas dans une confusion, dont vous ne puissiez pas revenir, mais au contraire que la douleur d'estre tombées, vous fasse relever avec courage, & qu'enfin les larmes de saint Pierre vous servent plûtost d'exemple que le desespoir de Judas.

SECONDE PARTIE de l'Epistre 109. de S. Augustin, contenant sa Regle pour les Religieuses.

CHAPITRE PREMIER.

De l'union des cœurs, & de la communauté des biens.

VOicy les choses que nous ordonnons d'observer à celles qui sont admises dans le Monastere; Premierement considerant le dessein qui vous a ramassé ensemble, nous desirons que comme vous habitez en une mesme maison, aussi que vostre union soit tres sincere, & que vous n'ayez plus qu'un cœur & qu'une ame en Dieu. Que personne n'aye rien de propre en son particulier, & ne dise point cecy est mien; mais que toutes choses generalement soient mises en commun, & que la Superieure distribuë à chacune le

vivre & le vestement qui luy sera necessaire; non pas qu'elle doive faire ce partage avec égalité, parce que les forces de toutes ne sont pas égales, mais suivant le besoin de chacune en particulier. Car il n'est pas seulement marqué dans les Actes des Apostres que les premiers Chrestiens avoient toutes choses communes, mais encore qu'on leur distribuoit ce qui leur estoit necessaire conformément à leurs besoins. Il faut donc que celles qui possedoient des biens du monde lors qu'elles sont entrées dans le Monastere, les donnent de bon cœur à la Communauté, & que les autres qui n'en avoient point, ne cherchent pas au moins dans le Monastere, ce qu'elles n'auroient pas pû pretendre posseder dans le siecle. Il ne faut pas laisser pour celà de leur donner charitablement ce qui leur sera necessaire, bien qu'elles ne l'eussent pas auparavant leur entrée. Mais aussi que de leur costé, elles ne regardent pas comme un bonheur, d'avoir trouvé le vivre & le vestement que le monde leur refusoit, & qu'elles ne s'enorgueillissent pas non plus de se voir devenuës compagnes de celles, qu'elles n'eussent pas osé regarder dans le siecle; mais qu'elles élevent leur cœur en haut par des desirs spirituels & celestes, & qu'elles ne cherchent plus les biens de la terre, de peur qu'autrement les Monasteres ne commençassent à estre utiles aux riches, & dangereux aux pauvres; si on en faisoit un lieu de vanité pour celles-cy, & d'humiliation pour celles-là; mais il ne faut pas aussi d'autre part, que celles qui sembloient estre quelque chose dans le siecle traitent avec dédain les pauvres, qui seront entrées en cette sainte Societé. Au contraire, il faut qu'elles tirent un plus

grand ſujet de joye, de ſe voir unies à ces pauvres Sœurs, que de préſomption de conſiderer la nobleſſe de leur race, ou la ſplendeur de leur maiſon. Que donc elles ne s'en faſſent pas accroire pour avoir apporté quelques biens à la Communauté; parce que le pieux employ qu'elles en ont fait ne les engage pas moins à fuïr la ſuperbe, que la joüiſſance qu'elles en auroient eû dans le monde, les euſt obligées à demeurer dans l'humilité. Et il eſt remarquable que dans toutes les mauvaiſes actions que nous faiſons il y a toûjours quelque motif particulier de quelque vice, autre que la vanité, qui nous les fait commettre; mais dans les bonnes actions, il n'y a que la ſuperbe qui ſoit à craindre, & qui leur tendant des pieges, ſoit capable de les rendre mauvaiſes.

Et à quoy ſert-il de donner ſes biens aux pauvres, ſi on ſe reduit ſoy-meſme dans une indigence ſpirituelle plus deplorable ſans comparaiſon que la corporelle, de voir une ame miſerable s'enorgüeillir davantage par le mépris des biens de la terre que par leur poſſeſſion?

Vivez donc toutes dans une union tres-intime, & dans une charité tres parfaite, & reverez l'une dans l'autre le Dieu dont vous avez eſté faites le temple.

CHAPITRE II.

De l'Oraiſon & Office divin.

SOyez fidelles à l'Oraiſon dans les heures, & dans les temps qui vous ſont marquez; & com-

me l'Oratoire commun (ainsi que son nom le porte assez) n'est destiné que pour estre un lieu de prieres ; que personne ne s'en serve à autre fin, en sorte que si quelques-unes outre les heures de la priere commune, ayant quelque temps de reste, vouloient faire Oraison, qu'elles n'en soient point diverties par celles qui y feroient quelque autre chose. Lors que vous chantez les Pseaumes & les Hymnes, apportez y une attention tres-religieuse, afin que vostre cœur estant de concert avec vostre bouche, tous deux soient également remplis des loüanges de Dieu. Donnez vous bien de garde de ne chanter que ce qui sera précisement marqué dans le livre, & de la maniere qu'il sera écrit, & rien davantage.

CHAPITRE III.

Du Ieusne & de la Refection.

DOmptez vostre chair par jeûnes, & par l'abstinence du boire & du manger autant que vostre santé le pourra permettre, & s'il arrive que quelqu'une ne puisse pas jeûner, il ne luy est pas toutefois permis de prendre aucune nourriture avant l'heure du disner, sinon lors qu'elle est incommodée. Quand vous serez à table, il faudra entendre en silence & sans bruit la lecture qui s'y fera tout le long du repas selon la coûtume ordinaire, afin qu'au mesme temps que le corps se nourrit du pain materiel, l'esprit se repaisse de la parole de Dieu. S'il y en a parmy vous, qui ayant esté de tout temps élevées avec delicatesse,

ſoient plus foibles & plus delicates que les autres; celles qui ſont plus robuſtes pour avoir eſté nourries d'une autre maniere, ne doivent pas croire qu'il y ait de l'injuſtice ſi on traite celles-là plus delicatement, & elles ne les doivent pas eſtimer plus heureuſes qu'elles, parce qu'on leur ſert quelques mets extraordinaires, mais au contraire elles doivent s'eſtimer heureuſes de ce qu'elles peuvent faire ce qui ſurpaſſe les forces des autres: C'eſt pourquoy s'il s'en rencõtre quelques-unes qui pour eſtre d'une foible complexion, & avoir eſté élevées avec delicateſſe dans le monde ayent beſoin de quelques viandes moins groſſieres, & d'eſtre veſtuës & couchées plus mollement que les ſaines, & les robuſtes, (que je tiens en celà plus heureuſes,) il ne faut pas que celles-cy le trouvent étrange; ſur tout ſi elles font reflexion, que bien qu'à la verité celles-là ne ſoient pas encore parvenuës à ce point de ſobrieté qu'elles pratiquent, eſtant plus fortes, & plus robuſtes de corps; il y a neanmoins bien de la difference entre la vie qu'elles menent dans le Monaſtere, & celle qu'elles menoient eſtans dans le ſiecle; & qu'aprés tout, le ſurplus qu'on donne à ces perſonnes, eſt plûtoſt une condeſcendance à leur foibleſſe qu'on tolere, qu'un honneur qu'on rend à leur perſonne; autrement il ſeroit à craindre que l'on ne viſt dans un Monaſtere cet horrible deſordre; les pauvres devenir delicates, à meſme temps que les riches s'efforceroient de ſe faire à ſupporter toute ſorte de fatigue & de travail.

Au reſte comme on oblige les malades de faire diéte de peur que leur eſtomach ne ſoit trop chargé, auſſi doit-on bien traiter les convaleſcen-

tes, quoy qu'elles soient sorties de la condition la plus pauvre & la plus basse du monde, parce que la maladie qui a precedé dans les pauvres, est une raison aussi considerable pour les bien nourrir alors, que la coûtume qu'avoient les riches de faire bonne chere auparavant que d'entrer en la maison. Mais aussi quand elles auront recouvré une santé parfaite, qu'elles reprennent avec ferveur leur premier & plus heureux genre de vie, qui sera d'autant plus convenable à des servantes de Dieu que leur condition les engage à se contenter de moins de choses, & que la nature ayant repris de nouvelles forces, ne demeure point par volupté en un lieu, où la seule necessité la doit retenir. Tenez pour maxime que celles-là sont veritablement les plus riches, qui soûtiennent plus courageusement la pauvreté, & qu'il vaut mieux manquer du necessaire, qu'avoir du superflus.

CHAPITRE IV.

De l'Habit & de la Chasteté.

QU'on ne remarque rien d'affeté dans vos habits, de peur qu'il ne semble que vous aimiez mieux paroistre propres, que modestes ; & que vous tâchiez à plaire davantage par vos vestemens, que par vos vertus. Que vos voiles ne soient point de si fines étoffes qu'on puisse appercevoir au travers les tresses de vos cheveux, qu'on ne les voye point, ny ajustez avec industrie ny épars avec negligence ; & leur beauté estant toute ensevelie au dedans, qu'ils ne pa-

roissent jamais au dehors de leur sepulcre.

Lorsque vous sortez, marchez modestement ensemble, & ne vous separez point quand vous serez arrivées au lieu où vous allez; que vos pas, vostre posture, & vos habits inspirent par tout la reverence & le respect, & qu'ils soient aussi éloignez de toute immodestie, que bien-seans à vostre profession Que vos yeux se portent tellement sur tout le monde qu'ils ne s'arrestent jamais sur personne; car bien qu'il ne vous soit pas défendu de voir des personnes de different sexe lors que vous sortez; neanmoins comme c'est aussi bien par les regards & par les pentes du cœur que cet amour mutuel s'engendre, que par les autres familiarités plus sensibles & plus perilleuses; aussi vous est-il défendu, ou de les considerer trop attentivement, ou de vouloir en estre considerées; & ne me dites point que vos cœurs sont purs, lors que vos yeux ne sont point chastes, parce que les regards dissolus sont les messagers certains d'une ame dissoluë. Et quoy que la langue se taise en ces occasions, neanmoins quand une fois les cœurs par le commerce des yeux se sont annoncez reciproquement leurs passions ardentes & criminelles; alors la chasteté sans attendre la soüillure du corps, quitte cette ame déja soüillée, & se retire d'un vase où la charité n'habite plus. Et qu'on ne croye pas que personne n'épie ces œillades immodestes, il y en a certainement qui s'en apperçoivent à qui on ne s'attend pas; mais je veux que personne sur la terre ne les aye veuës, au moins celuy à qui rien n'est caché les a-t-il remarquées; oüy il les voit avec d'autant plus de patience, qu'il souffre le mal avec plus de sagesse.

Ainsi donc que la crainte de déplaire à Dieu bannisse l'amour de vouloir plaire aux hommes, & que la pensée que le Createur voit toutes choses, chasse le desir de vouloir estre veuës des creatures.

L'Ecriture nous voulant imprimer une crainte si salutaire, nous assûre que l'ame qui jette ainsi ses regards est en abomination devant Dieu. Quand donc vous serez ensemble à l'Eglise, & par tout ailleurs où il y a des hommes; soyez également soigneuses de leur chasteté, & de la vostre; & ainsi Dieu qui habite dedans vous, se servira de vous-mesmes pour vous conserver.

CHAPITRE V.

De la Correction mutuelle.

QUe celle qui remarquera en quelqu'une des Sœurs ces œillades immodestes, dont j'ay parlé cy-devant, l'avertisse aussi-tost d'éteindre cette étincelle, & de se corriger promptement. Que si aprés cette reprimande secrette, & charitable, elle s'y surprend encore une autre fois; alors il faudra découvrir une playe qu'il faut guerir, mais auparavant avertira une autre de ses compagnes ou mesme une troisiéme de veiller sur cette Sœur, afin qu'estant convaincuë par le témoignage de plusieurs personnes, elle souffre la reprehension qu'on luy fera proportionnée à sa faute. Et ne craignez pas qu'en revelant en ces rencontres les defauts de vos Sœurs, vous blessiez la Charité en aucune façon; mais sçachez

que vous ne ſerez pas innocentes, ſi vous les laiſſez perir par un ſilence indiſcret, lors que vous pourrez les ſauver en donnant avis de leurs fautes ; n'eſt-il pas vray que ſi quelqu'une de vous avoit une playe mortelle dont elle ne voudroit rien dire, craignant plus les douleurs qu'apportent les remedes, que celles que cauſe le mal ; n'eſt-il pas vray, dis-je, que vous auriez bien de l'inhumanité, ſi vous ne découvriez pas ſon mal, & qu'au contraire vous feriez une grande charité, ſi vous en avertiſſiez ceux qui luy pourroient donner la gueriſon de ce mal ? Or quelle comparaiſon y a-il d'un ulcere corporel à une peſte qui corrompt le cœur meſme ? Mais j'oubliois à vous dire que celle-là qui auroit vû la premiere le defaut en l'une de ſes Sœurs, & qui l'ayant avertie ne ſe ſeroit pas corrigée, doit, avant que d'en parler à celles, par leſquelles elle pourroit eſtre convaincuë, en cas de dény, en avertir la Superieure, afin que (ſi faire ſe peut) cette Sœur eſtant repriſe ſecrettement, elle puiſſe ſe corriger, ſans que les autres ayent connoiſſance de ſa faute. Mais ſi aprés elle nioit encore ſon peché ; on pourra la faire épier par deux ou trois autres, afin qu'elle n'ait rien à repliquer ; & quand une fois elle ſera convaincuë ; on doit luy impoſer une penitence, telle que la Superieure ou le Directeur le jugeront à propos ; & ſi elle refuſe de s'y ſoûmettre, qu'on la chaſſe de cette Societé, encore meſme qu'elle n'en veüille pas ſortir. Et ne penſez pas qu'on agiſſe en cette occaſion, avec trop de rigueur, puiſque c'eſt un grand acte de miſericorde d'empeſcher qu'elle n'infecte toutes les autres. Au reſte remarquez bien l'ordre que j'ay étably

dans

dans la correction de ce vice ; car il faut l'obſerver à proportion, & l'étendre à toutes les occaſions, où on eſt obligé de rechercher, défendre, dénoncer, convaincre, & punir tous les autres pechez, & que chacun aye toûjours devant les yeux qu'il faut bien à la verité haïr les vices, mais qu'il faut aimer les ames. J'ajoûteray enfin que ſi quelqu'une s'eſtoit laiſſée aller juſques à cet excez, que de recevoir en ſecret des lettres, ou de prendre quelques petits preſens, pourvû qu'elle reconnut veritablement ſa faute, on pourroit luy pardonner cette fois-là, & prier Dieu pour elle ; mais ſi la choſe alloit plus avant il faudroit la punir plus ſeverement, ſelon la diſcretion toutefois de la Superieure, ou du Directeur, ou meſme de l'Eveſque.

CHAPITRE VI.

De la renonciation à la proprieté des biens.

COmme vous mangez en un meſme Refectoir, auſſi deſiré-je que vous ayez un lieu commun deſtiné pour mettre vos habits, & qu'une ou deux d'entre vous en ſoient les gardiennes, afin d'avoir ſoin qu'ils ne ſe gaſtent point. Et ſi vous me croyez, ne faites point reflexion ny ſi les veſtemens qu'on vous donne ſont propres pour la ſaiſon, ny ſi c'eſt le meſme que vous aviez eû auparavant ou ſi c'eſtoit celuy d'une autre, pourvû que celuy qu'on vous preſente vous puiſſe hon-

nestement suffire ; que si vous preniez de là occasion de murmures, & de disputes, & que l'une se plaignist de ce qu'on luy a donné un habit plus méchant que celuy qu'elle avoit porté auparavant, & qu'elle merite d'estre aussi-bien vestuë que cette autre Sœur ; vous jugerez de cet échantillon combien il vous manque encore de cette robe interieure, & de ce saint habit du cœur, puisque vous agissez avec tant d'imperfection pour des vestemens qui ne doivent couvrir que ce miserable corps. Neanmoins si on tolere cet usage de vous donner toûjours les mesmes habits, que cela n'empesche pas pourtant qu'il n'y ait un lieu commun pour les mettre, & des personnes destinées pour les garder. Et au reste que personne ne travaille pour soy ; ny à ses habits, ny à son lit, ny à ses couvertures, ny à ses coiffures, mais travaillez toutes pour la Communauté, & que cela se fasse avec beaucoup plus d'allegresse & d'affection que si chacune le faisoit pour sa propre personne. Car il est écrit de la Charité, qu'elle ne cherche point son interest particulier, c'est à dire, qu'elle prefere les choses communes aux propres, & non les propres aux communes. Et enfin tenez pour asseuré que d'autant plus vous vous dépoüillerez de toute proprieté, d'autant plus avancerez vous en la vertu. Faites donc en sorte que dans l'usage des choses passageres, on y voye reluire & predominer une charité perpetuelle.

Si donc les peres ou les meres ou alliez des Religieuses du Monastere leur font present de quelques habits ou semblables choses necessaires, qu'elles ne les reçoivent pas en cachette, mais qu'el-

les ſoient miſes en commun, & qu'il dépende de la Superieure de les diſtribuer à celles qui en auront plus de beſoin, que ſi quelque Sœur cele & cache le preſent qu'on luy aura fait, qu'elle ſoit jugée & condamnée comme coupable de larcin.

CHAPITRE VII.

Du ſoin des neceſſitez des Sœurs.

LAvez vos habits vous-meſmes ou bien par les gens qui ſont de ce meſtier-là, mais que ce ne ſoit que quand la Superieure le trouvera bon, afin que le deſir déreglé d'eſtre trop propre, ne terniſſe point l'éclat interieur de vos ames; Que l'uſage du bain ne ſoit point trop frequent, mais ſelon la coûtume uſez-en une fois le mois. Neanmoins s'il y en a quelqu'une parmy vous qui ſe ſente obligée pour quelque indiſpoſition de le prendre plus ſouvent, qu'on ne differe pas à luy permettre, mais que ce ſoit de l'avis du Medecin, & s'il juge que cela ſoit neceſſaire pour ſa ſanté, il faut qu'elle obeïſſe ſans murmurer, & meſme au cas qu'elle témoignaſt y avoir de la repugnance, que la Superieure luy commande de le faire. S'il arrive auſſi que quelqu'une deſire de ſe baigner, & qu'on ne connoiſſe pas qu'elle en ait veritablement beſoin, elle ne doit pas trouver mauvais ſi on ne defere pas à ſa paſſion; car nous nous perſuadons quelquefois que ce qui nous eſt agreable, nous eſt utile, encore qu'il ſoit nuiſible. Ce n'eſt pas que quand une ſervante de Dieu aſſure qu'elle reſſent de la douleur dans le corps,

on ne la doive croire à la bonne foy, mais pour sçavoir si on luy doit accorder des remedes, qui sont doux d'ailleurs à la nature, il sera bon de prendre l'avis du Medecin.

Que jamais les Sœurs n'aillent aux bains ny autre part hors la maison, qu'elles ne soient du moins trois ensemble, & que celle qui aura necessité de sortir, ne choisisse point les compagnes qui luy plairont, mais qu'elle prenne indifferemment celles que la Superieure luy donnera. Quant aux malades & convalescentes, comme aussi celles qui sont indisposées, mesme sans fiévre, elles auront une Sœur qui prendra soin d'elles, & qui demandera à la Dépensiere ce qu'elles auront besoin; & generalement que les Sœurs qui ont soin ou de la dépense ou des habits, ou des livres, soient toûjours prestes à servir de bon cœur les autres. Qu'on ne donne de livres à personne, hors l'heure de la lecture spirituelle, mais quand quelqu'une aura besoin ou d'habits ou de chaussure, celles qui seront commises pour cela, auront soin de leur en donner, sans aucun retardement.

CHAPITRE VIII.

De la Charité mutuelle.

QU'on ne voye jamais de disputes parmy vous, ou s'il ne se peut faire qu'il n'y en ait quelque petite, que le mesme moment qui l'a vû naistre, la voye mourir, de peur que la colere ne se change en haine, qu'elle ne convertisse une paille en une poutre, & qu'enfin elle ne fasse

cette ame homicide. Car ne pensez pas que quand l'Ecriture dit, que celuy qui hait son frere est un homicide, cela ne se doive entendre, que des hommes; parce que comme Dieu créa l'homme auparavant que de créer la femme, & que le sexe des femmes est compris dans celuy des hommes, les mesmes obligations qui ont esté imposées à ceux-cy, ont esté imposées à celles-là; ainsi, s'il arrivoit qu'une Sœur en offençast une autre en luy disant quelque injure, ou en luy faisant quelque affront, ou en l'accusant de quelque crime, qu'aussi-tost elle reconnoisse sa faute, & qu'elle luy en demande pardon, & que celle qui a esté offensée, soit aussi prompte à oublier cette injure. Que si toutes deux à la fois se sont mutuellement emportées, qu'elles rentrent toutes deux en elles-mesmes, & qu'elles se pardonnent leur peché, selon que les y oblige les paroles mesmes de la priere qu'elles disent si souvent, laquelle elles doivent tâcher de rendre d'autant plus sainte par la pratique, qu'elle leur est plus frequente en la bouche. Or je vous avertiray à propos de ce sujet, que celles qui sont souvent tentées de la colere, mais qui neanmoins reconnoissent promptement leur faute, & s'efforcent d'y satisfaire, par une prompte humiliation, ne sont pas en un estat si dangereux, que de certains esprits qui se fâchent rarement à la verité; mais quand ils ont une fois succombé à la colere, ne peuvent se resoudre à demander pardon; & c'est bien en vain que ces ames vindicatives, aussi-bien que celles qui ne demandent excuse que du bout des lévres, demeurent dans un Monastere. Quelle erreur de croire qu'on obtiendra ce qu'on demande à Dieu

dans l'Oraison, & cependant de ne vouloir pas pardonner à sa Sœur ? Ainsi ne vous laissez point aller à ces paroles pleines de fiel & d'amertume, & si elles vous échapent quelquefois, que la même bouche qui a fait la playe fasse le remede.

CHAPITRE IX.

De l'obeïssance à la Superieure.

POur ce qui est des occasions où la necessité de vostre charge vous oblige à proferer des paroles rudes & severes envers celles qui vous sont soumises, afin de reprendre fortement les vices, & de maintenir en vigueur la discipline Religieuse; on n'exige point de vous en ces occasions-là, que vous demandiez pardon à celles que vous avez ainsi traitées, quand mesme vous verriez bien avoir excedé les termes d'une juste reprehension; de peur que vostre autorité ne receût quelque atteinte par cet abaissement, & qu'elle ne devint méprisable à celles qui doivent y estre sujettes. Mais aussi si vous ne vous en humiliez pas devant les hommes, vous devez vous en confondre beaucoup devant Dieu, qui verra dans le fond de vostre cœur que vous conservez au milieu d'une rigueur un peu trop grande, une tres-sincere charité. Prenez garde que l'amour que vous aurez les unes pour les autres ne soit pas selon la chair, mais selon l'esprit; & qu'il ne vous arrive jamais de faire entre vous les choses, que font ordinairement ensemble par forme de jeu & de divertissement ces femmes qui sont sans honte

& ſans pudeur ; car il ne faut jamais, que non ſeulement des veuves & des vierges conſacrées à JESUS-CHRIST, mais meſme des femmes mariées, & des filles qui ſont dans le deſſein de l'être, prennent enſemble ces libertez. Obeïſſez à voſtre Superieure comme à voſtre veritable mere, & rendez-luy tout l'honneur qui luy eſt dû, de peur que Dieu ne ſoit offenſé en ſa perſonne, mais obeïſſez encore beaucoup davantage au Prêtre qui prend ſoin de vous toutes.

Afin que toutes ces regles s'obſervent fidellement, & qu'on puniſſe celles qui les tranſgreſſeront, il faut que la Superieure tienne la main à leur execution, car c'eſt à elle à qui ce ſoin là appartient, en ſorte neanmoins qu'elle conſulte le Preſtre qui vous dirige, dans les choſes qui ſont au deſſus de ſes forces, ou de ſa capacité. Quelle ne s'eſtime pas heureuſe de dominer ſur les autres avec puiſſance, mais de ſervir ſes Sœurs avec charité, quand elle eſt devant les hommes, qu'elle ſe mette au deſſus de toutes ; mais que devant Dieu elle ſe mette ſous leurs pieds, qu'elle ſoit en tout un modelle de perfection, qu'elle reprenne les inquietes, qu'elle encourage les puſillanimes, qu'elle ſoulage les foibles ; en un mot qu'elle ſupporte tous les eſprits. Qu'eſtant ſevere à elle-meſme, & douce pour les autres, elle embraſſe avec joye toutes les diverſes pratiques de mortification ; mais qu'elle ne les permettre aux autres qu'avec peine. Et quoy qu'il ſoit neceſſaire qu'elle ſe faſſe aimer & craindre ; toutefois il faut qu'elle s'étudie de gagner plûtoſt les cœurs par l'amour, que d'effaroucher les eſprits par la crainte, conſiderant ſans ceſſe en elle-mê-

me qu'elle doit rendre compte à Dieu de vos ames : C'est pourquoy vous estes obligées de luy obeïr, non seulement pour vostre interest, mais aussi pour le sien; ayant compassion du peril où sa charge l'expose, qui est d'autant plus grand qu'elle est relevée par sa dignité au dessus des autres.

CHAPITRE X.

De l'observance de la Regle.

JE prie donc nostre Seigneur, qu'il vous fasse la grace de garder avec amour toutes les Regles que je viens de vous prescrire, comme doivent faire des chastes amantes de la beauté spirituelle, & des ames toutes parfumées de l'odeur du divin Esprit. Vous ne devez point vous y assujettir en esprit d'esclave ny de Juif, mais vous devez vous y soumettre dans la liberté des enfans de Dieu, & afin que vous puissiez vous considerer dans ce reglement, comme dans un miroir; & que vous n'en oubliez rien par negligence, on vous en fera la lecture une fois la semaine. Si vous y remarquez des choses où vous ayez esté fidelles, vous en rendrez graces à Dieu, qui est le seul dispensateur de tous biens; mais si au contraire vous y reconnoissez des points que vous ayez transgressé, je vous exhorte d'avoir douleur du passé, de vous precautionner pour l'avenir, & enfin de recourir à la priere, afin que Dieu vous pardonne cette faute & vous donne la force de ne plus succomber à la tentation.

FIN.